

T. Sharp D.D. Preb.
of Durham. Arch
Deacon of North


PETER
SEABY


S·P·Q·R·
FAMILIAE
ROMANAE
F. Chauueau in. et fecit

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/familiaeromanaei00orsi

FAMILIÆ
ROMANÆ
IN ANTIQVIS NVMISMATIBVS,
AB VRBE CONDITA,
AD TEMPORA DIVI AVGVSTI.
EX BIBLIOTHECA FVLVII VRSINI,
Cùm adiunctis Antonij Auguſtini, Epiſc. Ilerdenſis.

CAROLVS PATIN,
DOCTOR MEDICVS PARISIENSIS,

RESTITVIT, RECOGNOVIT, AVXIT.



PARISIIS,
Apud IOANNEM DV BRAY, via Iacobæa, ſub Spicis maturis, & Roſario.
PETRVM VARIQVET, via Iacobæa, ſub ſigno Craticulæ, prope S. Benedictum.
Et ROBERTVM DE NINVILLE, in via dicta *de la Vieille Boucleríe*,
ſub ſigno Scuti Franciæ & Nauarræ.

M. DC. LXIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

LVDOVICO XIIII.
GALLIARVM
ET NAVARRÆ REGI
CHRISTIANISSIMO,
SEMPER AVGVSTO,
CAROLVS PATIN.

Ecce, Rex Potentissime, *Opus in alienis terris prouectum, in tua ditione tuiſque auſpiciis excultum, & quoad eius fieri potuit, perfectum, in lucem iterum non prius exit; quam ſplendorem Tuæ Majeſtatis quærat, qua fiat illuſtrius. Inſtru-*

menta priſcæ vetuſtatis, meliorisque æui, niſi Tuum prohiberet, reliquias in vnum contraxerat Vrſinus ille, cuius veſtigia relego. Ingenti felicitate ſtyli & ingenij, magnum negotium ſuſceperat & promouerat. Hoc vno minus fortunatus, quod in Tuam ætatem non inciderit: Id ſi contigiſſet & temporibus vſus fuiſſet, quæ ſemper aliquid acceſſionis melioribus diſciplinis afferunt; & exemplum ex Te ſumpſiſſet, quo nemo non ad magna incitatur, qui veram virtutis laudem agnoſcit & amat. Ego vero, REX POTENTISSIME, *cui ſingulari Dei munere datum eſt, vt & temporum beneficio fruerer, & Te præſentem præſens adſpicerem; quod mihi reliquum fecerat, toto pectore ſum ample-*

xus. Fecerat ille ne primus forem; ne ſolus eſſet, feci quod ſuperfuit. Vtinam non me vires magis defeciſſent quam voluntas: Atque vt ſcribenda quotidie facis, ita ego legenda ſcripſiſſem. Quanta alacritate & fiducia hocce quodcumque muneris eſt offerrem Tuæ Maieſtati. Ne grauere tamen, REX OPTIME, *illud Tibi donarium appendi. Exiguum certe, ſed quantulumcumque, Tuum eſt; Nec ſemper magnos parua dedecent, Tuo nutu incœptum, Tuo ſtudio ad exitum perductum eſt. Tu vt omnibus viuendi exemplum, ita mihi inſuper ſcribendi incitamentum fuiſti. Tu mihi magnificentiſsima hæc antiquitatis adyta patere iuſſiſti, vt tandem oculis manibuſque vſurpare liceret, quæ mortalium nemini alibi*

adſpicere datum eſt. Id niſi mihi ſingulari ea benignitate, qua ſubditos omnes amplecteris, conceſſum fuiſſet, potiſsima & maxima laude hoc Opus careret, quod hac acceſsione, mirum quantum inclareſcit. Vale, REX OPTIME, *tanto maior, quanto melior, & votis omnium gentium ſis ſuperſtes.*



LVDOVICVS HENRICVS
LOMENIVS
BRIENNÆ COMES,
REGI A CONSILIIS, ACTIS, ET EPISTOLIS:
IN CAROLI PATINI,
DOCTORIS MEDICI PARISIENSIS,
ROMANAS FAMILIAS PRÆFATVR.

NVmiſmata breuiaria ſunt Antiquitatis, fax hiſtoriæ, ſupplementa priſcæ fidei vacillantis, latebroſæ lectionis condimentum: ſed ſplendor illorum, & vtilitas præſertim inter admiranda æternæ gentis ſe exerit, quia Vrbis rerum dominæ æquatur maieſtati. Non ſolum corpus, ſed cadauer etiam nos ſui admiratione percellit: ex ruderibus & parietinis, ex ipſo nomine inani afflatur veneratio: iniuria temporis deturpata ſui cultum & horrorem ſpirant religioſum. Thermæ, aquæductus, amphitheatrales moles, triumphales arcus teſtantur, viuere exſtinctis autoribus mori neſcia monumenta. Quotuſquiſque tædia longæ viæ perfert, & emetitur immenſa ſpatia itinerum, cui licuit in aprico iſta perluſtrare! Quam ſuaue inter Muſæi amænitates attrectare elapſi æui pignora, & cernere Romam triumphantem: Non aliud fuit votum Antiſtitis celeberrimi. D. Auguſt. Papyraceum æquor fluxus ſuos habet & refluxus,

non omnia perrumpunt, nec eunt chartæ in ſæcula: Solum Numiſma mortalitatem contemnit metalli perennitate. Quidquid pagina multiplex, anxia, ſollicita refert, hoc docta manus ſculptoris exhibet; & iuuat Pompeij & Bruti ora intueri. Quanta lux illorum actis ex illa inſpectione! ita feriunt oculos ſimulacra vt menti æternum inſideant, quos referunt, ſpecies. Hic ſileat grex imperitus in iudicia præceps, & parcat ea flocci facere, ad quæ caligat. Artificum eſt gratias agere priſco æuo, noſtri & venturi PATINO, qui natalibus Gallus, Romam ipſam ſupra indigenas anxia ſedulitate decorauit. In partem gloriæ venit Brunotius Abbas, cum grandi acceſſione locupletauerit hoc Opus, vel ſolo animo antiquas inter nos amicitias excolendi. Grata poſteritas debiti gratiam mecum partietur, & præſens ætas paſſim exactum Regis iudicium fauſta proſequetur æſtimatione, cum ſine pretio mire pretioſam gazam Brunotij fidei commiſit; qui, quod ſibi ſolus ſeponere potuit, toti mundo non inuidioſus impendit. Sub auſpiciis Aureliani Ducis cælo recepti, prodiit fœtus obſtetricante Brunotio, qui Domini otium, quo certe nullum numen impiatum eſt, his lenibat auocamentis, & lethæis ſuccis ingratam præteritorum memoriam aſpergebat. Non fuit hic iners Seguini erudita cura; qui immenſi ſacri aſſertor, aſſerit quoque rei antiquariæ hanc lucem, & ex cuius ſeceſſu plus fœnerabitur genus humanum quam ex aliorum negotioſis nugis; Interim victura feretur PATINO gloria, qui Vrſini labores ſuis demerſit, non aliter quam bicornis Rhenus poſt innumera terrarum ſpatia perluſtrata, immoritur auxiliaribus aquis.

Quantum

QVantum debeat Antiquitas CAROLO PATINO, is ſolus ignorabit, qui neſciet quantum excellentiæ in VRSINO, quantum laboris & meriti in eo reſtaurando. Iam deficiebant codices Autoris Clariſſimi, quem eruditi omnes frequenti manu terunt. Ecce PATINVS vix adoleſcentiam egreſſus, inopiæ publicæ occurrit, & ſpretis juuentutis illecebris, totus in ſtudia & labores effuſus, Antiquitatis Genio VRSINO mutuum reddit; quod ab eo didicit, ipſi fœnore ditiſſimo rependit, & literatos omnes arctiſſime ſibi deuincit. Faueat illi continuo Deus ἐπιχθονίοις, & auertat, ne velut alter Picus Mirandulanus, ſat ſibi & famæ vixiſſe videatur, antequam ætatem impleuerit, & publicæ rei fecerit ſatis. Gratulans adprecatur amiciſſimus

PETRVS SEGVINVS.

GVIDO PATIN, DOCTOR MEDICVS Pariſienſis & Profeſſor Regius.

ET meum eſſe puto, CAROLE FILI, tua hæc ſtudiorum laborumque oblectamenta fauſta precatione proſequi. Felices quorum gaudia crimine vacant: quanto feliciores, quorum voluptas fructum habet, atque in laboris viciſſitudine poſitum otium eſt. Vale.

CLARISSIMO ERVDITISSIMOQVE IVVENI, CAROLO PATINO, GVIDONIS F. Doctori Medico Pariſienſi

IACOBVS MENTELIVS, PATRICIVS, D. M. P. Et R.

VETERES Romanos laudauit ac mire ſemper extulit totus Orbis, PATINE DOCTISSIME, ob multa eaque præclara, ſeu bello ſeu pace nomina: quibus ipſi perpulchre ſolenni gloriæ, famæque litarunt æternitati. Quæ enim, amabo, ad euentus felices & facinorum immortalitatem comparandum, militia vſpiam Romanâ præſtantior? quæ Reſpublica maior aut prudentior? quæ Viris illuſtribus clarior, boniſque exemplis fœcundior aut magnificentior? Nulla prorſus. Vt quæ reſtant haud exigua de illis etiamnum Monumenta diuerſi generis, non loqui tantum; ſed & perſo-

nare videntur: Ac præcipue NVMISMATA. In quibus, præter id quod mirum in modum iuuarent publicam Conuerſationem, vt verbis vtar Imperatorum: Domi etiam, militiæque Geſtorum profanorum, ſacrorum, cuicui modi hæc eſſent, ratio pareret: conflaturæ tempus, ac vnâ Principis, vel rerum potiuntis Vrbis, Conſulis, alteriuſve Magiſtratûsglorioſe triumphantis Nota quædam, aut Imago deſignaretur. Vnde ſane arceſſenda eſt apprime Gentis illius Terrarum dominæ, fides hiſtoriæ: non autem ex vulgi fabulis atque commentationibus. Vt ita plurimum quidem debeamus ſtudioſis Romanæ Antiquitatis (quæ magnam partem fert literaturæ politioris) ac præſertim FVLVIO VRSINO Romano, qui ex veteribus Nummis FAMILIAS ROMANAS, Auorum ætate collegit publicauitque: Sed multo magis nunc Tibi, PATINE ERVDITISSIME, qui longe quam ante, meliorem illum ſplendidioremque, Panno purpuram velut aſſuendo, feliciter nobis exhibeas, conquiſitiſſimis aureorum, argenteorum, æreorum NVMISMATVM (quæ quaſi pro gemmis habentur a Curioſis, & elegantioribus ingeniis) acceſſionibus: Quorum cuique ſubjecta eſt ἐξήγησις plane conueniens, & tanquam ex Tripode profecta. Et hoc vnum ſcilicet optandum erat Guidoni noſtro, Parenti tuo chariſſimo egregio illi Medico; ſed & omnium Muſarum Amico, τῷ ἀνδρὶ ἐν ἱστορίᾳ βιβλιακωτάτῳ, ſicut de Varrone narrat Plutarchus: Vt tu Monetæ Iunonis in Templo quaſi prognatus, Symbolum iſtud conferres ſuæ gloriæ. O eximiam & vere nobilem indolem tuam! quæ tibi iam merito conciliat eam gratiam, vt omnibus qui bonas artes nouerunt, præcharus ſis; maximeque Magnatibus non obeſæ naris: Ac ſic

Te quoque Principibus permiſtum agnoſcis Achiuis.

Quam laudem certe ſingularem, & Tibi cum paucis, iiſque magnam partem Medicis, communem: Occone, Lazio, Fabro, Piſone, Sauotio & aliis; nouis vſque nouiſque extendas meritis, oro atque obteſtor, PATINE AMANTISSIME, MENTELIVMQVE tuo addictum honori perpetuò fore, velim intelligas. Vale. Pariſiis XI. Kalend. Sext. M. DC. LXII.

DIONYSIVS DODARTVS,

CAROLO PATINO COLLEGÆ SVO S. P. D.

ET Tibi de Tuo libro, & mihi de Te gratulor. Magna laus eſt dum ad ſenectutem perueneris vnam Artem didiciſſe, Quanta! etiam iuuentute florentem duas omnium difficillimas ita tenere, vt docere poſſis. Hiſtoriam quaſi ioco ſubciſiuis horis amplexus es, hanc ludentiſimilis, diligenter tamen & accurate tractaſti; Ecce ea maturos iam fructus adfert. Medicinæ perpetuam & ſeriam operam dediſti: cerno iam animo quantos prouentus acceperis. Nec miror, effecit Hiſtoriæ iucunditas, vt aſperitatem artis laborioſiſſimæ ſubires libentius, fecit Medicinæ ſtudium vt

alacrius in Hiſtoria conquieſceres. Ita laboris hilaritatiſque viciſſitudine factum eſt, ne aut opera voluptate: aut voluptas vtilitate careret. Atque hoc eſt, vt meum guſtum aperiam, hoc eſt quod Te mihi fecit Amicum. Nec enim Te mihi adiunxit calliditas hæc penſitandi Numiſmatis, aut iudicandæ picturæ, aut gemmarum, concharum, omniſque elegantioris ſupellectilis diſpoſitiſſimus ille delectus. In aliis hæc magna ſint. Tibi non beatum illud otioſorum negotium, ſed in Ciuium noſtrorum diſcriminibus occupata vita propoſita eſt. Præclarum tamen ornamentum & eximia diſciplinæ grauioris acceſſio. Quanto nobilius quod hæc omnia Tibi ſeruiunt, Tu vni medendi operæ ſeruias. Illa huic amænitatem quamdam, hæc illis dignitatem viciſſim conciliat. Qui vtrumque complexus eſt, nonne ille mihi cum admiratione quadam eſt amplectendus? Te vero, Amice, etiam lætus amplector, non enim tantum mihi cogitandum arbitror qualem Amicum habeam, ſed etiam quamdiu ſim habiturus. Rarum eſt proſperæ valetudinis & ingenij conſortium, fereque præmaturæ mortis omen eſt præcox Sapientia. Tibi ſana mens non tantum in ſano, ſed robuſto & decenti corpore data eſt. Vale ergo Amice, Tibi, Ciuibus tuis, poſteris etiam diu viue. Hanc tibi mutuam operam reddet Ars illa quam Tu ita diligenter colis: Te vero quam commendaſti Hiſtoriam, ea Te immortali hominum memoriæ commendabit. Ecce iam officium præſtant litteræ, ſuperuiuis gloriæ tuæ, legis ſcripta de Te carmina, & poſteritati tuæ interes. Horum omnium perilluſtre ſpecimen LOMENIVS ille Briennæ Comes edidit, Vir in paterna gloria iiſque honoribus quibus domeſtica virtus Orbe toto inclaruit, propria commendatione longe clarior. Omnia verbo complectar, maximum inter alia momentum eſſe videtur ad Tui nominis æternitatem, huic Viro placuiſſe. Hoc vnum ſi mihi hanc ſcriptionem animo deſignanti veniſſet in mentem, cæteris laudibus ſuperſediſſem. Me tamen delectat, & quod veræ ſint, & quod eas ſubinuitus audias quaſi ab Amico nimiæ ſint, cum Te parce laudare ne inimico quidem liceat.

IACOBVS BOIONIVS M. P.

CAROLO PATINO, DOCTORI MEDICO PARIS.

S. P. D.

TAndem famoſum Romæ veteris ſplendorem noſcemus, VIR CLARISSIME, cuius tam accurate expreſſa veſtigia deſignas, vt iiſdem non modo ſuperba ciuitatis Orbis terrarum gubernacula moderantis Monumenta, ſed & ſumma tua erga litterarum ſtudioſos merita ad immortalitatem conſecrari videantur. Quod ſi ab immenſis laboribus quibus Tibi neceſſe fuit, vt hæc tanta exequereris incumbere, Te nunc ad nonnulla vitæ tranquillioris otia conuerteres. Quis Te excipiendis eorum quos erudiiſſes gratibus ſatis occupatum non putaret? ſed non quieſces. Nec te remorari poterit vllius otij

quantumvis placida dignitas, quominus Romæ ſeruientis erga ſuos Principes blanditias in lucem emittas. Quæquidem quam citiſſime prodeant, idcirco geſtio vt aduerſus malignos inuidiæ conatus non tantum viridi Conſulum triumphantium lauro, Fuluiive Vrſini exemplo, ſed & præſtantiore Imperatorum apparatu, & Illuſtriſſimi Briennæ Comitis autoritate muniaris. Verum de Tuis quos omnes expectant Libris nihil addam, ne Tibi moleſtus hortator videar, & me quis præpoſteræ curioſitatis incuſet. Quin & de his ſilebo. Quid enim aut ea verbis ampliora facere aggrediar quæ ſunt ampliſſima? aut poſteritati quid Tibi ſit debitura denunciem? Venturis ille ſæculis ſatis commendabitur qui excellit in ſuo. VALE.

AD ROMAM,

DE FVLVIO VRSINO ET CAROLO PATINO, eximiis Numiſmatum Editoribus & Interpretibus.

VRSINO meritas e quercu necte coronas,
Reſtituit Ciues hic tibi, Roma, tuos.
Debuerat plures ſeruare ac reddere, verum
Nomina lethæo gurgite merſa latent
Sollerti ignotos detexit mente PATINVS,
Ad ſuperos Medica quos reuocauit ope.
Quin etiam VRSINVM multa iam nocte ſepultum,
In clarum eduxit aſſeruitque diem.
Multa quidem VRSINO debes, ſed plura PATINO,
VRSINVM & Ciues reddidit iſte tibi.

FRANCISCVS OGERIVS.

AD CAROLVM PATINVM, D. M. P. in eius Librum de Familiis Romanis.

ODE.

O Patre docto, Pæonij & ſenis
Leni arte pridem tollere triſtium
Acerba morborum perito,
Nil minor o ſoboles, PATINE.

Quem præter omnes, de tenero prope
Miramur vngui, ſcribere & inclytas
Stirpes, & ingentem ſuperbæ
Luxum, & opes, populumque Romæ.

Teſtis ſecunda quæ ſuperas aui
Se fert in auras pagina, fortium
Inſcripta tot claros labores
Romulidum, propriaſque veris

Impreſſa ſignis effigies, quibus
Redire viua ſanguinem imagini
Spirare credas bellicoſos
Mille Duces Latij potentis.

Quibus, vetuſto Rex & ab Ilio
Claram Parentum diſcat originem, &
Regnare magnorum docentes
Calleat hiſtorias Quiritum.

CAROLVS DV PERIER.

AD VIRVM CLARISSIMVM

CAROLVM PATINVM, DOCT. MED. PARIS. DE FVLVII VRSINI EDITIONE, quem nouis Operibus inſtaurauit & locupletauit.

ODE.

QVo non ſagacis promptus ingenij vigor
Peruadit & læta indoles,
Nutrita fauſtis rite ſub Penatibus,
Dulci Camænarum in ſinu?
Magni Parentis en ſequens veſtigia
Magno PATINVS pectore,

Alta ſepultas nocte Romulidum domos,
Ignota pridem nomina,
Longis latebris publicam in lucem eruit.
O cura mentis perſpicax!
Quæ FVLVIVS non vidit, audaci rate
Qui primus hæc vada impulit,
Profunda ſcrutans altius vidit, nouum
Sacri Medentium chori
Lumen PATINVS, cui receſſus vltimæ
Omnes vetuſtatis patent.
Agnoſce, Roma, Gallicæ hoc gentis iubar,
Agnoſce. monſtrat en Tibi
Tuos Quirites Gallus, atriis tuis
Nouas refertque imagines.
Ergo perenni vindicem hunc plauſu ferant
Septena montium iuga;
Tybris liquorem quaque diffundit vagum,
Nomen PATINI perſonet
At tu per orbem Fama quem recentibus
Secunda nunc pennis vehit,
Nouis, PATINE, perge quo genius vocat
Cœptis ad æternum decus:
Dum vota feruent omnium, & (quod maximum)
Dum teſtis aſpirat Parens.

P. Petitvs Med. Pariſ.

DE CAROLO PATIN,
Immortalis libri de Familiis Romanis Editore.
ODE.

Mortua quod dudum iam viuis Roma figuris
Spirat, & æternum viuet in ære decus,
PATINI labor eſt: Medicâ num polleat arte
Quæritis? ecce Homines ſuſcitat atque Deos.

P. dv Qvesnoy I. C. Aduoc. Pariſ.

EXCELLENTI VIRO,

D. CAROLO PATINO, MED. PARIS.

Antiquitatum Scrutatori Eximio.

IN Morinis etiam PATINVM numen adorat
Ingenium quiſquis Pallada ſanus amat:
Iamque ſtupet natura duos, Natumque Patremque;
Et dubium, primam cui ferat illa facem.
Phœnices ambo, ac famæ melioris amantes,
Et rarum ingenij par grauitate ſui.
Hoc vnum inuentis GVIDONIS, CAROLVS addit;
Vt veterum excutiat ſcrinia ſacra Ducum:
Et ſeſe in mediæ mittat penetralia Veſtæ,
Mireturque illic Cœlipotentis opus.
Ad quæ Rex illi veſtigia regia ſignat,
Et vult Atlante hoc munia tanta geri.
Plus auro, plus ære nites, plus vellere Phryxi;
CAROLE, dum magni rem facis ipſe Iouis.

REINERVS NEVHVSIVS, I. C.
Alcmariæ, CIↃIↃCLXII. Kal. Iul.

AD CAROLVM PATINVM, D. M. P.

Illuſtrem Æſculapij Muſarumque Politiorum alumnum.

PATINE, gentis lucidum ſidus tuæ,
Semonis heres digne litterarij,
Cui Doctiorum cunctus aſſurgit chorus,
Applaudo chartis publicare quas paras:
Lectoribuſque tam coævis gratulor,
Quam poſtfuturis, tale viſuris Opus:
In quo obſoleta magna tot Quiritium

Felice graphio lucem in almam nomina
Phœnicis inſtar vindicantur a rogis,
Vita fruantur, vt perenni in poſterum,
Sic æmularis optime Æſculapium
Quem Fama tradit ſuſcitaſſe mortuos:
Tibi ergo, vt illi, fata poſt nouiſſima,
Sublimia inter aſtra debetur locus.

CAROLVS SPONIVS,
Doct. Med. Lugdun.

AD LECTOREM,

DE FAMILIIS ROMANIS,

Quas ex Nummis Antiquis illuſtrauerunt Fuluius Vrſinus primum; iterum ac plenius,

CAROLVS PATINVS.

ORa virum cernis, vidit quos inclyta Roma
Nunc cauſas orare graues, & iura togatis
Dicere, nunc totum gerere aſpera bella per Orbem.
Non vnum ſtudium, non vna gloria forma
Implebat grandes animas: idem omnia obibat
Officia; & poſtquam caſtris adoleuerat, Vrbi
Redditus, ad ſummum gradibus tendebat honorem.
Exinde imperium & legiones rite ſolebat
Accipere, & magnas iam victis addere gentes.
Donec militia fractus, feſſuſque triumphis,
Otia pulchra ſenex coleret, prudenſque iuuaret
Patres conſiliis, ciuili iure clientes:
Nulla adeo Romæ viuebat inutilis ætas.
Horum fortia facta pij poſt fata Nepotes
(Ille negatus honos viuis) vultuſque virorum

Cælarant

Cœlarant breuibus nummis : ſed barbara poſtquam
Colluuies late Romanum merſerat orbem,
Cognatas inter ſtatuas iacuere ſepulti.
At nunc placatis ſuperis, felicius æuum
Illuxit; latebriſque erepta Numiſmata, honore
Multiplici, longæ reparant diſpendia noctis.
*Namque nouum e variis nomen traxere * metallis,*
Argentique ſupra pondus, ſupraque monetam
Dilecta, in proprijs tribuuntur ſingula cellas,
Gemmarum ritu, & capſis conduntur eburnis.
Quin & Nummorum gaudemus imagine picta;
Iamque virum ornati doctorum laudibus, implent
Ingentes libros : ſic FVLVIVS edidit olim
Multa in Romanas diuiſa Numiſmata gentes.
Viderat hæc artis patriæ, patriæque PATINVS
Heres virtutis viuo patre : diues & ipſe
Non vulgo notis opibus; ſed ſymbola priſca
Cautus ſemeſique notas exponere nummi,
Et doctas Italûm artificum cognoſcere fraudes.
Viderat, & multa VRSINVM fugiſſe notarat
Quæ lucem poterant Romanis addere rebus.
Ergo manum admouit Medicam, nec vulnera tantum
Sanauit, magno quæ corpore multa latebant:
Sed totum renouauit opus. Sic Æſonis olim
Docta nurus, turpes non ſolum corpore rugas
Expulit, aut canos tinxit medicamine crines:
Sed penitus viridem fertur reuocaſſe juuentam.

* MEDAILLES dicimus quaſi Metalleas.

CAR. FLORVS, Aduoc. Pariſ.

PRÆFATIO IN NVMISMATA

PER FVLVIVM VRSINVM.

POPVLVM Romanum ab Vrbe condita ad Seruium Tullium regem, rudi (vt apud Plinium Timæus tradit) vſum ære, huius primum regis permiſſu, nota pecudum Nummos æreos ſignaſſe, a qua pecuniam appellatam fuiſſe, ſcribit cum Plinio & Plutarcho, M. Varro, qui in libro II. de re ruſtica, æs antiquiſſimum pecore notatum dicit. Quod autem in nonnullis Numiſmatibus, in vna parte Iani bifrontis imago, in altera prora nauis, aut puppis impreſſa reperiretur, occaſionem puto dediſſe quibuſdam opinandi, Ianum, ſiue vt alij malunt, Saturnum æreos Nummos primum percuſſiſſe: quarum quidem opinionum alterius teſtis eſt Athenæus lib. XV. in quo ita ſcribit: Ἰάνον δὲ λόγος ἔχει διπρόσωπον γεγονέναι, τὸ μὲν ὀπίσω, τὸ δὲ ἐμπροσθὲν ἔχοντα πρόσωπον. ἀπὸ τούτου τὸν ἰάνον ποταμὸν, καὶ τὸ ὄρος ἰάνον ὀνομάζεσθαι, κατοικήσαντος αὐτοῦ ὄρος. πρῶτον δὲ καὶ στέφανον εὑρεῖν, καὶ σχεδίας, καὶ πλοῖα. καὶ νόμισμα χαλκοῦν πρῶτον χαράξαι. διὸ καὶ κατὰ τὴν ἑλλάδα πολλὰς πόλεις, καὶ τὴν κατὰ τὴν Σικελίαν, καὶ Ἰταλίαν ἐπὶ τοῦ νομίσματος ἐγχαράττειν πρόσωπον δικέφαλον, καὶ ἐκ τοῦ θατέρου μέρους ἢ σχεδίαν, ἢ στέφανον, ἢ πλοῖον. Hoc eſt, Ianum ferunt fuiſſe bifrontem, duas enim facies ante & retro habuiſſe; ab eoque Ianum fluuium, & montem Ianum, quem incoluit, nomen accepiſſe. primum etiam coronam, pontes, & naues inueniſſe dicunt: primumque æreum Numiſma ſignaſſe: itaque complures ex Græciæ, Siciliæ, Italiæque ciuitatibus in altera Numiſmatis parte, faciem bicipitem, in altera pontem, vel coronam, vel nauim conſueuiſſe. Macrobius lib. I. Satur. Ianus, inquit, primus æs ſignauit, & ex vna parte ſuam effigiem, ex altera nauem impreſſit. Alterius autem opinionis autor eſt Eutropius lib. I. cum inquit, Saturnus Nummos æreos primus inſtituit. opinor autem in Iani Saturnique memoriam, ſed poſterioribus temporibus, hac nota æs ſignatum fuiſſe, cuius cum alij meminerunt, tum Ouid. in libro I. Faſt. cum cecinit,

Multa quidem didici, ſed cur naualis in ære
Altera ſignata eſt, altera forma biceps, &c.
At bona poſteritas puppim ſignauit in ære,
Hoſpitis aduentum teſtificata Dei.

Lactantius, libro I. Ianus Saturnum errantem ſuſcepit, cuius rei argumenta ſunt Nummi veteres, in quibus eſt cum duplici fronte Ianus, in altera parte nauis. Plinius libro XXXIII. cap. III. Nota æris ex altera parte fuit Ianus geminus, ex altera roſtrum nauis. Plutarchus in Poplicola: Καὶ τῶν νομισμάτων τοῖς παλαιοτάτοις βοῦν ἐπεχάραττον, ἢ πρόβατον, ἢ σῦν. Hoc eſt, Et vetuſtiſſimi Nummi boue, vel oue, vel ſue fuerunt ſignati. Idem in problematibus. διὰ


τί ὃ παλαιὸν νόμισμα τῇ μὲν εἶχεν Ἰάνου διπρόσωπον εἰκόνα: τῇ δὲ πλοίου πρύμναν ἢ
πρῷραν ἐγκεχαραγμένην &c. ἑτέρῳ δ' ἐχρήσαντο νομίσματι βοῦν ἔχοντι καὶ πρόβατον, «
καὶ σῦν παράσημον. Hoc eſt, Quid eſt, quod veteris Nummi altera pars Ianum «
bifrontem impreſſum habuit, altera proram nauis, aut puppim &c. alio «
vſi ſunt Numiſmate, cui bos erat inſculptus, vel ouis, vel ſus. Sed hæc quidem antiquiora: poſteriores vero ex ære Numiſmatum notæ eædem fere ſunt cum iis, quæ in argenteis & aureis nummis impreſſæ reperiuntur. Nummos autem huiuſmodi æreos libræ pondus habuiſſe, ſatis conſtat ex Dionyſij Halicarnaſſei verbis in lib. I. & Plinio, qui lib. XXXIII. cap. III. ita ſcribit, «
Populus Romanus ne argento quidem ſignato ante Pyrrhum regem deuictum «
vſus eſt. Libralis, vnde etiam nunc libella dicitur, & dipondius, appende- «
batur aſſis. Itaque Liuius in lib. IV. æs graue appellat, & plauſtris in Ærarium «
conuehi à quibuſdam ſolutum fuiſſe ſcribit. Indicibus, inquit, X. millia æris «
grauis, quæ tunc diuitiæ habebantur &c. Et quia nondum argentum ſigna- «
tum erat, æs graue plauſtris quidam in Ærarium conuehentes. lib. V. denis «
millibus æris grauis nos condemnat. Plinius ibidem. Quare æris grauis pœna dicta. Sed bello Punico primo, vt tradit Plinius, vt autem Feſtus, ſecundo, pop. Rom. preſſus ære alieno, libræ pondus imminuit, & vt aſſes ſextantario pondere ferirentur, inſtituit. Libræ autem pondus (inquit Plinius) æris immi- «
nutum bello Punico primo, cum impenſis Reſp. non ſufficeret; conſtitu- «
tumque vt aſſes ſextantario pondere ferirentur. Verba Feſti ſunt hæc. «
Sextantarij aſſes in vſu eſſe cœperunt ex eo tempore quo propter bellum «
Punicum ſecundum, quod cum Hannibale geſtum eſt, decreuerunt patres, «
vt ex aſſibus, qui tum erant librarij, fierent Sextantarij &c. Graue æs dictum «
a pondere, quia deni aſſes ſinguli pondo libræ efficiebant denarium ab hoc «
ipſo numero dictum. Sed bello Punico populus Romanus preſſus ære alieno, «
ex ſingulis aſſibus libralibus ſenos fecit, qui tantumdem valerent &c. Poſtea «
Hannibale vrgente (vt idem Plinius ſcribit) Q. Fabio Maximo Dictatore «
aſſes vnciales facti: & mox lege Papiria ſemunciales. Ex iis autem qui ſuperſunt æreis Nummis conſtat, non ſolum Sextantes, Quadrantes, & Trientes, qui vulgo reperiuntur, in vſu tunc fuiſſe, vt cuderentur, ſed reliquas etiam libræ partes: quarum quidem pondus punctis quibuſdam in altera Nummorum parte notatis, animaduertimus indicari. De Sextante meminit «
Liuius libro II. Plebs, inquit, extulit Agrippam Sextantibus collatis. de «
Quadrante libro III. cum inquit, Quadrantes in funere Poplicolæ collati, & «
Varro lib. IV. de Lingua Lat. Hinc vecturæ, quas ſoluebant hi, qui ratibus «
tranſibant, Quadrans: ab eo Lucilius ſcripſit, Quadrantis ratiti. Plinius lib. «
XXXIII. cap. III. Quadrans Triuncis antea vocatus a tribus vnciis. Feſtus «
Pompeius; Ratitum quadrantem dictum putant, quod in eo & triente, ratis «
fuerit effigies, vt nauis in aſſe. Atque hæc quidem ſatis de Nummis æreis, qui «
ſunt in hoc libro impreſſi. Dicendum nunc de argenteis, hoc eſt, de Denariis, Quinariis, ſiue Victoriatis, & Seſtertiis, quos conſtat anno CDXXCIV. C. Fabio Pictore Q. Ogulnio Gallo Coſs. primum ſignatos fuiſſe. Plinius lib. XXXIII. cap. III. Argentum, inquit, ſignatum eſt anno Vrbis CDXXCIV.

» Q. Ogulnio C. Fabio Coss. quinque annis ante primum bellum Punicum;
» & placuit Denarius pro x. libris æris, Quinarius pro quinque, Seſtertius pro
» dipondio & ſemiſſe. Florus libro xv. Ante primum bellum Punicum popu-
» lus Romanus argento vti cœpit. Eutropius libro. II. M. Æmilio Paullo. Ser.
» Fuluio Nobiliore Coss. primo bello Punico argenteus Nummus percuſſus eſt.
Argenti quidem notæ antiquiores fuerunt, Romæ galeatæ imago ex vna parte,
& Caſtorum ſigna equitantium ex altera, cum Victoriati haberent victoriæ
ſignum, à qua nomen acceperunt; poſtea vero retento Romæ capite, vel aliqua
tutelaris Dei imagine, in altera parte bigæ & quadrigæ notari cœptæ ſunt, a
quibus Nummi bigati & quadrigati nominati fuerunt. Liu. lib. XXII. & XXIII.
» Et Plinius lib. XXXIII. cap. III. Nota, inquit, argenti, bigæ & quadrigæ, &
» inde bigati quadrigatique dicti. Feſtus, Item Nummi quadrigati & bigati a
» figura cælaturæ dicti. De Victoriato meminit Varro, Cicero pro Fonteio,
» Liuius lib. XLI. & Plinius lib. XXXIII. cap. III. Qui nunc Victoriatus, inquit,
» appellatur, lege Clodia percuſſus eſt: antea enim hic Nummus ex Illurico
aduectus, mercis loco habebatur: eſt autem ſignatus Victoria, & inde nomen.
Sed Magiſtratuum, quibus cudendæ monetæ munus commiſſum erat, paulatim
» creſcente ambitione, vltimis Reip. temporibus, priuati etiam familiarum
» honores ex ſacerdotiis, magiſtratibus, triumphis, aliiſque actionibus (ipſæ
» enim familiæ, vt inquit Cicero, ſua quaſi ornamenta ac monumenta ſerua-
bunt, & ad memoriam laudum domeſticarum, & illuſtrandam nobilitatem
ſuam) in Nummis vt ſignarentur, permiſſum fuit, præter ipſas viuentium
imagines, quod vni tantum Cæſari conceſſerunt: nam Bruti caput, eius qui
Cæſarem interfecit, in ipſa bellorum ciuilium licentia percuſſum in iis denariis
reperitur, qui in tranſmarinis, vt opinor, prouinciis, non Romæ ſignati
fuerunt. Denariis igitur quod decem aſſium ineſſet pondus, Quinariis quin-
que, Seſtertiis duorum aſſium & ſemiſſis tertij, vnde etiam Denarij, Quinarij,
& Seſtertij dicti ſunt, ſcribunt præter Feſtum, Vitruuium, & Plutarchum,
Varro, lib. v. de Lingua Latina & Plinius, libro XXXIII. cap. III. Varronis
» verba ſunt; Denarij quod denos æris valebant, Quinarij quod quinos, Seſtertius
» quod ſemis tertius. Plinij; Argentum ſignatum &c. placuitque denarius pro
» decem libris æris, Quinarius pro quinque, Seſtertius pro dipondio & ſemiſſe.
» Vitruuij; In Denario denos æreos aſſes conſtituerunt, etiamque quartam eius
partem ex duobus aſſibus & tertio ſemiſſe, Seſtertium vocauerunt. Sed bello
Punico ſecundo argenti etiam pondus, quemadmodum æris ſupra diximus,
» imminutum fuiſſe ſcribit idem Plinius lib. XXXIII. cap. III. Q. Fabio Maximo
» Dictatore, inquit, aſſes vnciales facti: placuit Denarium ſexdecim aſſibus
permutari, Quinarium octonis, Seſtertium quaternis &c. Itaque XVI.
notam in Denariis: VIII. in Quinariis appoſitam tunc fuiſſe, in ipſis Numiſ-
matibus obſeruauimus. Denarij autem & Quinarij, qui antiquiores ſunt, præ-
ſtant pondere iis, qui poſterius cuſi fuerunt, vt recte Plautus in Caſina
dixerit,

Nam nouæ quæ nunc prodeunt cœmediæ,
Multo ſunt nequiores, quam nummi noui.

Quin etiam denario Antonium Triumvirum Reip. conſtituendæ ferrum immiſcuiſſe, alios e pondere ſubtraxiſſe, tradit Plinius libro XXXIII. cap. IX. quamvis lege Cornelia cautum fuiſſet, vt qui in aurum vitij quid addidiſſet, quive argenteos nummos adulterinos conflaſſet, falſi crimine teneretur. Victoriati pondus colligitur ex his Varronis verbis in libro IX. Nam quam rationem duo ad vnum habent, eamdem habent viginti ad decem: in Nummis in ſimilibus, ſic eſt ad vnum Victoriatum Denarius, ſicut ad alterum Victoriatum alter Denarius.

Exempla hic appoſuimus argenteorum Numiſmatum quæ paſſim occurrunt abſque alicuius Familiæ nota, cum tamen omnia Romana ſint, & ipſius Romæ, vel Iani, vel Iouis, vel Victoriæ imaginibus ſignentur: Idcirco ad INCERTA *referri poſſunt.*



Reliquum eſt vt de aureo Nummo aliquid dicamus, quem conſtat ex Plinij libro XXXIII. cap. III. poſt annum ſexageſimum ſecundum percuſſum fuiſſe C. Claudio Nerone, M. Liuio Salinatore II. Coss. quam argenteus ſignatus fuit; atque iiſdem fere impreſſum notis, quibus ex argento Numiſmata. Valuiſſe autem Denarios viginti quinque, cum ex ipſis aureis Numiſmatibus colligere poſſumus, tum ex Dione, qui libro LV. ita ſcribit, Χρυσοῦν γὰρ δὴ καὶ ἐγὼ τὸ νόμισμα τὸ τὰς πέντε καὶ εἴκοσι δραχμὰς δυνάμενον, κατὰ τὸ ἐπιχώριον ὀνομάζω. Hoc eſt, Aureum vero voco id Numiſma, quod viginti quinque drachmas continet, ſic enim noſtrates aurum accipiunt. Conuenit autem inter Scriptores drachmam Atticam Denarij Romani pondus

» habuiſſe. Dionis teſtimonio accedit Suetonij, Cornelij Taciti, & Plutarchi autoritas; Nam Suetonius in Othone cap. IV. ſcribit, Othonem quoties cæna principem acciperet, Aureos excubanti cohorti diuidere ſolitum fuiſſe: quam rem, in Galba narrans Plutarchus χρυσοῦς dixit, pro aureis; & Tacitus centenos Nummos, cum inquit, Quoties Otho apud Galbam epularetur,
» cohorti excubias agenti, centenos Nummos viritim diuidebat. Sed aurum
» primis temporibus decuplum argenti fuiſſe cum apud Græcos tum apud
» Romanos, ex Liuij verbis intelligere poſſumus, quæ ſunt in libro XXXVIII. vbi de Semiaureo loquitur, qui argenti portione decima tunc æſtimabatur, non vt poſtea, duodecima & dimidia, quando nequiores, vt Plautino verbo vtar, monetæ cudebantur. Pro argento, inquit Liuius, ſi aurum dare mallent:
» dare conuenit: dum pro argenteis decem, aureus vnus valeret. His igitur
» ex ære, argento, auro cudendis Numiſmatibus, quantum ex ipſis Nummorum inſcriptionibus coniicere licet, præfuerunt primum populi Romani Magiſtratus, qui Curatores denariorum flandorum dicebantur, nec enim alicui permittebatur priuatam pecuniam facere, vt ſcribit Aſconius Pædianus in libro III. in Verrem, ſed æs, argentum, aurum, inquit Cicero in III. de legibus, publice vt ſignaretur, lege cautum erat. Deinde Triumviri inſtituti fuerunt, qui monetales æris, argenti, auri Flatores ſunt appellati: quoſque deſcripſit Cicero in epiſtola ad Trebatium cum dixit, Treuiros vites cenſeo; audio
» capitales eſſe: mallem auro, ære, argento fuiſſent. Cæſare autem Dictatore
» rerum potito, & minorum Magiſtratuum Romæ aucto numero, ex Triumviris Quattuorviri facti, ad ſecundum vſque Triumviratus Reip. conſtituendæ quinquennium ſignandæ monetæ præfuerunt, vt intelligimus ex aureis, & argenteis Numiſmatibus, quæ ſunt in hoc libro ſuis locis impreſſa. Poſtremo Auguſtus ſuperato ad Actium M. Antonio, ciuilibuſque compoſitis bellis, ex Quattuorviris rurſus ad Triumviros redegit, vt ex Dione colligimus, & ex titulis Nummorum, qui ſunt Auguſto iam imperium adepto ſignati. Dio tamen in eo erraſſe videtur, Quod Triumviros inſtitutos primum ab Auguſto ſcripſerit, cum redactos ex Quattuorviris dicere debuiſſet; arguentibus eius erratum ipſis primum Numiſmatibus, deinde Ciceronis verbis, quæ ſupra adduximus ex epiſtola ad Trebatium, quam conſtat multo ante Auguſti tempora, ſcriptam fuiſſe.

IN EFFIGIEM
CAROLI PATIN, D. M. P.

Fascibus hic dignus, Faſces qui reddidit orbi,
Conſulibus ſuas, ingentia nomina, gentes:
Principus vitam multis, populiſque ſalutem
Hiſtoriâ ſeruat: ſed pluribus Arte medendi.

P. Legier, M. P.

ALIVD.

Per quem Clarorum tot cernimus ora virorum,
Os non debuit hic diſſimulare ſuum.

Car. Flevry, Aduoc. Pariſ.



PRÆFATIO,

PER CAROLVM PATIN.

DVOBVS *viuendi ratio continetur, præceptis & exemplis, quorumquidem alterum regit, alterum inuitat: inde diſciplina morum & Hiſtoria, quarum altera diligentius & ſeuerius inſtituit animos ad virtutem, altera paulo laxius & hilarius, quaſi aliud agens quid faciendum fugiendumve demonſtrat. Quapropter ea non tantum* VETVSTATIS NVNTIA, *ſed* VITÆ MAGISTRA, *cui tanto melius moderatur, quanto iucundius & breuius & efficacius. Quid enim dulcius enarratione rerum geſtarum, qua quidem ſic duci nos voluit Natura, vt ab ortu huius amorem nobis inſeuerit. Mirum eſt quantum Fabulis geſtiant non pueri tantum, ſed ætate proueƈtiores, quibus non fuit ſatis res ex veritatis fide permultas deſcribere, niſi immenſam hanc rerum copiam adjeƈta figmentorum multitudine quaſi congeminarent. Inde Poëtarum inuenta, inde Hiſtoriæ quaſi laſciuientis, & in ſuo fundo luxuriantis lenocinia quædam, cum ita Veritas ornatur, vt iam neque ſe agnoſcere, nec ab cæteris dignoſci queat. Quid vero minus faſtidioſum, quid ad inſtitutionem vitæ breuius & expeditius quam cum, præciſa omni verborum inanitate, ingentium facinorum exitus perſtringitur. Quis eſt, qui quidem vitam paulo rimetur diligentius, quin abſconditas quaſdam ſub exemplo præceptorum quaſi venas effodiat: quin ſub aliena perſona ſuos vultus agnoſcat: quin ſe clanculum & poſt ſiparium morderi vel collaudari ſentiat. Quibus omnibus vt nulla directior ad virtutem via, ſic nihil ad deducendos aut abducendos vnde velis animos potentius excogitari poteſt: Atque morum quidem doƈtrina quid faciendum ſit indicat, quod multi ab hac, aut durius præſcribi criminantur, aut audacius. Quapropter non defuerunt etiam boni, qui Virtutem in ſermonibus hominum magnificam agnoſcerent, reipſa cum ventum ad verum eſt, futilitatis & inanitatis & arrogantiæ accuſarent.* HISTORIA *vero non tantum quid agendum ſit edocet, ſed quid fieri poſſit, nec vanis ducit pollicitationibus, ſed euentus ipſos rerum præſtat, quibus probatur, quid ferat, quid renuat humana conditio. Atque mihi quidem in omnia hæc inſpicienti, præclarum inuentum viſum eſt eorum qui potius rerum geſtarum enarratione, quam Sophiſtarum declamationibus Principes informant. Exemplis maxime ducuntur homines & inflammantur ad virtutem, cuius quidem ſpecies mirum quantum nos commoueat: cum vero hanc veluti viuentem, & agentem videmus, abripimur*

pene inuiti, vt hominem ex homine exuere ſæpe videamur. Quam multi cum efferam & immanem indolem a natura haberent, quæ non doctorum emendatione, non adhortatione, non minis & increpatione, non pœnis, ad bonam frugem adduci potuerant, vno conuictu & colloquio bonorum, meliores facti ſunt. Pudet eſſe tam paucos, vnde ſumere poſſis exemplum, tanto magis eſt vigilandum vt ex anteactis ætatibus, eos reuoces in memoriam, atque in apertam lucem educas, qui vni omnium optimi viſi ſunt. Hos enitendum eſt vt in manibus habeas, vt tractes, vt compellare & quaſi alloqui poſſis. Alterum Hiſtoria præſtat, alterum NVMISMATVM *tractatio, quæ non tantum ad fidem faciendam pervtilis, ſed ad oculorum oblectationem perjucunda, ab his omnibus habetur, quos non piguit occupatione tam liberali res ſerias diſtinguere. Me certe non pudebit confiteri vnum hoc mihi vel præcipuum laxamentum Medicinæ ſiue diſcendæ ſiue faciendæ fuiſſe. Nec vllum eſſe puto litteratum, quin huius operæ jucunditatem & doctam voluptatem in officij parte collocet. Nam cæterarum elegantiarum lautitiarumque genera, partim contemnenda & omittenda: ſi quarum autem rerum amor laudabilis eſt, harum nulla eſt cui vel non anteponi, vel non anteferri noſtræ mereantur. Equos amant multi, pauci poſſunt alere; Principes vnos decet hæc cupiditas; in qua vt nobilitatis a maioribus partæ, a ſe conſeruandæ inſtrumenta diligunt; ita belli ſubſidia & ornamenta pacis, in qua ne belli quidem meditationem debent omittere: his impoſiti per venationes pugnarum imitamenta ſibi fabricantur, eo quod prædicamus ſtudio tanto inferiora, quanto præſtat exercitationi corporum mentes alere & ſuſtentare, quod omnis pene fortunæ & omnium horarum eſt: itaque latius patet & prodeſt vberius: Pictis alij tabulis tenentur, in quibus & naturam vigere, & egregia facinora quaſi peragi videntur: Occurrit tamen hæc inter ſe ponderanti, quod cum id commune habeant, vt lineas rerum extremas, & quid ab hominibus magni patrari poteſt exhibeant, id Numiſmatum ſit proprium, quod quæ repræſentant, probent, eorumque teſtimonio conſtet ea voluptas quæ ex picturis capitur, quarum in vna veritate poſita potiſſima gratia eſt, quam reddere & ornare poſſunt, probare nequeunt. Tertium reſtat genus eorum qui primas Libris deferunt, quibuſcum nulla mihi contentio futura eſt, ſi mihi lectionis vtilitatem, imo neceſſitatem vltro confitenti, id vnum dant quod eripere nemo poteſt: ſuos etiam vſus, ſuas habere veneres, hanc Artem quas opinor extollere licet, litterarum magnitudinem & grauitati nihil detrahentem. Et certe ne nos quidem ex toto ſumus earum ignari; juuerunt me ſæpe, nec id tantum quod mihi præcipuum eſt, medendi rationem & præcepta, ſed ea ipſa quæ nunc obiter tracto, docuere. Nec Libros tantum vt beneficos amo, ſed vt familiares, & longa mihi conſuetudine coniunctos: Inſeuit iſtud mihi Pater Optimus,* GVIDO PATIN, *Doctor Medicus Pariſienſis, & Profeſſor Regius, & in eorum quaſi contubernio voluit adoleſcere, quos non modo toto pectore, ſed & mente complectitur, quos in hac mediocritate fortunæ, tam multos, tam delectos habet, vt præter Nobilem* IACOBVM MENTELIVM, *Cl. Collegam, vix quemquam hac ſupellectile tam bene inſtructum habeas. Id tamen in tanta mihi cum Libris neceſſitudine & coniunctione audacter pronuntio, quod cum in his iucundiſſimum & ad recipiendos a grauiori lectione neruos aptiſſimum ſit Hiſtoriarum genus, eorumque gratiam mirum in modum augeat Numiſmatum aſpectus, triſtiorum diſciplinarum & ſeueriorum laudes & gloriam ſibi bona ex parte vindicat, quæ ipſo ſtudio iugi & aſſiduo naſcuntur, huic autem ſuſtentando*

tando

dando nulla gratior, nulla liberalior voluptas fingi aut excogitari poteſt. Hanc inter liberales delicias venatur Vir ille librorum, imaginum, & antiquitatum ſtudioſiſſimus MICHAEL DE MAROLLES, *Abbas* DE VILLELOIN, *quorum omnium ſcientiam, ſanctitate & facilitate morum longe ſuperat. Nulli tam præſtituta eſt materia in qua ſe exerceat, quin liceat ad alia nonnunquam excurrere. Vnicuique opus vnum propoſitum eſt, πάρεργα plurima eſſe poſſunt, quæ quidem in tranſitu quaſi delibare licet; his vero adhæreſcere non licet. Damnatur Nero quod multis artibus dederit operam, vt cum magiſtris coram plebe contenderet, ignarus ſibi & aliis dominandi, cum ſtupris tantum & adulteriis & crudelitate Principem ageret: itaque* MAGNVS *licet* ARTIFEX *periit. Commendatur Hadrianus quod cum imperio terrarum Orbem coërceret, cum terras, maria, pedeſtribus naualibuſque copiis operta teneret, cum ipſe gentes omnes peragraſſet, tantum majeſtatis vni Deorum numini ſecundus, terrorem humaniorum artium ſtudiis condiuerit, in quibus ita excelluit vt magiſtros vinceret: Tantus eſt in recta & egregia indole horarum bene collocatarum fructus! Ego vero tametſi non ita bene ad diſciplinas a natura comparatus, qui induſtria parum, ingenio minimum valeo, tamen enixus ſum vt ſi quid ab ſtudio vel vſu medendi, vel amicorum temporibus & vrbanioris vitæ officiis ſupereſſet, id totum in hoc impenderem, vt in Hiſtoriis & Numiſmatis quæ ad illuſtrandam Hiſtoriam aliquid conferre poſſunt, ſi non mediocrem, ſaltem aliquam facultatem mihi compararem; quod an effecerim, peritorum & intelligentium eſto iudicium: Me certe nec operæ vel diligentiæ pœnitet, quam non licuit adhibere maiorem, nec pudet euentus, ſi modo dum aliquantulum huius rei prouehere ſtudia meditor, nec omnino hebes videor, nec officij mei negligens, quod ab vllo vnquam fruſtra expetitum, nemo eſt hominum qui mihi iure poſſit exprobrare. Longum eſſet eos enumerare qui mihi in eadem arte & inſtituto principes & autores exſtiterunt. Plena vita eſt Medicorum, qui eodem ſimul antiquitatis ſtudio flagrant. Nam quid eos commemorem qui de Re Nummaria ſcripſerunt, quos quidem omnes peculiari ſcriptione complectar, ne huius orationis curſus nimium interpelletur. Nunc quoniam de me vel ad confutandos inuidos vituperatores, vel ad placandos beneuolos obiurgatores dictum ſatis eſſe puto: Tertium genus aggredior eorum, quod non mihi magis infenſum eſt quam cæteris qui, qualeſcumque fuerint, in his rebus elaborarunt. Scilicet homine imperito nuſquam quidquam iniuſtius; atque ea quidem quæ ab iis iactari ſolent, eo redeunt omnia.* Turpem eſſe nugarum difficultatem, & ſtultum laborem ineptiarum: *quorſum enim in ſcrutis & quiſquiliis ætatem conterere, in apicibus & litterulis inueſtigandis, animo & oculis contendere. Suſpenſum eſſe & anceps antiquitatis iudicium; quoties enim etiam peritorum illuſum eſſe diligentiæ, cum nouum pro antiquo Nummo ſubmittens artifex, apud ſe ridet inſanam Curioſi ſolertiam, induſtria & iudicio ſuo pereuntis: quæ quidem cum ingenti volubilitate verborum, & imperioſa quadam imperitia ab his effutiuntur, non facile eſt coërcere, cum vero reſedit impetus, vno riſu diſſoluuntur. Nam quem aiunt eſſe laborem luſus eſt: quas vero vocant nugas, ea ſeria ſunt. Vt enim ſuperiora mittam, nulla alia ratione Conſulum, Imperatorum, & Regum gloria gentibus exteris innotuit, quippe tam breuibus formis tanta per hominum oculos circumferebantur, vt nihil eſſet magnum quod non hoc quaſi præconio celebraretur. His Profectiones, Expeditiones, Victoriæ, Triumphi, Connubia, Liberi,*

Fœdera, Conſecrationes, templorum Dedicationes, Cerimoniæ Deorum, Decurſiones, Amphitheatra, Deductiones aquarum, Congiaria, Donatiua, omnia denique domi, foris, pace, bello peracta continentur, vt rei huius gratia quam illi tam faſtidioſe dedignantur, Senatus ſæpe numero conuocatus ſit, vt his litteris S. C. apparet, quæ toties in veteribus Nummis occurrunt. Magnam habent oſtentationem Statuæ, quarum ius, quod imaginum vocabatur, vnis primariis viris concedebatur. Vultus autem ſuos excudendi poteſtas vnis Regibus eſt conceſſa: nec quiſquam vnquam hoc ius tulit niſi prærogatiua quadam ad ſummum autoritatis & gratiæ culmen a Principe eſt euectus, quod de Beliſario legiſſe memini: inde ſacra Moneta, quod eorum haberet effigies, qui vnis Diis ſecundi, ſacroſancti habebantur. Atque etiam poſterioribus temporibus, cum religionis amore flagrarent Chriſtiani, quippe nunquam grandior quam natalibus ſuis fuit religio, cum hocce honore indignos ſe agnoſcerent Imperatores, Chriſti ipſius faciem non dimidiam, vt ſolet, ſed integram pecuniæ inſculpſerunt, quod ab Iſaaco Comneno omiſſum, illi poſtea ab hiſtoricis exprobratum fuiſſe, Zonaras prodidit. Quibus patet quanta horum monumentorum dignitas fuerit; quantus autem ſit vſus, non tantum ad inculcandam hiſtoriam, quod ſupra me docuiſſe memini, ſed etiam ad veteres vel emendandos vel intelligendos legenti ſatis apparet, vt in his bonam artis ſuæ partem litteratores poſitam eſſe confiteantur. Nec minora inde etiam oriuntur plaſtices & picturæ documenta, quæ artes vix dici poteſt, quantum Antiquitate gaudeant, quantum illi ſeruiant imitando, quam non ab his exemplaribus recedant in noſtris etiam exhibendis rebus, quod cum his vitio iure verti poſſit, ita laudi dandum eſt, dum in Romanis & Græcis formis ea ſequuntur, a quibus diſcedere decet neminem. Quod autem difficile iudicium Antiquitatis arbitrantur eſſe, recte aiunt mea quidem ſententia; ſed non ea omnia, vel deſpicienda vel deſperanda ſunt quæ difficultatem aliquam habent, quod ſi eſſet, quidnam eſſet magnum. Dum vero quorumdam errores in contemptum artis trahunt, dupliciter falluntur: nam & oculis exercitatis raro imponitur, & ſi quando id fit, humanæ conditioni dandum potius, quam homini exprobrandum eſſe iudico. Quod ſi artes eas quarum vſus aliquando non reſpondet, eas nullas eſſe putaremus, quid Gubernatoribus, quid Medicis, quid ipſis artis artium magiſtræ, hoc eſt Politices Profeſſoribus fieret, qui quidem non certa rerum ſcientia nituntur, ſed iis ducuntur coniecturis quæ nonnunquam, ſed raro decipiant. Quid, quod ipſa veritatis norma numerorum, magnitudinum, motuſque ſcientia, quam diſciplinam ideo veteres μαθηματικὴν nuncuparunt, quod omnium maxime hoc nomine dignam arbitrentur. Quid, inquam, ea ipſa, cum ventum eſt ad vſum, ſæpe fallitur; an ideo vel repudianda eſt, vel operarij deſpiciendi: mihi vero non tam contemnendi videntur, quod aliquando, quam laudandi quod non ſæpe, decipiantur. Hic locus eſſet tradendi notas quibus verum a falſo Numiſmate diſtinguitur, nec pigeret, cum præſertim & occaſio & tempus id ferat & flagitet noſtrorum hominum vtilitas; ſed ea res eſt quæ ſermone declarari non poteſt, vſu atque ipſa tractatione facile diſtinguitur. Neque enim rubigo, nec attritio, neque ea quæ plebi ſunt in promptu, certa poſſunt eſſe Antiquitatis argumenta cum nitidiſſimi & integerrimi Nummi ſæpe ſint apud rei huiuſce peritos, Antiquitatis indubitatæ. Aliis & reconditioribus notis res agnoſcitur; ſcilicet quemadmodum arti Medicæ, ſic cuilibet, ſuæ ſunt ἰδιότητες ἄῤῥητοι, quæ quidem dum ambage verborum deſcribuntur, nihil in animis auditorum relinquunt, præter inanem ſonum & opinionem

eius ſcientiæ quam falſo ſibi perſuadet ex oratione præceptoris hauſiſſe. Nunc quoniam docuimus nec inutilem nec vanam eſſe Numiſmatum ſcientiam, ſupereſt vt de huius Operis inſtituto dicamus. Ea eſt natura hominum vt ad difficilia nitatur, obuia relinquat: in quo quidem iure culpatur cum ſola difficultas quæritur: quamquam enim quod pulcherrimum & optimum eſt, id ſolet eſſe laborioſum, tamen non continuo quidquid ærumnoſum, illud egregium eſt: dum vero laboris moleſtia fructum habet vtilitatis, quid eſt quod diligentiam accuſemus eorum quos potius vel imitari, vel ad hunc gloriæ curſum incitare deberemus. Itaque magna mihi videtur deberi laus iis, qui cum rem Antiquariam tradere ſuſceperint, non tantum propinquos nobis riuos e quibus procliue eſt haurire ſectati ſunt, ſed ad ſcaturigines vſque penetrare ſuſtinuerunt. Quanto vetuſtior eſt Antiquitas tanto reconditior, tanto illuſtrior. Magnum eſt initia rerum noſſe, maius dediſſe: procliuis eſt ad incrementum via, nuſquam maior quam in ortu labor & difficultas eſt. Quæ iam prouecta ſunt, ea per ſe ſtant: puſilla vix etiam multis adnitentibus adminiculis ſuſtentantur. Rem Romanam quod opimam ſibi traditam diu ſeruauerint Auguſti ſucceſſores, non tam eſt admirandum, quam pudendum quod aliquando perdiderint. Illud vero mirificum, quod a paſtoribus inceptum tumultuarium imperium, ad Auguſtum vſque ſeptingentis annis in tantum ſeſe dilatauerit, vt vnicum fuerit Diuini ſenis, Imperatoris Optimi votum & præceptum, ne ſtuderent poſteri tantam ditionem ampliare, quibus vnica hæc gloria reliqua eſſet parta conſeruandi. Hanc ſexcentorum annorum clauſulam complectitur hoc Opus; heroïca, vt ita dicam, Imperij omnium maximi tempora. Quidquid enim prudenter domi foriſque deſignatum & deliberatum, quidquid aſtute aut fortiter perpetratum eſt, victorias, clades; triumphos, luctum; virtutem, vitium; omnia ſumma hac ætate continentur. Præclarum incœptum, ſed meis viribus maius, niſi Vrsinvs *& audaciam incipiendi & viam perficiendi monſtraſſet. Nec illi ſatis fuit inchoaſſe, quamquam & hoc magnum eſt, tantum in rudi & inculta ac ignota diſciplina profecit, vt poſteris nihil pene reliqui fecerit. Quam culte autem & vrbane ſcripſerit, nemo neſcit qui quidem vel paululum deguſtauerit humanitatis. Ita dico, ſi ipſi res ſuas Romani meliorum ſæculorum quæ deſcribit, explicare eſſent aggreſſi, non puto vel diligentius vel clarius vel vrbanius tradituros fuiſſe. Quanta ille ingenij alacritate & perſpicientia res obſcuras inueſtigat & detegit: quanta pudicitia, vt ita dicam, & maieſtate ſtili perſequitur: quam diligenter omnia ad conſilium & inſtitutum ſuum ex illo infinitæ pene ſcientiæ theſauro reuocat. Tanti fuit olim inueniſſe quod prodeſſet humano generi, vt ipſa artium rudimenta primaſque quaſi lineas conſecrarent Veteres, atque ipſos artium autores in Deorum immortalium numerum referrent: quantum Vrſino debemus qui primus incipiendo rem confecit. Tanti Scriptoris opus plenius & cumulatius quod facere ſtuduerim mirum non eſt, nec ea mea gloria eſt quod perfecerim: temporum eſto beneficium, quæ quidem omnibus artibus allaborant, nouique ſemper aliquid in lucem proferunt, quod vetuſtioribus addatur. Hoc ſubſidio quod fuerim vſus in reſtituendo Scriptore eximio, nemo eſt hominum qui grauiter ferat, quin viuis inuideat & mortuis. Nec enim mihi tantum prodeſt, aut ceteris qui ſunt & futuri ſunt illud quod feci (quamquam primus in quolibet artificio fructus eſſe ſolet opificis artem exercentis quam nouit) Vrſino etiam prodeſt, cuius votum illud fuiſſe ſuſpicor, non vt ſolus, ſed vt Princeps*

in hoc genere iuuaret mortales. Cuius enim eſſet proteruitatis & veſaniæ, optare vt ſi quid occurrat in poſterum, quod noſtris addi poſſit, illud tectum teneatur, nec quiſquam audeat res noſtras, tanquam ſacræ ſint, attingere, etiam ſi ampliores inde maioreſque futuræ ſint. Mihi certe non tam religio & pietas in maiores illud videri ſolet, quam inuidentia quædam & odium in poſteros. Contra vero humanitatis plenum expetere vt ſi quid noſtræ (vt ſunt humana) diligentiæ elapſum eſt, illud reſtituatur. Quiſquis enim ſibi tantum, non aliis ſcribit, ille negligendus vt ſuus nimium; qui aliis ſtudet ille amplectendus eſt. Hac ego mente, hoc animo Vrſino incubui, non vt induſtriam oſtentarem, atque ex alienis vitiis mihi gloriam ambitioſe quærerem, quæ mihi quouis opprobrio pejor videretur; ſed vt Autori iam præ Exemplarium penuria pereunti, lux cum aliquo fœnore reſtitueretur, quod huic tanquam optimo duci ἀντιπελαργίας δίκην debere me exiſtimaui, & in perpetuum profiteor. Hoc vnum me in animo habuiſſe facile perſpiciet quiſquis noſtra ſupplementa leget: nec enim faſtum ſibi plaudentis & aliis inſultantis reperiet, nec glorioſam hanc & inanem diligentiam congerendis minutiis, quæ Vrſino oneri & impedimento potius quam ornamento futuræ fuerant. Quod autem illud mihi cordi fuit, vt cum nullius contumelia vel opprobrio meam, ſi qua tamen eſt, gloriam communicandam putarem, ſi quando lapſus eſt Vrſinus, quod etiam Hippocrati noſtro & Galeno, viris Doctorum propemodum diuinis Principibus, non ſemel vt ipſimet fatentur contigiſſe memini; peperci quantum potui Scriptoris eximij laudibus, atque huius orationem cum mea ita coniunxi, vt vnum corpus efficerent. Ita vbique vel ego ex Fuluij perſona, vel Fuluius ipſe per ſe loquitur. Ne autem aliquam tanto Viro maculam aſpergerem; neque quod Horatius culpat,

——— purpureus vnus aut alter
aſſuitur pannus, ——— ———

mihi in contrarium vitio verteretur, ſi pannoſam, vt ita dicam, orationem cum Vrſini purpura miſcere atque confundere ſtuduiſſem: curaui vt alio typorum genere ea cuderentur quæ a me veluti ſubminiſtrata ſunt. Ita & mihi proſpectum eſt, ne nihil egiſſe viderer, & huic ne alieni erroris inuidiam ſuſtineret. Ac vereor etiam quod illius pace dictum eſt, quem Scriptorum potiſſimum & maximum iudico; vereor, inquam, ne nimis huic aliquando peperciſſe videar, dum ea reliqui quæ ſi ſuſtuliſſem, nec Operi nocuiſſem, quod hic tam carere facile poteſt vt melius inde futurus fuerit, & compendium lectoribus, operæ ſuæ temporiſque feciſſem. Velut in gente Arria, dum de clathris loquitur, hanc vocem ita excutit, vt ſuam Hiſtorici perſonam exuiſſe, litteratoris induiſſe videatur, quod profecto ſine huius diſpendio induci potuerat: ſed eo modo quam contrario in illum peccare malui. Ita quod Galenus ille, Hippocrati noſtro præſtitiſſe gloriatur, vt ambigua diſſolueret, obſcura declararet, manca ſuppleret; illud an effecerim neſcio; conatus ſum quidem certe: quod vero effecit ille vt ſuperuacua reſcinderet, illud ne conatus ſum quidem: tanta mihi fuit religio ne violarem hominem, de me & omnibus Antiquitatis ſtudioſis optime meritum. Quæquidem omnia non mihi tantum accepta ferenda ſunt, ſed ijs etiam quorum aliqua in eo pars laboris vel ſubſidij fuit. Quamquam enim ea habeo in manibus, ſiue ad Conſulares, vt aiunt, Nummos omnis generis, ſiue ad Imperatores pertinet, vel maioris vel minoris æris quæ vix quiſquam (præfiſcine dixerim) huius ætatis aut ſortis vnquam habuit; non fuit tamen huius aut ætatis,

aut conditionis omnia habere. Itaque quamquam nec diligentiæ in quærendo, nec in emendo pecuniæ peperci, fuit nihilominus & ſæpe quod alio excurrerem. Præcipuum mihi perfugium fuit SEGVINVS *ille, Vir vt compoſitiſſimis moribus, ita inſtructiſſimis, & optime diſpoſitis, Antiquitatum omnium & præſertim Conſularium ſcriniis; doctrina vero tanta, vt puderet eo viuente tale Opus animo deſignaſſe, ſi ſatis illi temporis feciſſent reſiduum ea munera quibus magna cum laude fungitur. Nec ille tantum ſuppeditandis & commodandis Numiſmatis annixus eſt, quod quam liberaliter fecerit perpetuo meminero, ſed ſæpe etiam explicandis. Id autem quam acute ſoleat, ſpecimen eſto Epiſtola hæc quam ſcripſit ad Ill. Virum Gothifredum, qua nihil ornatius aut doctius aut ingenioſius excogitari poteſt. Atque ille etiam mearum elucubrationum arbiter eſſe tulit, quod officium illi erga me cum Illuſtriſſimo* LOMENIO *Briennæ Comite commune eſt. Hic ille eſt Vir acri ingenio, expedito ſermone, iudicio ſagaci, animo prompto, eleganti doctrina, ſenili prudentia, vigore iuuenili: Qui quidem vnus fortaſſe inter æquales ita partiri nouit tempora, vt dum ampliſſimo Munere abunde fungitur, quod maxima totius Orbis cum potentiſſimo regno negotia complectitur, ſeponat aliquid pretioſiſſimæ mercis, hoc eſt temporis, quod ſuis & amicorum ſtudijs impendat. Vtinam tali commendando Viro mihi præſto ſit, qualem ſe mihi commodare dignatus eſt, dum Operi præfatus,* SEGVINO & BRVNOTIO *pro me perſoluit gratias, ſed profecto qui hos tam magnifice laudauit, is etiam inuitus effecit ne ſua laus vnquam intercideret. Nolim tamen his Arbitris obijci, ſi quid demiſſum aut minus grande ac plebeij ſaporis in his meis ſcriptionibus occurrit. Neque enim fuit beati huius otioli omnibus adhæreſcere, nec liberalitatis & humanitatis qua abundant, ſeuere ad ſuperbum hoc, vt ait Tullius, aurium iudicium omnia reuocare. Fecit hoc aliquando* DODARTVS *ille Collega meus, & ſubinuitus fecit. Atque ecce ille mihi manum inijcit ad ſuæ induſtriæ commendationem tota mente feſtinanti. Non tamen prohibebit quin & politiſſimum ingenium & orationis vrbanitatem atque elegantiam & acumen conijciendi commemorem. Vtinam induci poſſet, vt de his ſcribere vellet: quamquam enim talia non diu tractauit, ſatis apparet, hunc in illis quemadmodum & his artibus libero dignis quas oblectamenti cauſa pene etiam puer didicit, non deſiderare indocilem vſus diſciplinam; atque illud omne nihil eſt præquam quod in rebus Medicis eſt aſſequutus, quibus iam diu ſe totum addixit. His adiutoribus & conſultoribus ad exitum perductus eſt ille Liber, qui vt nitidior in manus noſtrorum hominum perueniret, omni cura, labore, meditatione prouiſum eſt: primo enim non ea tantum quæ ſuppleuimus, ad normam vetuſtorum Nummorum exacta ſunt, ſed etiam quæ Fuluius tradiderat: quod quantum profuerit, vnus fortaſſe noui: facile autem agnoſcet quiſquis hæc diligenter inter ſe comparabit. Deinde notas appoſui quibus metallum & magnitudo deſignaretur, vt AV de auro ſit intelligendum AR de argento, Æ de, ære, P de plumbo, quod vnum in gente Pedania reperitur, quamquam ex Plauto & Martiali, ſuſpicio ſit olim e plumbo cuſum fuiſſe monetæ genus. Modum indicant numeri, vt nota 1 minimum nummum, 2 mediocrem, 3 maximum denotet; denique additi Nummi habent Aſteriſcum. Quamquam autem omnes neruos contendimus vt caſtigatiſſimus Liber e manibus noſtris prodiret in publicum; quædam tamen noſtram diligentiam effugerunt: nam & omiſſa quædam, & quod eſt grauius, nonnulla perperam addita, quæ tamen perpauca ſunt: nam ſi duos Nummos excipias qui ſub finem gentis Antoniæ ſunt additi, vix vſquam*

quidquam vitij reperies. Nec nos noſter error, ſed aliena fides in fraudem induxit, quippe cum hos Scriptor noſtrorum doctiſſimus eſſet interpretatus, excerpſimus ex eo quæ in rem noſtram conueniebant. Cum autem archetypos nobis Illuſtriſſimus LOMENIVS *commodaſſet, mendum ex rei veritate correximus; ſed ſublatis Typis, oratio relicta eſt. Quæ vero a nobis omiſſa ſunt bonam partem nullo meo peccato, ſed caſu quodam exciderunt: nam cum iamdiu ad Regis Potentiſſimi ſcrinia flagitaſſem adeundi licentiam: meque ille, vt eſt omnium in tanta ſua potentia gentium omnium obſequio benigniſſimus, perquam liberaliter excepiſſet,* BRVNOTIVS *autem Abbas Muſæi Præfectus obſecundaret Principis Optimi mandatis: tamen neſcio quo fato tam infeliciter omnia ceciderunt, vt nonniſi progreſſo multum Opere, & pene ad vmbilicos perducto eorum copia nobis fieri potuerit. Ita omnia pene in finem reiecta ſunt quæ ſuo quæque loco reddentur ſi quando nobis hunc Librum iterum incudi reddendi dabitur occaſio. Interea ſi cui quid in mentem venerit quod vel addi vel detrahi vel emendari denique debeat, id ſi mecum conferre voluerit, erit mihi maiorem in modum gratum, nec eum debito gloriæ fructu priuabo. Ne quis autem ideo nos reprehendat, quod quædam ſecus ac ab Fuluio fuerant diſpoſita a nobis alio conuerſa ſunt: inuitis nobis illud contigit, quod eam ſeriem interturbaret conuerſio, cui diu iam ita aſſuefacti erant Antiquarij, vt non Typo vel inſcriptione, ſed numeris Nummos deſignarent, nec tamen ideo res infeliciter omnino cecidit, nam cum neceſſitate quadam adductus, quædam interpoſuiſſem quod quidem ſine rationum & numerorum perturbatione fieri non poterat, nec tamen aliter affines, vt ita dicam, & cognati Nummi diſponi poſſent, vſus ſum foro, ac neglecto ordine hoc fictitio qui ſtare non poterat; verum ordinem ſuppleui ex ratione temporum & Familiarum, quibus ſæpe permultis vna gens conſtat, vt vnuſquiſque Nummus ætati ſuæ & Laribus propriis reſtitueretur. Vltima noſtra cura fuit cælaturæ. Quamquidem quid collaudem & doctam artificis manum, res maximas opificio tam minuto diligenter complectentis! Nec enim meum tale iudicium eſſe puto, vt eius gloriam augere poſſit, quæ iam ad ſummum in hoc genere peruenit, nec tantam cuiuſquam inuidentiam vt opus elaboratum arte politiſſima audeat perſtringere: quod ſi quis aggrediatur, facile quidem illud nobis etiam ſilentibus ſe defendet. Quis enim eſt qui quidquam in his reprehendat, ſeu extremas lineas ſeu diſpoſitionem conſideret. Exempla vero cum exemplaribus ſi conferas, præſertim quod ſpectat ad Illuſtrium imagines, non aqua aquæ magis reſpondet. Sed hæc ad Sculptoris laudem dicta ſunto, quem quidem debito diligentiæ teſtimonio priuare nolui, cum præſertim noſtra ſit pars aliqua commendationis, quod ad hunc omiſſis aliis nos noſtrum iudicium deduxerit: quæ quoniam ad temporum meorum rationem reddendam atque ad huius operæ conſilium enarrandum dicta ſatis arbitror, reliquum eſt vt iudicio poſteritatis, qualecumque futurum erit, acquieſcam.*

Triſtanus a Sancto Amante.

SEQVITVR VT QVOD SVPRA SVM polliċitus, otioſius paullo eos enumerem, qui in hoc Numiſmatum ſtudio primas tenent, atque eos qui de his ſcripſere.

ILLE ipſe Rex noſter Optimus, cuius ad exemplum componimur, Dux nobis & autor tam doctæ Curioſitatis eſt. Non amore tantum Muſas, ſed & contubernio complectitur: vult aſſidere ſibi, vult accumbere. Nec his contentus eſt tam ſuperbis ædificiorum molibus, quibus cæteras omnes regias ſua ſupereminet; magnificentius adhuc habitare vult Muſarum aſſeclas, venuſtulos, polituloſque Diuos; quibus per peritiſſimos Architectos iam tabernacula deſignauit: documento nobis poſteriſque futura, non magis illum Belli coluiſſe Numina quam Pacis: facilemque & æquum ſe tranquillis hiſce ſtudiis præbuiſſe, quem inter tubarum clangores & tormentorum bombos bellica virtus terribilem fecerat. Nec de nihilo eſt, quod his operam dat Princeps Auguſtiſſimus, nihil inuenies eo cimeliarchio ſuperbius, quod tanto honore dignatus eſt. Nihil ad hoc commendandum opus eſt laudibus, nuda ſimplicique deſcriptione ſatis commendatur, in quo minimum eſt quod auro & argento refertum eſt: alibi fortaſſe reperies quo pondus pondere poſſis rependere; at eos typos, inſcriptiones, vbi tot Conſulum, tot Imperatorum, ex auro & argento Numiſmata, moduli maioris inuenias, non habes. Tot ex ære & marmore ſtatuæ, ſeu noui, ſeu antiqui operis, tot picturæ, tot rudimenta, & ipſam etiam concharum ſupellectilem, denique quantum eximiarum rerum in vnum cogere potuit GASTONIS *Ducis Aurelianenſis profuſa & ſedula triginta annorum inquiſitio & felix curioſitas. Hæc cum videas, Principis opus, Regium munus agnoſcas: plura ſciens volenſque taceo; ſatis iam fama docet quid de hoc cogitandum, quid credendum ſit, de quo nec nimis cogitari, nec nimis credi poteſt. Veniet tandem in publicum, omnium quæ hoc continentur enumeratio: hanc Sibi, hanc Regi, totique adeo Galliæ operam debet, atque præſtabit, cui earum rerum cura impoſita eſt.*

Sequitur Aula præeuntem Regem; ſequuntur Ingenioſi Illuſtreſque Viri. Quæ diu meditatus eſt euoluendis Hiſtoricis Sereniſſimus Princeps HENRICVS BORBONIVS *Dux Vernolij, hæc ad maturam ſed viridem ſenectutem prouectus, quia Numiſmatis probari nouit, apud ſe quantum fieri potuit, omnia contrahere monumentorum genera ſtudet. Imitatus egregium hoc Solonis, ſenem ſe multa quotidie diſcere gloriantis, quamuis docenda & ad virtutem inſtituenda gente æternam ſibi laudem parauiſſet.*

LVD. HENRICVS LOMENIVS, *Briennæ Comes, Regi a Sanctioribus Actis, tum tranſmarinis neceſſitudinibus, tum diligenti conquiſitione, æris mediocris moduli ſeriem ſibi parauit, cuius pulchritudinem nulla vnquam aſſequuta eſt maiorum in hoc genere ſedulitas. Colonias ab Imperatoribus ideo miſſas diceres, vt eſſet quo ſeponeretur, & quod in eius ornamentum tandem emergeret. Nec de his tantum contrahendis fuit ſollicitus, ipſe hæc eadem voluit penitius introſpicere, tantumque profecit, vt nemini, ne hæc quidem vna tractanti, de dubiis & antiquis plus credam.*

Illuſtriſſimus ACHILLES HARLAEVS, *Procurator Generalis, præter Bibliothecam quam habet inſtructiſſimam, exquiſitiſſima generis omnis Numiſmata poſſidet,*

quæ omnia animo melius quam Muſæo complectitur. Magnum hoc eſſe putas & vere: quanto maius quod ampliſſimo Munere ita fungitur vt nobilitatem, doctrinam, intelligentiam, integritate ſuperet.

Quin & PETRVS SEGVINVS *ille, Abbas Fidemienſis, & Canonicorum Sancti Germani Decanus; Ille inquam tam doctus, quæ ſciebat expreſſa habere voluit & ſignata, & fecit profecto tam feliciter, vt in incredibili illa vi Numiſmatum, plus ducentis Conſularibus ex vltima Antiquitatis memoria eruerit nobis incognita, niſi monſtraſſet & collegiſſet prior: aurum in auarorum loculis & arcis occurrit; hæc apud eum vnum inuenies, quæ Europa miratur vniuerſa, quæ harum rerum intelligentes inuideant, ſi apud minus liberalem & facilem virum eſſent.*

Nihilo ſecius in his laborauit CAROLVS TRONSSO, *in Senatu Pariſienſi Conſiliarius. Nemo tot maioris generis, tot Tyrannorum inferioris ætatis Numiſmata argentea poſſidet.*

Nec minus in hoc ſtuduere CLAPISSONES *ambo, machinamentorum bellicorum alter Cognitor, alter in vectigalium Curia Conſiliarius Regis: ſequuti in hoc Patris exemplum, a quo tam multa, tam præclara huius generis ad eos peruenere, vt ſilentio me hæc præterire cogat huius Scriptionis præfinitus ambitus.*

Eodem modo paternam indolem imitatus IO. BAPT. ALTINVS *in vrbano Prætorio Regis Conſiliarius, cum Illuſtribus in hoc ſtudio viris conferri meruit. Ex eodem Iudicum Ordine* IACOBVS REGNARD *plurima cumulauit & digeſſit.*

GENTIANVS CHARRO *Auditor rationum, Numiſmata, quibus ſic inſtructus eſt vt nemo alius, Regiis horum ſæculorum Imperatorum Rom. monetas adiunxit.*

Vtrumque etiam luculenter præſtitit CLAVDIVS DE THEROVANNE; *Græca Romanis omnis generis, vetuſtas nouis addidit, non tam harum rerum quamquam præclaræ ſunt, quam vera ſcientiæ prudentiæque fama inter Illuſtres habitus.*

Quid hic enumerem Collegia quibus & hæc fuit rerum Antiquarum cura: inſtar omnium erunt mihi Patres Soc. Ieſu, apud quos præter inſtructiſſimam & magnificentiſſimam Bibliothecam, plenas Numiſmatum exquiſitiſſimorum arculas quotidie ſtudioſis luſtrandas exhibet vir ille immenſæ diligentiſſimæque doctrinæ COSSARTIVS.

Non tamen omittam Canonicos Regulares, Sanctæ Genouefæ dictos, vt neque Patrem DV MOVLINET, *qui apud eos & Numiſmata & lectiſſimam curat Bibliothecam.*

Longum eſſet cæteros memorare in hac peritia claros, illos attingere conſilium fuit, quos noui, quos vidi, qui mecum quæ habent præclara communicauere: attamen non poſſum pati, quin Lutetiæ noſtræ quæ totius Orbis eſt exemplar, cæteras prouincias accenſeam, ex quibus prudentiſſima Normanorum natio, vt ne hac exiſtimatione videatur indigna, quam ingenio & vrbanitatis ſtudio ſibi comparauit, harum rerum omnino expertem ſe noluit. BIGOTII *fratres, Viri Clariſſimi & Nobiliſſimi,* GALEMANVS & BARO, *ambo Medici Rothomagenſes, tantum Librorum, tantum habent Numiſmatum, vt ad eos cuncta Prouincia quidquid exquiſitum habet, contuliſſe videatur.*

Suum BOVHIERIVM *Senatorem Diuionenſem, ſuum* THOMAM, & P. FRANC. CHIFLETIVM, *Soc. Ieſu, Virum Eruditiſſimum iactat Burgundia.*

Nec

Nec ea gloria caret Campania Remenſis, habet Catalaunenſem Præfectum Dv Movlinet, *Canonicum* Bonhomme *&* Margvenatvm *Ieſuitam, quos cæteris opponat. Mirum niſi hanc etiam laudem ambiat Prouincia Maſſilienſis, per quam ad nos peruenit quidquid apud nos eſt doctæ huius & pretioſæ mercis; Aquenſes illa Canonicos* Bonfilivm *&* Bvrilivm *aluit, quorum diligentia factum eſt, ne horum eſſet expers.*

Cl. Mallier dv Hovssay, *Tarbenſem Epiſcopum*, Gaillardvm Gviranvm, *Senatorem Nemauſenſem habet Narbonenſis Prouincia. Ille olim Venetiis Legatus dum Chriſtianiſſimi Regis ingenti ſolertia res agebat, picturæ Numiſmatumque delicias ita eſt aſſequutus, vt nemini poſtea conceſſerit. Hic quantum in Numiſmatis intelligat, ſatis apparet iis libris quos edidit, quibus aliorum ſpem nobis iniicit: profecto qui tam docte pollicetur, doctiora & meliora præſtabit.*

Nec noſtris tantum hominibus hæc placuere; venatæ ſunt eadem exteræ gentes, & ſedulo inueſtigarunt. Maiorum ſuorum Effigies & Monumenta, Imperiique reliquias quotcunque a vaſtationibus ſupererant, nouis acceſſionibus diligenter adauxerunt Svmmi Pontifices. *Harum indicium eſt Bibliotheca Vaticana, tot Antiquitatis Monumentis locuples, cui nulla toto orbe comparari poteſt.*

Quid conſummatius & ſuperbius Imperatorum Caroli V. *&* Rodolphi *ſcriniis, ſiue aurea Numiſmata atque alia, ſiue tabulas pictas, ſiue infinitam prope marmoreorum ſignorum multitudinem Operis antiqui conſideres.*

Carolvs *ille Magnæ Britanniæ Rex cæteros Europæ Principes omnes hoc poſſeſſionum genere vincebat. Hunc ſequitur Filius tanto Patre dignus, & in regnum opimum eas reduxit artes quibus non minus eminet quam ingenio & virtute bellica, quarum a maioribus ita hauſit exemplum, vt maius poſteritati ſit traditurus.*

Illa ipſa Suecorum Regina Christina, *quam nuper virtute cæteriſque laudibus quam regno ſplendidiorem ſuſpeximus, nihil penſi habuit, dum e profanis manibus redimeret, quæ ſuis vnis tractari debuerant: quantis ſumptibus Italiam, Germaniamque veſtigare iuſſit his colligendis, ex quibus cumulatior fieret ille quem mente deſignauerat rerum earum Theſaurus.*

Fridericvs III. *Daniæ Rex, Numiſmatum ſibi parauit theſaurum, eique quod reſiduum temporis faciunt bellicoſiſſimi regni negotia, iucundam dat operam, Danis omnibus & Ingenioſis exemplum futurum.*

Nobiles curas his reficit & ſuſtentat deliciis Sereniſſimus Car. Lvdovicvs *Princeps Elector Palatinus: nec contentus his quæ vndique contraxit, quaſi de integro Virum eruditiſſimum, & horum omnium peritiſſimum* Spanhemivm *miſit in Italiam, qui omnia inueſtiget, ne quidquam quod parari pretio poſſit, in tam perfecto Theſauro deſideretur: ſpecimen huius rei ſunto mille Numiſmata aurea quibus eius Cimeliarchium refertum eſt.*

Graues quæ Imperium comitantur ſollicitudines Archidux Leopoldvs, *Belgij olim Rector, Numiſmatum loculis oblectat.*

Sereniſſimus Parmenſium Dux Ranvccivs Farnesivs, *ea habet omnia quibus huius Operis, quod quidem ad Vrſinum ſpectat, fides conſtat. Per manus hæc ad eum ab* Alex. *Cardinale* Farnesio *peruenerunt; cui tantum Opus autor noſter dicauit.*

ẽ ẽ

Aureum Imperatorum ordinem, omnium quos continet orbis pulcherrimum habet LEOPOLDVS, *Princeps Florentinus.*

Longis Numiſmatum ordinibus eminet BARBERINORVM *Cardinalium Bibliotheca: Illos* VRBANVS *Papa VIII. magna cura, magnis ſumptibus in vnum coëgerat.*

Archiepiſcopi Bononienſis BVONCOMPAGNO *Numiſmata quantum habent nominis, ignorat nemo qui hæc amat.*

Inſculptas gemmas pereximias & omnis generis Numiſmata plurima habet Nobiliſſima RONDANINA *Romana, Inſcriptionum inueſtigandarum omniſque Antiquitatis peritiſſima, quam aliis etiam nominibus Incomparabilem Heroïnam vocauit Vir inter doctos magni nominis* IO. IAC. CHIFLETIVS, *Eques & Regis Catholici Archiater, eorumdem ſtudiorum æmulus.*

FRANCISCVS GOTTIFREDVS, *Nobilis, & Patria ſua dignus Romanus, iis fruitur quibus nemo, ne Princeps quidem, ſicque fruitur vt melius animo hæc quam armario complectatur, adeo diligenter tenet: has illi res virtus, nobilitas, liberalitaſque peperere; quas nec minus doctus amare & optare, nec minus ſumptuoſus comparare potuit, nec minus Illuſtris eo ſplendore retinere & conſeruare.*

BRACCESIVS *Abbas, illius popularis eodem ſtudio tenetur: huic mirum quantum fama tribuit, quantum nominis pollicetur.*

Quam Horum ſit peritus LEONARDVS AGOSTINI *ſatis docet Bibliothecæ Vaticanæ fama, Antiquitatum omni genere refertiſſimæ, cui a Pontifice Maximo Æditus eſt datus.*

Nobiliſſimi ROZINI *Veneti cumulatiſſimus Antiquitatum omnium Theſaurus Venetiis ab heredibus etiamnum ſeruatur.*

Neque has omiſit delicias grauiſſimis alioqui negotiis diſtentus SCHINKELIVS DE VALCOVR, *Gandauus; his inſuper inſculptas gemmas adiunxit & Nobilium artificum imagines ære inciſas.*

NICOLAVS HEINSIVS, *Belgij Fœderati ad Suecos Orator, doctus* DANIELIS *filius, immenſam ſcientiam his autoritatibus confirmat & perficit.*

GRONOVIVS *Leydenſis in Hiſtoria Profeſſor, huius inſtrumentis vix minus abundat, quam illius ſcientia, in qua non modo ſuos Ciues, ſed & totum Orbem demeruit.*

Infinitæ paternæque doctrinæ heres VOSSIVS, *harum etiam rerum ſcientia, clarus, eas permultas & egregias ſibi comparauit. Hæc vtilia ornamenta quoad potuerunt in ſuum Orbem ex vltimis terris elicuerunt Optimates Angli. Sed infinitum eſſet omnes recenſere.*

Nunc de Autoribus Rei Antiquariæ ſupereſt vt agamus.

NVMISMATA omnis generis in vnum coëgit HVBERTVS GOLTZIVS, *& ita digeſſit, vt nihil melius. Scripſit de Imperatoribus, ad C. Caligulæ tempora: atque de Græcis vrbibus & Regibus, quæ exſtabant Numiſmata, contraxit, quæ doctiſſime* L. NONNIVS *eſt interpretatus. Quod vero rem noſtram propius attingit, Faſtos Magiſtratuum & Triumphorum Romanorum magna cum laude perſequutus eſt.*

Vtinam ea monumenta comparerent, quorum fide tantum Opus nititur, ſed nulla cuiuſquam vnquam diligentia fieri potuit, vt vel dimidia pars tantæ congeriei emergeret.

LEVINVS HVLSTIVS *duodecim Cæſarum imagines ex Numiſmatis expreſſit, atque eorum familias, affinitates, & vxores. Pauca quidem ſed egregia.*

IACOBVS STRADA *Antiquarius Mantuanus, Hiſtoriam Imperatorum Romanorum cum eorum effigiebus coniunxit; multo elegantiores Goltzius.*

ONVPHRIVS PANVINIVS *Veronenſis, F. Auguſtinianus. Faſtos ſcripſit, qui a vulgaribus non admodum differant, vtiles tamen.*

ANTONIVS LE POIS, *Lotharingorum Ducis Medicus, de Numiſmatis aliqua Gallice ſcripſit, recte vt his temporibus.*

LVDOVICVS SAVOT, *Burg. Medicus Pariſienſis, de Re Veterum Monetaria tam docte ſcripſit, vt nihil ſupra. Omnia complexus eſt, metalla, pondera, pretium, typos, Argumenta veritatis, prænominum & nominum Indicem.*

PAVLVS PETAVIVS, *in Senatu Pariſienſi Senator, Numiſmata vetera atque noua, ſtatuas, lucernas, ſigna atque alia tradidit.*

GVILLELMVS DV CHOVL, *inter primores ſui ſæculi, multa Numiſmata quæ ad Religionem Romanorum facerent, e buxo elegantiſſime cudi curauit, atque in hanc rem, ſtatuas, inſcriptiones, antiqua monumenta congeſſit: item de eorum Re Militari. Gallice, Latine, Italice, Hiſpanice, & Germanice Typis excuſus liber inuenitur.*

IOANNES HEMMELARIVS, *Canonicus Eccleſiæ Antuerpienſis,* CAROLI CROYI *Ducis Arſchotani Numiſmata aurea tradidit & interpretatus eſt.*

ANTONIVS AVGVSTINVS, *Epiſcopus primum Ilerdenſis, tum Tarraconenſis Archiepiſcopus, Vir præſtantiſſimus, Antiquitatum ſcientiam Commentariis illuſtrauit; meliora traditurum fuiſſe ſatis indicat doctiſſimus ille liber de Familiis Romanorum, quo etiam vſi ſumus.*

Italice de Numiſmatis plerumque rariſſimis ſcripſit SEBASTIANVS ERIZZO, *idque elegantiſſime.*

ÆNEAS VICVS, *Parmenſis, Imperatorum & Auguſtarum Numiſmata cœperat interpretari, ſed hunc mors præmatura poſt inchoatum Opus rapuit.*

PARVTA *de Numiſmatis Hiſpanicis egit, cui titulum adſcripſit* TESORO DE LAS MEDALAS ESPAÑOLAS.

OCCO *Medicus Auguſtanus omnium metallorum Numiſmata in indicis formam cum paucis quædam, ſed elegantiſſimis Commentariis laborioſiſſime coëgit.*

Auguſtarum imagines cum Commentariis Gallicis in publicum prodiere opera IO. LE MENESTRIER.

Doctiſſimus TRISTANVS A SANCTO AMANTE *Commentarios Hiſtoricos tradidit de Romanorum Imperatoribus. Obſcura plurima tanta ſolertia declarauit, vt eorum eruiſſe Manes videatur, qui ipſi rerum earum quas tractat autores exſtiterunt. Vtinam aut minus acer, aut verbis expolitior fuiſſet. Quartum volumen deſignabat, eorum quæ nemo vnquam attigerat. Commentarios reliquit. His vt prouideant heredes enixe cupio.*

PRIVILEGE DV ROY.

LOVIS PAR LA GRACE DE DIEV ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE; A nos amez & feaux Conſeillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maiſtres des Requeſtes ordinaires de noſtre Hoſtel, Baillifs, Seneſchaux, Preuoſts, leurs Lieutenans, & à tous autres de nos Iuſticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Le Sieur CHARLES PATIN, Docteur Regent en la Faculté de Medecine de Paris, Nous a fait remontrer qu'il ſouhaittoit donner au Public, vn Liure intitulé FAMILIÆ ROMANÆ QVÆ EXSTANT IN NVMISMATIBVS ANTIQVIS, &c. reueu, corrigé & augmenté, lequel il deſireroit faire imprimer, & en faire grauer les Medailles, s'il en auoit ſur ce nos Lettres de permiſſion, qu'il nous a ſupplié luy vouloir accorder. Nous deſirans fauorablement traiter ledit Sieur CHARLES PATIN, & ſur le rapport qui nous a eſté fait de la grande intelligence qu'il s'eſt acquiſe en ſa Profeſſion, & de la connoiſſance qu'il a des Langues Eſtrangeres, de l'Hiſtoire, & des Sciences concernantes l'Antiquité, luy donner des marques de l'eſtime particuliere que Nous faiſons de ſa Perſonne; & d'ailleurs, voulans pouruoir à ce que le Public ne ſoit point priué d'vn ſi beau, ſi ſçauant, & ſi vtile Ouurage. A ces cauſes, de noſtre grace ſpeciale, pleine puiſſance, & authorité Royale, Nous luy auons permis, octroyé, & accordé, permettons, octroyons & accordons par ces preſentes ſignées de noſtre main, de faire imprimer en telles Langues, marges & caracteres que bon luy ſemblera, ledit Liure, par tel Imprimeur & Libraire, & grauer leſdites Medailles par tel Graueur qu'il voudra choiſir, & les faire vendre & diſtribuer en tous les lieux de noſtre obeïſſance durant vingt ans, à compter du iour qu'il ſera acheué d'imprimer; faiſant tres-expreſſes defenſes à toutes perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, d'imprimer ou faire imprimer, vendre ny diſtribuer en aucun lieu de noſtre obeïſſance, ledit Liure, ſous pretexte d'augmentation, correction, changement de titre, fauſſes marques, ou autrement, en quelque maniere que ce ſoit, ſans la permiſſion dudit Sieur PATIN, ou de ceux ayans charge de luy, à peine de confiſcation des Exemplaires, de trois mil liures d'amende, & de tous deſpens, dommages & intereſts, à condition d'en mettre deux Exemplaires en noſtre Bibliotheque publique, & vn autre Exemplaire és mains de noſtre tres-cher & feal le ſieur Seguier, Cheualier, Chancelier de France, auant que de les expoſer en vente, à peine d'eſtre décheu du preſent Priuilege: Si voulons & vous mandons que du contenu en ces preſentes vous faciez, ſouffriez & laiſſiez iouïr ledit Sieur PATIN, pleinement & paiſiblement, comme auſſi ceux qui auront droict de luy. Voulons auſſi qu'en mettant à la fin ou au commencement de chaque Exemplaire deſdits Liures, ces preſentes, ou vn bref Extraict d'icelles, ils ſoient tenus pour deuëment ſignifiées, & que foy y ſoit adiouſtée, & aux copies collationnées par vn de nos amez & feaux Conſeillers & Secretaires, comme à l'Original. Mandons au premier noſtre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, de faire pour l'execution d'icelles, tous exploits neceſſaires ſans demander autre permiſſion, Viſa, ny Pareatis: Car tel eſt noſtre plaiſir, nonobſtant Clameur de Haro, Chartre Normande, priſe à partie, Edicts, Declarations, Arreſts, Reglements, Statuts, confirmation d'iceux, oppoſition quelconque, ſans preiudice d'icelles, pour leſquelles nous n'entendons eſtre differé, & dont nous nous retenons la connoiſſance & à noſtre Conſeil, qui ne pourront nuire audit Sieur PATIN, en faueur duquel nous derogeons à tout ce que deſſus pour ce regard ſeulement. Donné à Paris le ſeptieſme iour de Fevrier, l'an de grace mil ſix cens ſoixante-deux, & de noſtre Regne le dix-neufieſme. Signé LOVIS. Par le Roy PHELIPPEAVX, & ſeellé en cire jaune.


Collationné à l'Original par moy Conſeiller Secretaire du Roy, & de ſes Finances.

MORLON.

Regiſtré ſur le Liure de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de cette Ville le vingt-ſixieſme May, mil ſix cens ſoixante-deux. I. DV BRAY, Sindic.

Acheué d'imprimer pour la premiere fois le ſeptieſme iour de Septembre, 1662.

Les Exemplaires ont eſté fournis.




ABVRIÆ gentis vnus quod ſciam Liuius facit mentionem lib. xxxix. nullo tamen adiecto cognomine, ſiue GEMINVS, illud ſit, ſiue GEMELLVS, aut aliud quod tribus litteris GEM. in nummis
1. expreſſum eſt. *Commemoratur ab eo* M. ABVRIVS *Trib. pl. M. Æmilio tum Coſ.*
2. *hoc eſt anno vrbis Conditæ* DLXVI. *commodaturus petitioni M. Fuluij Pro-Coſ. ex Ætolia reducis interceſſit; ſcilicet ita ſibi mandatum ab Coſ. ne Fuluio triumphus abſente Coſ. decerneretur. Erat autem Fuluij inimicus Æmilius, tandem exoratus & caſtigatus, ab hac interceſſione deſtitit.* Hæc pluribus verbis Liuius. Lib. autem xxxxi. Inde, inquit, Coſſ. Prætoreſque prouincias ſortiti. Piſæ Cn. Cor- « nelio, Ligures Petillio obuenerunt. Prætores Papirius Maſo vrbanam: M. « ABVRIVS inter Ciues & Peregrinos ſortiti ſunt. Fuit autem Prætor M. hic « ABVRIVS anno V. C. DLXXVII. *Vnde duplex videtur fuiſſe gens* ABVRIA, *alia plebeia, ex qua fuit primus ille Trib. pl. alia patritia, ex qua fuit ille* ABVRIVS *Prætor; nemo enim Prætor niſi ex nobilitate: ita enim Liuius ſub annum, vt* Lib. 7. Dec. 1. *notant marmora Capitolina* CCCLXXVII. *Annus hic erit inſignis noui hominis* « *conſulatu, inſignis nouis duobus magiſtratibus, Prætura & Curuli Ædilitate: hos ſibi* «
3. *Patricij quæſiuere honores pro conceſſo plebi altero conſulatu.* C. ABVRII in «
4. tribus poſterioribus nummis ſignati qui P. Licinio Craſſo, C. Caſſio Lon-
5. gino Coſſ. anno DXXCII. Legatus ad Maſſaniſſam & Carthaginienſes miſſus eſt, meminit idem Liuius his verbis; In eam rem Legati ad Maſſa- Lib. 42. niſſam Carthaginienſeſque miſſi, L. Poſthumius Albinus, P. Terentius Culeo, C. ABVRIVS &c. Huius fortaſſe libertus fuit C. ABVRIVS Pamphilus, qui in antiqua hac Inſcriptione quæ Cære exſtat, deſcriptus eſt.

A


C. ABVRIO C. L. PAMPHILO
ABVRIAE C. L. HILARAE
V. ABVRIAE C. ET Ↄ. FELICVLAE
SIBI ET SVIS.

Nummus ex ære tribus notis ſignatus, quod quarta eſſet aſſis pars, quadrans Ratitus dictus eſt. Eius meminit Pomp. Feſtus. Ratitum, inquit, „ quadrantem dictum putant, quod in eo & triente ratis fuerit effigies, vt „ nauis in aſſe: ſed M. Varro, lib. IV. de lingua Latina, quadrantem, quod pro vectura ſolueretur ab iis qui ratibus ex Vrbe in Auentinum paludibus tunc diſcluſum veherentur, Ratitum a Lucillio dictum ſcribit. Huiuſmodi Lib. 3. quadrantes in funere Valerij Poplicolæ collatos fuiſſe tradunt Liuius, & Plutarchus, in vita Poplicolæ.



ACCOLEIÆ gentis, vt arbitror, plebeiæ, nulla extat mentio niſi in duabus antiquis Inſcriptionibus; vna in qua ORDO CORPORAT. deſcriptus eſt, QVI PECVNIAM AD AMPLIAND. TEMPLVM CONTVLER. IMP. CAESARE T. AELIO HADRIANO ANTONINO AVG. PIO P. P. III. M. AELIO. AVRELIO CAESARE Coss. in quo quidem ordine nominatur P. ACCVLEIVS quidam EVHEMER, qui P. ACCOLEII, huius qui in denario notatus eſt, pronepotis libertus fuiſſe credi poteſt. Altera in qua nomina eorum inciſa ſunt, qui ad ponendam ſtatuam Veſpaſiano Imp. pecuniam contulerunt L. ANNIO BASSO C. CAECINA PAETO COSS. inter eos enim numeratur L. ACVLEIVS quidam ABASCANTVS. ACCVLEIVS autem in veteribus monumentis, pro ACCOLEIVS, eadem ratione ſcriptum eſt, qua Agricula, Poblicula, pro Agricola, & Poblicola. P. igitur ACCOLEIVS, is qui huius tabellæ denarium cuſit, vt maiores ſuos ex aliquo prope Padum fluuium loco oriundos indicaret, tres illas mulieres, quæ in arbores, vt apparet, vertuntur, in altera denarij parte ſignauit: quas & Phaëthontis ſorores, & in larices arbores, non autem alnos, conuerſas eſſe, ſignificare LARISCOLVS voluit: in quo veteris alicuius Autoris commentum ſequutus videtur; vt Lib. 12. c. 15. ex iis quæ Palladius de larice ſcribit, coniicere poſſumus. Reſina, inquit, illa liquida eſt, lacrymæ ſimilis, non recipit flammam, quaſi odio proſe- Lib. 2. c. 9. Lib. 16. c. 11. quatur ob combuſtum Phaëthontem. Apud Vitruuium etiam & Plinium,

larices pino ſimillimas eſſe, nec alibi notas, quam in Padi ripa: præterea flammam non recipere, & reſinam habere liquidam, mellis Attici colore, ſcriptum legimus.



ACILIAM gentem plebeiam fuiſſe, ſatis conſtat ex veterum Scriptorum autoritate, apud quos corrupte multis locis, ATILIA pro ACILIA, ſcriptum reperitur. *Etenim anno* V. C. IↃLII. M'. ACILIVS GLABRIO *Trib. pl. a Liuio narratur de ſortitione prouinciarum cum Senatu contendiſſe: ex ea* BALBI, GLABRIONES, PISONES, IVSTINI, *vt apparet ex Sexto Aurelio Victore, apud quem* ACILII *cuiuſdam* PISONIS *Hiſtorici ſit mentio, & ex veteri titulo in lib. de Epigrammatis antiquæ Vrbis.*


M'. ACILIAE. M'. F. IVSTINAE &c.

Opinor autem ACILIOS a Græco verbo ἀκέομαι, quemadmodum Æmilij, ἀπὸ τῆς αἱμυλίας, *a feſtiuitate*, vt Plutarchus inquit, gentis nomen
1. traxiſſe; ad eamque indicandam nominis originem in primo æreo nummo, Æſculapij caput, & ſerpentem Epidaurium bacillo implicitum, in tertio
3. argenteo Salutis ac Valetudinis ſimulacra, ab ACILIO Trium-viro, quicumque is fuerit, ſiue GLABRIO, ſiue BALBVS, expreſſa fuiſſe. De Æſculapij baculo, & ſerpente, ſiue Epidaurius ille ſit, ſiue alius, ita ſcribit Iulius Hyginus in Ophiucho. Cum Æſculapius Glaucum cogeretur ſanare, incluſus quodam loco ſecreto, bacillum tenens manu, cum quid ageret cogitaret, dicitur anguis ad bacillum eius arrepſiſſe: quem Æſculapius mente commotus interfecit, bacillo fugientem feriens ſæpius. Poſtea fertur alter anguis eodem veniſſe, ore ferens herbam, & in caput eius impoſuiſſe, quo facto, loco fugiſſe. Quare Æſculapium vſum eſſe herba eadem, Glaucum reuixiſſe: itaque anguis in tutela Æſculapij eſſe dicitur.

Huiuſmodi ſymbolo vſi ſunt in ſuis Numiſmatibus Coi, quod apud eos
natus eſſet Hippocrates, alter Medicinæ Deus, cuius etiam effigiem, in
altera Numiſmatum parte impreſſerunt. Valetudinis Deæ, quæ Æſculapij,
vt arbitror, filia fuit, facit Martianus mentionem. Salutis, & eius ædis
Lib. 9. in Quirinali, meminerunt Liuius, & P. Victor in regione VI. Harum
altera ab Ariſtophane, ὑγίεια, altera ἰάσω, appellatur in Pluto. *Poſſet etiam
ad magiſtratum quemdam referri, de quo quam-vis apud Scriptores Antiquitatum
non legatur, tamen poſſumus coniicere: vt legendum ſit* III. VIR VALETV-
DINARIVS, *cui ſcilicet Valetudinariorum cura commiſſa ſit. Vix enim eſt
credibile, Vrbem tam potentem & peſti obnoxiam, vt ipſe Galenus ait, locis
caruiſſe in quos per peſtilentiam ſeceſſio fieret. Si enim fuiſſet hæc nota non alicuius
ſed gentis propria, quidni eſſet perpetua?* Quartus tabellæ denarius ad M'. 4.
ACILIVM BALBVM pertinet, qui Conſul fuit, cum M. Porcio Catone,
anno DCXXXIX. filius Balbi Conſulis anno DCIII. cuius ouationem
aliquam deſignat fortaſſe myrtea corona, quæ in altera denarij parte
ſignata eſt, quod ea donarentur ij, qui Vrbem ouantes inibant.
Quinto denario mihi quidem obſcurum eſt, quis ex ACILIIS ſignificetur. 5.
Nec enim Marci prænomine ex ACILIA gente quemquam apud Capi-
tolinos, aut alios Scriptores vſum eſſe inuenio; *Nec alio præter Manium,
quamquam apud T. Liuium corrupte vbique* M. *ſine apice ſcribatur*: in quo ſi
erratum ab eo fuiſſet qui monetam cuſit, vt plerumque fit, poſſet de-
narius huiuſmodi ad M. ACILIVM GLABRIONEM, referri, qui anno
DLXIII. de Ætolis triumphauit, *& Rege Syriæ Antiocho, in quo vicimus
Xerxem*, inquit Florus. *Sed ſextus denarius hanc coniecturam eleuat, eandem* 6.
*ſcripturam iterando, in quo difficilius eſt bis quam ſemel peccaſſe. Certe quintus
& ſextus typus varios indicant; eſt enim in denario* M. F. *ex ea gente coniicio
fuiſſe hunc* ACILIVM *apud Plutarchum & Suetonium, qui ad Maſſiliam
cum pro Cæſare pugnans in hoſtilem nauim irrupiſſet, truncata dextera, clypeo
quem læua geſtabat hoſtium faciem verberans, omnes in fugam conuertit, & naue
potitus eſt.*



GENTIS AEBVTIAE *inter patricias clariſsimæ frequens mentio apud* T. *Liuium. Ex ea* T. AEBVTIVS ELVA *Coſ. anno* V. C. CCLIIII. *quem Dionyſius Publium vocat, contra omnium Scriptorum ac marmorum Capitolinorum fidem. Idem narratur à Liuio Magiſter Equitum ſub Poſthumio Dictatore, in illuſtri ad Regillum lacum pugna, contra Mamilium Latinorum ducem fortiſsimum duello conflixiſſe, anno* V. C. CCLVII. *Poſt hunc Poſthumius* AEBVTIVS ELVA CORNICEN *conſulatum geſsit anno* V. C. CCCXI. *quos omnes patricios fuiſſe nemo dubitauerit, qui meminerit anno tantum* V. C. CCCXXCVII. *e plebe Coſſ. creari cepiſſe. Eodem anno* CCCXI. M. AEBVTIVS ELVA III. *vir deducendæ coloniæ lectus, ob celebrem hanc diſceptationem inter Ardeates & Aricinos, de agro quem Scaptius, vir e plebe in concione deblaterauerat eſſe Coriolanorum, cum hunc Senatus Ardeatibus addixiſset, cenſuiſsetque ad exhauſtam bello reficiendam regionem, Coloniam deducendam eſſe: priuſque Rutulis quam vlli Romano agrum litigioſum eſſe diuidendum. Hoc miniſterio inſigni fide functi* III. *Viri tantam ſibi inuidiam apud plebem Rom. conflauere, vt iidem apud Coloniam quam deduxerant exulare coacti fuerint. A. Seruilius a Virginio Coſ. (collega permittente) Dictator dictus, Magiſtrum Equitum Poſthumium Eluam dicit anno* V. C. CCCXVII. *Anno* DLXVII. *per indicem* P. AEBVTIVM *detectæ nocturnæ & promiſcuæ Baccharum libidines, cui & amicæ Hiſpalæ Feceniæ Senatus conſulto, referente Sp. Poſthumio, ſingulis* CCCIↃↃↃ *æris ex ærario decreta ſunt. Anno* DLXX. T. AEBVTIVS *Carus* III. *Vir Coloniæ deducendæ lectus eſt. Hæc de gente ſparſim apud Liuium, qui quidem vnus quod ſciam, huius meminit. De eo qui hunc nummum ſub Auguſto cuſit, apud Hiſtoricos, quos quidem legi, nullum exſtat veſtigium. Sub Commodo* AEBVTIANVS *quidam Præfectus Præt. interemptus eſt a Cleandro: vt ait Ael. Lamprid. Vnum reſtat vt moneam apud T. Liuium male pro* AEBVTIO *ſcribi* EBVTIVM, & HELVAM *pro* ELVA, *ſic enim Faſti Capitolini.*



AELIAM gentem aut AILIAM, eandem eſſe cum ALLIA, ex Capi-
tolinis monumentis aperte ſatis intelligimus. Fuit autem plebeia, ſed
antiqua, maximiſque geſtis magiſtratibus nobilis. Q. AELIVS LAMIA,
ad quem ſecundus in hac tabella expreſſus denarius pertinet, Frater fortaſſe 2.
fuit L. AELII Lamiæ Cos. cum M. Seruilio Gemino anno DCCLV.
Od. 17. lib. 3. incertum tamen ad vtrum horum ſcripſerit Horatius,

> AELI vetuſto nobilis ab Lamo,
> Quando & priores hinc Lamias ferunt
> Denominatos, & nepotum
> Per memores genus omne faſtos
> Autore ab illo ducis originem,
> Qui Formiarum mœnia dicitur
> Princeps, & innantem Maricæ
> Littoribus tenuiſſe Lyrim
> Late tyrannus.

P. PAETVS, qui in quinto tabellæ denario notatus eſt, deſignatur, 5.
opinor, is qui Prætor fuit anno DL. Deinde Conſul cum Cn. Cornelio
Lib. 41. Lentulo anno ſequenti: Prætor iterum anno DLXXVII. cuius Præturæ
Lib. 5. meminit Liuius, & Varro de vita populi Romani apud Nonium his verbis.

P. Ælius Pætus (male enim in vulgatis libris Pedius Pætus ſcriptum eſt) cum eſſet Prætor Vrbanus, & ſedens in ſella curuli ius diceret populo, Picus Marius aduolauit, atque in capite eius adſedit. Valerius Maximus. Ælio, Lib. 5. cap. 6
inquit, Prætori ius dicenti cum in capite Picus conſediſſet, aruſpiceſque affirmaſſent conſecrato eo fore domus ipſius ſtatum feliciſſimum, Reip. miſerrimum: occiſo in contrarium vtrumque ceſſurum, e veſtigio morſu ſuo in conſpectu Senatus necauit. Decem & ſeptem milites ſuæ familiæ eximiæ fortitudinis viros Cannenſi prælio amiſit. Reſpublica procedente
6. tempore ad ſummum imperij faſtigium exceſſit. Sextus denarius incertum ad quem ſpectet: nec enim ad C. Ailium referendum arbitror, qui anno CDLVII. Conſul fuit cum M. Valerio Potito Maximo, quique primus Pæti cognomine affectus eſt: nondum enim argento ſignato populus Romanus eo tempore vti cœperat, quo Ailius is Conſul fuit. AELII,
7. ſiue vt in ſeptimo denario notatum eſt, ALLII BALAE, nulla quod ſciam apud veteres Scriptores mentio reperitur; in eius autem denarij altera parte ad Dianæ currum, vt eſt apud Sophoclem in Thrachiniis, ἐλαφηβόλου, ἀμφίπυρον: ex Poëtarum commento cerui iuncti ſunt.



AEMILIAE gentis patriciæ, SCAVRI tantum, PAVLLI, LEPIDI, & BVCAE in nummis, quos ipſi vidimus, reperiuntur, cum

Mamertini quoque, Barbulæ, Papi, & Regilli in veteribus & Scriptorum & lapidum monumentis inueniantur. De M. AEMILII SCAVRI Ædili-
Lib. 4. Lib. 8. c 17. tate, quæ in primo huius tabellæ denario notata eſt, meminerunt Cicero 1.
& 26. pro Sextio, & ad Attic. Plinius, & Aſconius, in Commentario Orationis
Lib. 35. c. 11. Lib. 6 c 15. pro M. Scauro, *Hic, inquit Plinius, fecit in Ædilitate opus maximum omnium*
Lib. 36. c. 5. *quæ vnquam fuere humana manu facta, non temporaria mora, verum etiam æternitatis deſtinatione. Cætera videbis ibidem lectu digniſſima. Nihil mirabilius. Nec enim ille eſt* M. AEMILIVS SCAVRVS, *de quo apud Aurel. Vict. de Viris Illuſt. qui pauper erat, paupere & carbonario patre natus, tametſi patritius eſſet. Is M. Scaurus geſſit Ædilitatem quidem, ſed ab Ædilitate filij multum diſcrepantem. Nam iuri reddendo magis quam muneri exhibendo ſtuduit. Is ergo cum Mario ſtuduiſſet, vt ait Plinius, diues admodum factus, locupletem filium reliquit, eum cuius hoc monumentum habemus:* in quo quidem honore athletas forte in
Lib. 2. theatrum primus induxit, vt ex verbis Valerij Maximi, quæ leguntur
cap. 1. Cap. 35. & colligi poteſt. Athletarum, inquit, certamen a M. Scauri tractum eſt muni-
37. ficentia. Solinus quoque, Hippopotamos & Crocodilos & oſſa monſtri illius cui Andromeda fuit expoſita in Ædilitate, Scaurum publicaſſe ſcribit. Atque hic idem M. Scaurus Pompeij in Aſia Proquæſtore, ad occupandam Damaſcum miſſus, cum eam ab aliis prius occupatam inueniſſet, in Iudæam flexit, acceptiſque ab Ariſtobulo quadringentis talentis, Hieroſolymam ab Rege Areta, Arabiſque obſeſſam liberauit: Aretamque ipſum inſequutus,
Lib. 14. c. 4. Petram vſque Syriæ a Pompeio præficitur. Ioſephus Antiquit. & de bello
& 9. Lib. 1. cap. Iudaico in huius rei memoriam camelum & Regem ipſum Aretam in de-
5. & 6. nario ſignatum eſſe credendum eſt. Appianus quoque in Mithridatico facit Aretæ regis mentionem, cum inquit, ἐπολέμησε δ' ὁ Πομπήιος καὶ Ἄραψι, τοῖς Ναβαταίοις, Ἀρέτα βασιλεύοντος αὐτῶν, hoc eſt Pompeius bellum cum Arabibus, Nabathæis, & eorum Rege Areta geſſit. M'. AEMILI LEPIDI Conſulis cum L. Volcatio Tullo anno DCXXVII. qui in ſecundo 2.
denario deſcriptus eſt, facit mentionem Saluſtius in Catilina, & Aſconius in Corneliana. Sed incertum denarij Inſcriptio ad hunc-ne pertineat, an ad alium huius familiæ eodem affectum prænomine; illud certe conſtat, Lepidi pontem, qui antea Sublicius dictus eſt, a Lepido Quæſtore, cuius meminit in Numa Plutarchus, lapideum factum, hoc in denario impreſſum eſſe; ſtatuamque Equeſtrem illi hac de cauſa, vel Lepido alicui ob rem bene geſtam a Senatu decretam, impoſitam eſſe. Nec enim crediderim Equeſtrem ſtatuam indicari quæ cum trophæo in duobus qui ſequuntur 3.
denariis impreſſa eſt: Eam enim ad M. LEPIDVM qui Pont. Max.
Lib. 5. fuit, ac bis Conſul referendam arbitror, cuius meminit Val. Max. iiſdem 4.
cap. 1. fere verbis, quibus denarij Inſcriptio exarata eſt, niſi quod pro, interemit, habet denarius litteram, o, quam interpretor occidit. M. Lepidus (inquit
" Valer.) Annorum Quindecim Prætextatus Hoſtem Interemit, Ciuem Seruauit:
" cuius tam memorabilis operis index eſt in Capitolio ſtatua bullata, & incincta prætexta S. C. poſita; ſimpulum, corona, & crater, pertinent ad Lepidi huius Pontificatum. Quintus denarius nihil habet quod ſit notatu magnopere 5.
dignum,

dignum, præter ipſum Scribonij Puteal, quod in altera parte expreſſum eſt, de quo in Scribonia familia dicemus. Sextus tabellæ denarius cuſus eſt, vt
6. arbitror, a PAVLO LEPIDO Trium-viri fratre, atque in eo ad fraternam indicandam concordiam, Deæ ſignum velato capite adiectum eſt. Pro adoptionis enim ſymbolo concordiam & pietatem in antiquis denariis poſitas eſſe ſæpe animaduertimus. Paullus autem Lepidus adoptatus a patre M. Lepidi Trium-viri fuit, & ex Æmilio Paullo, Paullus Æmilius Lepidus dictus eſt. Habet autem expreſſum ſextus hic denarius L. AEMILII de Perſeo Macedoniæ Rege trophæum, cuius cum alij multi meminerunt, tum Velleius eius autem verba quia denarij inſcriptionem mirifice illuſtrant, Lib. 2. eo libentius adſcribam. Tum Senatus, inquit, Populuſque Romanus L. “Æmilium Paullum, qui & Prætor & Conſul triumphauerat, Virum in tantum “laudandum, in quantum intelligi virtus poteſt, Conſulem creauit, filium “eius Paulli, qui ad Cannas quam tergiuerſanter pernicioſam Reip. pugnam “inierat, tam fortiter in ea mortem obierat. Is Perſeum ingenti prœlio apud “vrbem nomine Pydnam in Macedonia fuſum fugatumque caſtris exuit. “Deletiſque eius copiis deſtitutum omni ſpe coegit e Macedonia profugere; “quam ille linquens in inſulam Samothraciam profugit, templique ſe reli- “gioni ſupplicem credidit. Ad eum Cn. Octauius Pr. qui claſſi præerat, “peruenit, & ratione magis quam vi perſuaſit, vt ſe Romanorum fidei quam “vi committeret. Ita Paullus maximum nobiliſſimumque Regem in triumpho “duxit. De Perſeo & eius quoque filiis in triumpho ductis videndus Plutarchus in vita Paulli, *quo loco nihil eſt illuſtrius.* Æmilius igitur qui vt eſt in tabulis Capitolinis, Proprætore, ex Hiſpania, & Proconſule & Liguribus bis iam triumphauerat, tertium de Perſeo pro Conſulari item poteſtate triumphum egit, ideoque adſcriptum in denario eſt TER, quemadmodum & in antiqua quoque Inſcriptione ſuperioribus annis in via Sacra effoſſa, & in Capitolium translata, notatum ipſi vidimus, L. AEMILIVS L. F. PAVLLVS COS. II. CENS. AVGVR. TRIVMPHAVIT TER. Illud autem prætereundum hoc loco non eſt, reperiri denarium huic ſimilem, in quo Paulli nomen vnico, l, ſcriptum ſit, vt inde intelligi facile poſſit, non ita ſemper duplici, ll,
7. huiuſmodi nomen antiquos ſcripſiſſe. Septimus huius tabellæ denarius pertinet ad L. AEMILIVM PAVLLVM, qui C. Marcelli in Conſulatu Collega anno DCCIII. in medio foro, vt ſcribit Cicero ad. Attic. duas baſilicas, veterem reſtituit, nouam magnificentiſſimam, vel (vt Plinius Lib. 4. inquit) columnis e Phrygibus mirabilem extruxit. Eius meminit Appianus, Lib. 36. Cap. 15. Plutarchus in Cæſare, & Dio his verbis, καὶ τὴν στοὰν Παύλου, καλουμένην, Αἰμίλιος Lib. 2. Lib. 49. Λέπιδος Παῦλος ἰδίοις τέλεσιν ἐξῳκοδόμησε καὶ ἐν τῇ ὑπατείᾳ καθιέρωσεν. Hoc eſt por- “ticum quæ Paulli dicitur, Æmilius Lepidus Paullus ſua impenſa perfecit, “& in Conſulatu dedicauit. *Plutarchus ex ære Cæſaris extructam fuiſſe ait,* Παύλῳ “δ' ὑπάτῳ ὄντι χίλια καὶ πεντακόσια τάλαντα δόντος, ἀφ' ὧν καὶ τὴν βασιλικὴν ἐκεῖνος ὀνομαστὸν ἀνάθημα, τῇ ἀγορᾷ προσεκόμισεν ἀντὶ τῆς Φουλβίας οἰκοδομηθεῖσαν. *Hoc eſt Paulo Conſuli mille quingenta talenta (hoc eſt ex ratione Budæi* 1575000. *libellas) dedit ex quibus baſilicam multi nominis in foro ædificauit & dicauit in area quæ*

Fuluiæ primum fuerat. Huiuſmodi baſilicam incendio poſtea conſumptam
Lib. 54. M. Lepidus reſtituit, vt ſcribit idem Dio, ἥ τε στοὰ ἡ Παύλειος ἐκαύθη, καὶ τὸ πῦρ
» ἀπ᾽ αὐτῆς πρὸς τὸ Ἑστιαῖον ἀφίκετο. Hoc eſt Paulli porticus incendio abſumpta
» eſt, igniſque ab ea ad Veſtæ vſque graſſatus, & paulo poſt, ἡ μὲν οὖν στοὰ
» μετὰ τοῦτο ὀνόματι μὲν ὑπὸ Αἰμιλίου, ἐς ὃν τὸ τοῦ ποιήσαντος αὐτὴν γένος ἐληλύθει, τῷ
» δὲ ἔργῳ ὑπ᾽ Αὐγούστου, καὶ ὑπὸ τῶν τοῦ Παύλου φίλων ᾠκοδομήθη, hoc eſt, hæc
poſtea porticus verbo quidem ab Æmilio, qui ab eo, qui primus hanc
» fecerat, genus ſuum trahebat, re autem ab Auguſto, & Paulli amicis
» refecta eſt. Ex Taciti autem verbis, quæ infra ſubiiciam, imperante iam
» Tiberio, eandem hanc baſilicam, iterum ab alio Lepido Triumviri conſan-
» guineo, refectam fuiſſe intelligimus, eiſdem inquit, diebus Lepidus ab
» Senatu petiuit, vt baſilicam Paulli Æmilia monumenta, propria pecunia
» firmaret, ornaretque; erat enim tum in more publica munificentia, nec
» Auguſtus arguerat Taurum, Philippum, Balbum, hoſtiles exuuias, aut
» exundantes opes, ornatum ad vrbis, & poſterum gloriam conferre: quo
» tunc exemplo Lepidus, quanquam pecuniæ modicus, auitum decus reco-
» luit. Quod vero Tacitus dicit petiiſſe Lepidum a Senatu, vt ſibi Paulli
baſilicam reficere liceret, facit ad denarij inſcriptionem, ex qua M. quoque
Lepidum ex S. C. baſilicam eandem prius refeciſſe cognoſcimus. De Cly-
peis autem in vetere baſilica Æmilia, a M. Æmilio Q. Lutatij in Conſulatu
Collega dedicatis, in quibus eſſent maiorum imagines expreſſæ, cuiuſmodi
in noua quoque baſilica fuiſſe, ex iis qui in argenteo denario inciſi ſunt,
Lib. 75. Cap. 3. intelligere poſſumus, meminit Plinius: ſed de clypeorum huiuſmodi dedi-
catione, cum in aliis veteribus monumentis mentio exſtat, tum in Inſcri-
ptione hac Nepeſina, cuius exemplum deſcripſimus.

NESTORI
Gruter. p. [illegible] AVG. NEPETE
HIC LVDOS FECIT
ET DEDICATIONE
STATVAE PATRONI
QVAM IPSE POSVIT
ET CLVPEI SVI ITERVM
MVNICIPIBVS NEPESINIS
EPVLVM DEDIT.

Octauus tabellæ denarius honorem indicat habitum a Senatu M. Lepido 8.
Pont. Max. & bis Conſuli, de quo ſupra meminimus. Eius honoris memoria
Lib. 4. c. 4. exſtat, cum apud alios, tum apud Valerium Max. cuius verba ſunt hæc.
» Cum Ptolomæus Rex tutorem Populum Romanum filio reliquiſſet, Senatus
» M. Æmilium Lepidum Pont. Max. bis Coſ. ad pueri tutelam gerendam,
» Alexandriam miſit, ampliſſimique & integerrimi viri ſanctitatem, Reip.
» vſibus & ſacris comparatam, externæ procurationi vacare voluit, ne fides
» ciuitatis noſtræ fruſtra petita exiſtimaretur: cuius beneficio regia incuna-
» bula conſeruata pariter ac decorata, incertum Ptolomæum reddiderunt,
» patris-ne fortuna magis, an tutoris maieſtate gloriari deberet. Cornelius

Tacitus de eadem re ita narrat. Iiſque nondum adultis Trebellenus Rufus Lib. 2.
Prætura functus datur, qui regnum interim tractaret, exemplo, quo maiores "
M. Lepidum Ptolemæiliberis tutorem in Ægyptum miſerunt : mittitur, " Lib. 30.
inquit Iuſtinus, & M. Lepidus in Ægyptum, qui tutorio nomine regnum "
pupilli adminiſtraret. Satis igitur horum Scriptorum verbis explicatur cum "
ipſe denarij titulus TVTOR REG. tum ea quæ in altera eius parte
ALEXANDREAE vel vt eſt in alio ALEXSANDREAE hoc eſt, Ægypti
imago impreſſa eſt. De Lepidi autem huius Pontificatu Maximo meminit Lib. 40. 45. in Epit.
Liuius, opinorque M. Lepidum Triumvirum, quia pronepos eius fuerit, Lib. 46. & 47.
vt tradit Cicero in Philippic. in proaui memoriam denarium huiuſmodi Lib. 13.
ſignaſſe.




HVIVS tabellæ denarij, non eſt dubium, quin ad M. LEPIDVM Pont. Max. Triumvirum Reipublicæ conſtituendæ pertineant, de cuius quidem Pontificatu præter ea quæ ab aliis traduntur, hæc ſcribit Dio, Lib. 44.
Ἐπειδὴ ὁ Λέπιδος ἰσχύν τε μεγάλην εἶχεν καὶ φόβον αὐτῷ πολὺν ἐπήρτα τήν τε θυγα- "
τέρα τῷ υἱῷ αὐτοῦ Ἀντώνιος συνῴκισε, καὶ ἀρχιερέα αὐτὸν ἀποδειχθῆναι παρεσκεύασεν. ἵνα "
μηδὲν ὧν ἔπραττε πολυπραγμονοίη. ὅπως γὰρ δὴ ῥᾳδίως αὐτὸ ποίησῃ ἐς τοὺς ἱερέας αὖθις "
ἀπὸ τοῦ δήμου τὴν αἵρεσιν τοῦ ἀρχιερέως ἐπανήγαγε. κἀν τούτοις αὐτὸν οὐδὲν ἢ ὀλίγα τῶν "
νενομισμένων πράξας, ἐτέλεσε, δυνηθεὶς ἂν αὐτὸς ἱερώσασθαι. Hoc eſt, Cumque "


Lepidus multum potentia valeret, cumque Antonius magnopere metueret filiam ſuam Lepidi filio nuptum dedit, ipſumque patrem Lepidum Pontificem Maximum, ne in ipſius actiones inquireret, conſtituit. Quod vt facilius efficeret, Pontificis Maximi electionem a populo ad Pontifices iterum tranſtulit, per eoſque Lepidum, omnibus fere maiorum inſtitutis neglectis,
„ initiauit, cum ipſe id Sacerdotium obtinere potuiſſet. Καὶ ὁ Λέπιδος, inquit
Lib. 2. „ Appianus, ᾑρέθη ἐπὶ τὴν τοῦ Καίσαρος ἱερωσύνην, hoc eſt, & Lepidus in Cæſaris
„ mortui locum Pontifex Maximus factus eſt. *Quartus nummus in honorem Lepidi* 4.
III. Viri cuſus eſt a Diophante quodam quem præfuiſſe inſulæ Co credibile eſt, cui admodum conuenit caput Herculis: hunc huius inſulæ Deum tutelarem fuiſſe ſcribit Plinius. De auguratu autem Lepidi qui indicatur litui ſigno in quinto tabellæ 5.
denario, in quo eſt Lepidi ipſius caput Pontificali habitu velatum, non
Lib. 2. memini me apud Scriptores quidquam legiſſe, *Niſi forſan ille indicatur de quo*
» *Velleius, proſequamur, inquit, notam ſeueritatem Cenſorum Caſſij Longini Cæpio-*
» *niſque, qui abhinc annos* CLVII. (*ſcribebat autem ſub annum* V. C. DCCLXV.
» *imperante Tiberio) Lepidum Æmilium Augurem, quod ſex millibus ædes conduxiſſet, adeſſe iuſſerunt. Nec enim abhorret aſſentantem Lepido Sepullium non tantum eius honores & magiſtratus, ſed & auorum etiam dignitates congeſſiſſe, quæ enim hic cernitur facies M. Lepido III. Viro R. P. C. non nimis conuenit.* Deſultorius certe Eques in altera eius parte impreſſus, quin ad Lepidi Ædilitatem ſpectet, dubitari non poteſt, in qua ludos in Circo exhibuerit. Poteſt etiam ad vrbanam eius Præturam pertinere, in qua ludos Apollinares in Circo fecerit, de quibus infra in Calpurnia gente & Iunia dicemus. Triumvir autem Lepidus R. P. C. cum M. Antonio & C. Cæſare Octauiano anno DCCX. factus, ex ante diem quintum Kal. Ian. ſextas, hoc eſt in quinquennium creatus, anno ſecundo a C. Cæſare Collega abdicare coactus eſt, qui Vrbis annus erat DCCXVII. vixitque vſque ad annum DCCXL. Pontifex Maximus. Sextus tabellæ denarius habet Lepidi Pontificatus inſignia, albo- 6.
galerum, ſeu tutulum, ſeceſpitam, aſperſorium, & ſimpulum. Ea vero inſtrumenta ſunt, quibus in ſacris vtebantur Pontifices, cuiuſmodi in C. Iulij Cæſaris, cui in Pontificatu ſucceſſit Lepidus, & in Cn. Domitij Caluini denario, qui & ipſe Pontifex Maximus fuit, expreſſa ſunt. Septimus 7.
denarius Cabæ, vt opinor, cuſus fuit, quæ ciuitas eſt Africæ Prouinciæ, cuius adminiſtratio, diuiſo in Triumviratu Imperio, M. Lepido obtigerat: in altera autem eius parte, corona Lepido decreta, & copiæ cornu ad indicandam loci vbertatem impreſſum eſt: *hancque Coloniam fuiſſe facit vt credam* 8.
octauus nummus litteris COL. *adſcriptis.*



1. IN primo denario & ſecundo, præter Muſſidij & Vibij Quartumvirorum nomina, de quibus ſuo loco dicetur, nihil eſt notatu dignum. Aſconius
2. Pædianus in Commentario Orationis pro M. Scauro, inter eos qui Scauro
3. reo adfuerunt, nominat L. AEMILIVM BVCAM, his verbis. Ad genua « Iudicum cum ſententiæ ferrentur, bifariam ſe diuiſerunt, qui pro eo rogabant: « ab vno latere Scaurus ipſe & M'. Glabrio, ſororis filius, & Paullus, & P. « Lentulus, Lentuli Nigri Flaminis filius, & L. Æmilius Buca filius, & C. « Memmius Fauſto natus, ſupplicauerunt: Ex altera parte Sulla, Fauſtus « frater Scauri, & C. Apronius Limo; cui Fauſta ante paucos menſes nupſerat, « dimiſſa a Memmio, & T. Peducæus, & C. Cato, & M. Olenas Curtianus. « Cæſar de bello Gallico: Ea res, inquit, per fugitiuos L. Æmilij Decurionis, « Lib. 1. Equitum Gallorum hoſtibus nunciatur. Hunc ego Æmilium opinor eſſe qui «
7. poſtea Cæſare rerum potito Quartumvir, vt ex ſeptimi denarij Inſcriptione apparet, huius tabellæ nummos quatuor poſteriores cum Cæſaris effigie ſignauit. De IIII. Viris vero argento vel auro publice ſignando a Cæſare primum inſtitutis, in familia Iulia dicetur, quemadmodum & de tertij denarij Figuris, & Typis 4. 5. 6.




AFRANIAE gentis frequens eſt mentio apud Scriptores. Ex eis autem, Patricia ne an plebeia fuerit, colligi non poteſt : plebeiam tamen fuiſſe ſuſpicari poſſumus, ex eo quod Q. Cecilius Metellus Celer, qui Conſulatum anno DCXCIII. geſſit, Patricius cum fuerit, eius Collegam L. AFRANIVM plebeium fuiſſe *probabile ſit : quamquam enim alter tantum e Conſulibus, pacto cum plebeis inito, plebeius eſſe deberet, tamen anno* V. C. DXXXI. *C. Popillius Lænas, P. Ælius Lænas, ambo primi de plebe facti ſunt, vt eſt in Faſtis Capitolinis.* SP. AFRANII a quo ſunt cuſi tres primi huius tabellæ 1.
nummi, nulla quod ſciam exſtat mentio, in veteribus monumentis, & 2.
nummi ipſi nihil habent notatu magnopere dignum, niſi quod Spurij 3.
prænomen, S, tantum litterā notatum in eis eſt, vt in Poſthumiorum quoque denariis obſeruauimus, cum debeat ſcribi SP. vt innoteſcat ratio nominis, quod iis tantum conuenit qui S. P. hoc eſt ſine Patre, ſeu incerto patre nati ſunt, vt ait Plutarchus. Quartum denarium, vt ad L. AFRANIVM, 4.
Cn. Pompeij in Hiſpania Legatum referendum credam, multis argumentis adducor: primum quod græce Afranij in eo nomen quatuor litteris, AΦPA, vt in latino ſuperiore argenteo, AFRA, expreſſum eſt, Hiſpaniamque Prouinciam in qua cuſus denarius fuit, a Græcis habitatam olim fuiſſe ex
Lib. 4. c. 20. Plinio conſtat. Deinde quod nummus is Romani argentei pondus habet, & in eo Hiſpanæ monetæ ſymbolum, Eques ſignatus eſt, cuiuſmodi cum in aliis multis, tum in vno æreo, in quo Equiti huiuſmodi HISPANORVM titulus ſubiectus eſt, notatum animaduertimus. Poſtremo quod Varronis quoque denarium, qui & ipſe Pompeij Legatus in Hiſpania fuit, iiſdem fere litteris inſcriptum vidimus, quibus notari nonnulli circumferuntur, qui cum Petreij vel Afranij ſint, falſo Hannibali & Magoni, aliiſve Carthaginienſium Ducibus ab imperitis tribuuntur. Eadem autem in eis Equeſtris
Lib. de bel. ciuil. Statua & Hiſpani Dei imago expreſſa eſt. L. Afranij, M. Petreij, & M.
Lib. 1. c. 34. Lib. 2. Varronis Cn. Pompeij in Hiſpania Legatorum, meminerunt cum alij, tum
Lib. 41. 43. Cæſar, Suetonius, Appianus, & Dio.



ALLIENAE gentis nomen ab ALLIA deductum eſſe, vt a NASIDIA, CLVVIA, SATRIA, NASIDIENAM, CLVVIENAM, SATRIENAM credendum eſt; inter plebeias vero numeratam fuiſſe, vel ex eo conſtat, quod Allienus is, qui legem de terminis tulit, plebeius fuit. Mentio Allienæ gentis exſtat in veteri Inſcriptione cuius exemplum ſubiecimus.

ALLIENAE T. F.
BERENICAE — Gruter. Lipſ. Manut.
C. VETTIVS POLVS
VXORI
SANCTISSIM. ET
C. VETTIVS POLVS
MATRI
PIISSIMAE PATR.
COL. FABR. ET CENT.
L. D. D. D.


A. autem ALLIENVS hic, qui denarium huiuſmodi cuſit, Prætor primum Siciliam Prouinciam obtinuit, vt ſcribit Hirtius. Deinde, inquit, (Lib. 5.) „Allieno Prætori qui Siciliam obtinebat, de omnibus rebus præcipit, & de „reliquo exercitu celeriter imponendo. Eandem poſtea, vt ex denarij Inſcriptione apparet, Cæſare iterum Conſule, pro-Conſulari poteſtate adminiſtrauit: quem honorem vt indicaret, Siciliæ ſymbolum, tria crura in denario ſignauit, Neptuni addita imagine roſtro nauis innixa, ad declarandum maris Imperium, quod tunc in eadem Inſula obtinebat. Hirtius in eodem libro. „Allienus, inquit, interim, pro Conſule, e Lilybeo in naues onerarias imponit legio- „nes XII. & XIV. ſed A. ALLIENI huius claſſis Præfecti, meminerunt (11. & 12. lib. 12. & Philip. 1. 11.) Cicero in Epiſt. ad Caſſium, (Lib. 16.) Strabo, (Lib. 4.) Appianus & (Lib. 42.) Dio. Veneris caput in altera denarij parte impreſſum, ad Cæſarem ob Iuliæ gentis originem referendum eſt.



ANNIAE gentis plebeiæ ita multi ex antiquis Scriptoribus meminerunt vt eorum indicandis locis ſuperſedendum mihi ſit. Quod autem ad huius tabellæ argenteos denarios pertinet, id non prætermittam, opinari nonnullos C. ANNIVM in eis deſignari, qui pro-Conſulari poteſtate, vt eſt apud Plutarchum contra Sertorium in Hiſpaniam miſſus eſt, atque in altero caduceum & lances, ad pacem & iuſtitiam ſignificandam expreſſas eſſe. L. certe Fabius Hiſpanienſis & C. Tarquitius, ſi quid hoc ad eam confirmandam opinionem facit, in Sertorianis partibus fuerunt, cum C. Annius illud bellum conficiendum ſuſcepit, vt ex Saluſtij Hiſtoriarum fragmento, quod in Tarquitia gente adduximus ſuo loco notauimus. De Annio qui III. Vir aereos nummos ſub Auguſto (vt opinor) ſignauit, nihil me apud veteres Scriptores legiſſe memini. *Ad C. Annij Patrem fortaſſe pertinet vetus hæc inſcriptio Ateſte circa Patauium recondita.*

T. ANNIVS P. F.
Gruterus p. 354. FAB. SECVNDVS
TRIB. MIL. PRAEF.
I. D. CVR. AER
T. F. I.

ANTESTIAM




ANTESTIAM gentem, *quam plebeiam fuiſſe teſtatur Liuius*, eandem Lib. 6. eſſe cum Antiſtia, ex veteribus Inſcriptionibus maniféſte intelligere Dec. 1. poſſumus, quarum vnius exemplum extat Romæ huiuſmodi.


L. ANTESTIVS CN. F. HOR.
SARCVLO SALIVS ALBANVS
ANTISTIA L. L...... PLVTIA
FVFIA P. F. TERTIA SOROR
L. ANTESTIVS L. L. QVINCTIO
L. ANTISTIVS L. L. RVFVS L. ANTISTIVS L. Ɔ. L. THAMYRVS
L. ANTISTIVS L. Ɔ. L. ANTHVS L. ANTISTIVS L. L. EROS CAPPADOXS.

1. L. ANTESTII qui in primo tabellæ denario notatus eſt, dimidiatum cognomen GRAG. quale ſit reperire adhuc non potui, *quemadmodum nec quis fuerit ille a quo cuſus eſt, quanquam in faſtis Cap.* L. ANTESTIVM *Trib. mil. inuenio, anno* V. C. CCCLXXIV. *ſed nondum argento ſignato vti Romani cœperant. Poteſt tamen in eius honorem a quodam e poſteris fuiſſe percuſſus hic denarius.* C. autem ANTESTIVS qui in duobus ſequentibus denariis ſine
2. cognomine deſcriptus eſt, poteſt is eſſe, qui Conſul ex Kal. Iul. anno
3. DCCXXIII. M. Licinio ſuffectus fuit, cuiuſque contra Cæcilium Baſſum Lib. 47. acta narrat Dio.

C



ANTIAE gentis plebeiæ mentionem faciunt Cicero, Liuius, & alij.
Ex ea fuit C. ANTIVS RESTIO, cuius imago in primo denario 1.
impreſſa eſt: qui per eadem fere tempora vixit, quibus M. Cicero floruit;
Lib. 2. Cap. 24. Legemque ſumptuariam tulit, cuius meminit Agellius & Macrobius his
Lib. 3. „ verbis: Sulla mortuo Lepidus Conſul Legem tulit & ipſe cibariam (Cato
„ enim ſumptuarias leges cibarias appellat) dehinc paucis interiectis annis,
„ alia Lex peruenit ad populum ferente Antio Reſtione quam Legem quam-
„ vis eſſet optima, obſtinatio tamen luxuriæ, & vitiorum firma concordia,
„ nullo abrogante irritam fecit. Illud tamen memorabile de Reſtione latore
„ ipſius Legis fertur, eum quoad vixit; foris poſtea non recœnaſſe, ne teſtis
Lib. 4. „ fieret contemptæ Legis, quam ipſe bono publico pertuliſſet. Appianus
Lib. 1. & idem Macrobius C. ANTIVM RESTIONEM a Trium-viris
proſcriptum, ſerui incredibili quadam pietate ſeruatum ſcribunt. Deorum
autem Penatium imagines in altera ſecundi denarij parte expreſſæ fortaſſe 2.
ſunt, vel quod Antia Reſtionum Familia Laniuio, vbi Penatium ſimu-
lacra ſeruabantur, vt ex Varrone & Pædiano in Sulpicia gente ſcripſimus,
oriunda fuerit; vel quod Legem Reſtio tulerit, quæ ad augendam reli-
gionem Penatium Deorum pertinuerit. Tertius denarius in quo bouis 3.
caput infula redimitum expreſſum eſt, dubitari non poteſt, quin ad ſæcu-
lares ludos, quibus id animal ſacrificabatur, quibuſque ex Reſtionum
Familia, Quindecim-Vir aliquis interfuerit, referendus ſit.



ANTISTIAE gentis plebeiæ, REGINORVM & VETERVM Familiæ fuere, de quibus frequens eſt mentio, cum apud Latinos, tum apud Græcos rerum Romanarum Scriptores. Cæſar de bello Gallico Lib. 6.
nominat C. quendam Antiſtium Reginum, patrem fortaſſe Antiſtij huius qui Triumvir ſub Auguſto denarium cuſit: niſi malimus Antiſtium hunc
1. de quo facit Cæſar mentionem, a Triumviro Reipublicæ Conſtituendæ, vt Appianus ſcribit proſcriptum, & mox deſperatis Sex. Pompeij, ad quem Lib. 4.
confugerat, rebus, Antonij partes ſecutum, ad Auguſtum tranſiiſſe, & ſub eo denarium argenteum ſignaſſe. Ego, etſi in re tam dubia nihil audeam affirmare, labor tamen vt ANTISTIVM hunc, qui monetam cuſit, filium eius Antiſtij credam, quem nominatum a Cæſare ſupra dixi, quemque Pontificem fuiſſe, ex inſtrumentis quæ in altera denarij parte expreſſa ſunt, Lib. 6.
intelligere poſſumus. Cæſaris verba de Antiſtio patre ſunt hæc. Multis de cauſis Cæſar maiorem Galliæ motum expectans, per M. Silanum, C. Antiſtium Reginum, T. Sextium Legatos delectum habere inſtituit: & C. Antiſtius Reginus, & L. Caninius Regulus Legati, cum duabus legionibus Lib. 7.
2. obtinebant. ANTISTIVS VETVS cuius eſt alter tabellæ denarius, Conſul fuit cum D. Lælio Balbo anno DCCXLVII. De eo extat, *apud Ciceronem in Epiſtolis ad Brutum perhonorificum teſtimonium*, tum Epigramma Laureæ Tullij, quod recitat Plinius. Lib. 31. Cap. 1.

Quo tua Romanæ vindex clariſſime linguæ
Sylua loco melius ſurgere iuſſa viret:
Atque Academiæ celebratam nomine villam
Nunc reparat cultu ſub potiore VETVS:
Hic etiam apparent Lymphæ non ante repertæ,
Languida quæ infuſo lumine rore leuant.
Nimirum locus ipſe ſui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cum patefecit ope.
Vt, quoniam totum legitur ſine fine per orbem,
Sint plures oculis quæ medeantur aquæ.

Inſtrumenta Pontificalia, quæ in altera denarij parte impreſſa ſunt, Antiſtij Pontificatum indicant, de quo meminit his verbis Velleius. Cum Cæſar

Quæſtor eſſet ſub VETERE ANTISTIO auo huius Veteris, Conſularis
Lib 2. atque Pontificis, duorum Conſularium & Sacerdotum patris; viri in tantum „ boni, in quantum humana ſimplicitas intelligi poteſt. Cum hoc Velleij loco „ de Antiſtij filiis, conuenit vetus hæc Inſcriptio, quam Præneſte vidimus. „

L. ANTISTIVS
C. F. AEMILIA VETVS
AVGVR
FORTVNAE PRIMIG.
EX VOTO SVSCEPTO.

Cæterum tertius nummus quo ſpectet perſpicuum eſt: victoriæ nimium Actiæ atteſtatur, in quam inter alia permulta Virgilius, 3.

8. Æneid.

Actius hæc cernens arcum tendebat Apollo,
Deſuper omnis eo terrore Ægyptus & Indi
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabæi.

In Augusto.

Huic vt gratiam referret Auguſtus in loco in quo caſtra-metatus fuerat, ἕδος τι τοῦ Ἀπόλλωνος ὑπαίθριον ἵδρυσεν, *hoc eſt, aram ſub Dio exædificauit & conſecrauit Apollini: vt ait Dio, in cuius rei memoriam* C. ANTISTIVS VETVS *III-Vir mox (hoc eſt, anno* V. C. DCCXXIII.*) Conſul cum Cæſare Kal. Iuliis Craſſo ſuffectus, vt teſtantur veteres Inſcriptiones, hunc denarium cuſit.*



In Antonio.

ANTONIAE gentis *(quam ab Anteone Herculis filio oriundam tenet vetus opinio vt refert Plutarchus)* duæ familiæ fuerunt. Patricia

1. vna Merendarum, altera plebeia, quæ cognomine caruit, ex qua ortus
2. eſt L. ANTONIVS Triumviri frater, ad quem pertinent, *primi quatuor*
3. huius tabellæ denarij. Conſul is fuit anno DCCXI. cum P. Seruilio Vatia
4. Iſaurico II. & ob Pietatem erga M. Antonium fratrem Pietas cognominatus eſt; ad quod indicandum cognomen, Pietatis ſymbolum Ciconia in tertio & quarto denario ſignata eſt. Dio huius cognominis originem Lib. 48. hanc tradit, quod L. Antonius Conſul vna cum Fuluia M. Fratris vxore Rempublicam eo animo tractauit, quaſi cum M. Fratre Triumviro laboraret. Eius verba ſunt hæc. Ἀλλ' ὅτε Λούκιος μετὰ τῆς Φουλβίας τῶν τε πραγμάτων, ὡς καὶ ὑπὲρ τοῦ Μάρκου τοῦτο δρῶν, ἀντελαμβάνετο, καὶ οὐδενὸς αὐτῷ ὑφίετο. διὰ γὰρ τὴν πρὸς τὸν ἀδελφὸν εὐσέβειαν, καὶ ἐπωνυμίαν ἑαυτῷ πίετον ἐπέθετο. *Quintus ad* C. ANTONIVM *pertinet qui cum M. Tullio Cicerone anno* V. C. DCXC. *Conſulatum iniit. Antonio Gallia, Ciceroni Macedonia obuenere; hanc Collegæ Cicero conceſſit vrbanis rebus contentus, quas tam fœliciter moderatus eſt vt togatus armatos coniuratos e factione Catilinæ vrbe concedere coegerit, reliquam belli molem ſuſcepit C. Antonius & Catilinam in agro Piſtorienſi pro-Cos. fudit fugauitque anno* V. C. DCXCI. *ad quem referendus videtur hic denarius: inde in Thraciam cum faſcibus laureatis Præfectus rebus improſpere geſtis accuſatur per M. Cœlium, cum illi miſero præclari in Rempublicam beneficij memoria nihil profuiſſet, nocuiſſet opinio maleficij cogitati (vt ait Cicero) damnatus eſt. Denique anno* DCCXI. *C. Antonius poſt Præturam qua* pro Cœlio. *cum Bruto functus erat in Macedoniam abiit, Apolloniæ captus a Bruti militibus in vincula coniectus, cum per vim e cuſtodia raperetur a cuſtode C. Clodio fuit nteremptus. Quod adiectum eſt M. F. idem in faſtis Capitolinis inueni. Quod autem M. & L. Antonios attinet ideo additum eſt M. N. quod auus eorum fuerit vt Plutarchus ait M. ille Antonius Oratorum ſuæ ætatis Princeps e cuius perſona Cicero tam multa in libris de Orat. hos tres fratres vocat. Quid indicet facies iuue-* Ep.3.ad M. Brutum.
6. *nilis neſcio niſi Mercurium: de huius-ce Pontificatu, nihil memini me legiſſe: Quod*
7. *ad M. pertinet & effigiem eius in ſequentibus nummis impreſſam pulchre facere*
8. *mihi videtur locus ille Plutarchi,* προσῆν δὲ καὶ μορφῆς ἐλευθέριον ἀξίωμα καὶ πώγων τις οὐκ ἀγεννὴς καὶ πλάτος τι μετώπου καὶ γρυπότης μυκτῆρος ἐδόκει τοῖς γραφομένοις, καὶ πλαττομένοις Ἡρακλέους προσώποις ἐμφερὲς ἔχειν τὸ ἀῤῥενωπόν. *Hoc eſt huc accedebat dignitas oris libero digna, & barba non indecora, & frontis amplitudo, & naſi aduncitas, quibus referre videbatur vigorem hunc & maſculum robur quod a pictoribus & ſtatuariis Herculi tribui ſolet. Ad eiuſdem indicandum auguratum in ſexto denario ipſius imago augurali habitu expreſſa eſt. Cicero, Plutarchus* Lib.2.Phil.
in Ant. & Hirtius de bello Gal. Hunc, inquit, etſi Augurem prius factum Lib. 8.
quam Italiam attingeret in itinere audierat: tamen non minus iuſtam ſibi cauſam «
municipia & colonias adeundi exiſtimauit, vt iis gratias ageret, quod frequentiam «
atque officium ſuum Antonio præſtitiſſent. «



Lib. 2. AD huius tabellæ denarios pertinent ea quæ de M. Antonio ſcribit Velleius. Creſcente, inquit, deinde & amoris in Cleopatram incendio, & vitiorum, quæ ſemper facultatibus, licentiaque & aſſentationibus aluntur magnitudine, bellum Patriæ inferre conſtituit, cum ante nouum ſe Liberum Patrem appellari iuſſiſſet, cum redimitus hederis, coronaque velatus aurea, thyrſum tenens, cothurniſque ſuccinctus, curru velut Liber Pater

Lib. 48. vectus eſſet Alexandriæ. Dio ſic ſcribit, Ὁ Ἀντώνιος αὐτὸς μὲν ἐς τὴν Ἑλλάδα ἀπὸ τῆς Ἰταλίας ἐπανελθὼν, ἐνταῦθα ἐπὶ πλεῖστον ἐχρόνισε, ταῖς τε ἐπιθυμίαις ἅμα ἐμπιμπλὰς, καὶ τὰς πόλεις κακῶν, ἵνα ὅτι ἀσθενέστατα τῷ Σέξτῳ προσ[illegible]θῶσι, καὶ ἄλλα τε ἐν τούτῳ πολλὰ ἔξω τῶν πατρίων ἐξεδιῃτήθη, καὶ Διόνυσον ἑαυτὸν νέον αὐτός τε ἐκάλει, καὶ ὑπὸ τῶν ἄλλων ὀνομάζεσθαι ἠξίου. Dionis autem locus hic & qui ſupra adductus eſt Velleij primum tabellæ monumentum mirifice illuſtrant, *quemadmodum & quod ait Plutarchus*, Εἰς γοῦν Ἔφεσον εἰσιόντος αὐτοῦ, αἱ μὲν γυναῖκες εἰς 1. 2.
βάκχας, ἄνδρες δὲ καὶ παῖδες εἰς σατύρους καὶ πᾶνας ἡγοῦντο διεσκευασμένοι, κιττοῦ δὲ καὶ θύρσων καὶ ψαλτηρίων καὶ συρίγγων καὶ αὐλῶν ἡ πόλις ἦν πλέα Διόνυσον αὐτὸν ἀποκαλουμένων χαριδότην καὶ μειλίχιον. *Hoc eſt, cum in Epheſum intraret, mulieres quidem in baccharum formam, viri autem & pueri in ſatyrorum & paniſcorum ſpeciem adornati præibant: hederarum autem & thyrſorum & pſalteriorum, & fiſtularum, & tibiarum vrbs plena erat. Cunctis hunc Liberum Patrem gratiæ largitorem*

& mellitum indigetantibus. Ad tres vltimos prioris tabellæ denarios &
ſequentes ſpectant illa ex Dionyſ. Αὐτὸς μὲν Ὄσιρις καὶ Διόνυσος ἐκείνη δὲ Σε- Lib. 50.
λήνη τε καὶ Ἶσις λέγοντες εἶναι. Paulo poſt, τὴν δὲ ἄνθρωπον ἐκείνην καθάπερ τινὰ Ἶσιν,
ἢ Σελήνην προσκυνοῦσα, καὶ τούς τε παῖδας αὐτῆς ἥλιον καὶ Σελήνην ὀνομάζοντα, καὶ τὸ
τελευταῖον καὶ ἑαυτὸν Ὄσιριν καὶ Διόνυσον ἐπικεκληκότα. Solem enim eundem eſſe cum
3. Oſiride ſcribunt Herodotus, Diodorus & alij. *Tertius nummus maioris moduli
eadem pene iterat, hoc eſt hederam, Aſiæ typum, & illam qua nihil fœdius fuit victo-
riam, ſeu potius, vt cum Velleio loquar, fugam cum e Parthis ægre viuus lacero
exercitu ſe recepit, id enim velle videtur pharetra. Eſt tamen potior coniectura ab
Cretenſibus fuiſſe cuſum in honorem Antonij cuius libidinibus certatim omnes aſſen-
tabantur. Multi enim occurrunt nummi hoc Typo ſignati cum hac Inſcriptione*
ΚΡΗΤΑΙΩΝ; *Id autem aperte, vt ſoleo, fatebor non eſſe vſquequaque
indubitatæ antiquitatis hunc nummum, tametſi vix aliud noui cur reiiciatur, niſi
quod & admodum eſt integer & ſic affabre factus vt nihil addi poſſit. Eſt*
5. *autem ſuſpicio male Antonio tributum fuiſſe quintum hunc nummum cum potius ad
Claudium Imperatorem pertineat quem refert Typus faciei, qui ab Antonij vultu
differt admodum. Porro quod ad Antonium relatus ſit duplici de cauſa factum puto,
& quod non leuiter inuitauerit egregia hæc conuenientia loci e Plutarcho citati
cum re explicanda, & quod pene obliteratum caput facultatem dabat cuilibet
tribuendi.* Ad *quinti ſuperioris tabellæ denarij* Inſcriptionem facit eiuſdem
Dionis locus ex eodem lib. τίς δ' οὐκ ἂν ἐθρήνησε, καὶ ἀκούων καὶ ὁρῶν αὐτὸν τὸν
Ἀντώνιον, τὸν δὶς ὕπατον, τὸν πολλάκις αὐτοκράτορα. Cleopatram, cuius effigies in
primo, ſecundo, quarto, & ſexto huius tabellæ denario expreſſa eſt,
6. Reginam Regum vt in ſexto denario inſcriptum eſt, a M. Antonio appel-
latam fuiſſe ſcribit Plutarchus in Antonio & Dio his verbis, μετὰ δὲ τοῦτο ὁ Lib. 48.
Ἀντώνιος τοὺς Ἀλεξανδρέας εἱστίασε, καὶ Κλεοπάτραν, τοὺς δὲ παῖδας αὐτῆς ἐν ἐκκλησίᾳ
παρεκαθίσατο, δημηγορήσας τέ τινα, ἐκείνην τε βασιλίδα βασιλέων καὶ τὸν Πτολεμαῖον ὃν
Καισαρίωνα ἐπωνόμαζον βασιλέα βασιλέων καλεῖσθαι ἐκέλευσεν. Hoc eſt, deinde
Antonius Alexandrinis epulum præbuit, ac in concilio Populi, Cleopatræ,
eiuſque Liberis propter ſe ſedem dedit, habitaque ad Populum quadam
oratione, Cleopatram Reginam Regum, & Ptolemæum quem Cæſarionem
cognominabant, Regem Regum appellari iuſſit. Antonius vero vt per
fraudem Armeniæ Regem ceperit, vtque tractauerit, videndus idem Dio, Lib. 49.
Ὡς δὲ, inquit, οὔτε οἱ χρυσοφύλακες προσεῖχον αὐτῷ, καὶ οἱ τὰ ὅπλα ἔχοντες, Ἀρτάξην
τὸν πρεσβύτατον τῶν παίδων αὐτοῦ, βασιλέα ἀνθείλοντο, ἔδησεν αὐτὸν ἀργυραῖς ἁλύσεσιν·
αἰσχρὸν γὰρ, ὡς ἔοικεν, ἦν βασιλέα αὐτὸν γεγονότα σιδηραῖς δεθῆναι. κἀκ τούτου τοὺς μὲν
ἐθελοντὴς, τοὺς δὲ καὶ βίᾳ λαβὼν, πᾶσαν τὴν Ἀρμενίαν κατέσχεν. Hoc eſt, poſtquam
autem cuſtodes gazæ ei non obtemperarunt & qui in armis erant, Artaxam
maximum natu inter Filios eius, Regem eius loco conſtituerunt, argen-
teis Arthabazum cathenis vinxit, quia nimirum turpe erat Regem ferreis
in cathenis haberi. Poſt hæc vniuerſam Armeniam partim vi, partim
deditione in deditionem accepit. His ſimilia ſcribit Velleius, his verbis. Lib. 2.
Tertia ætate reuerſus in Armeniam Regem eius Artauaſdem, fraude
deceptum, cathenis, ſed ne quid honoris deeſſet, aureis deuinxit: &

Lib. 131. » Florus, Antonius, inquit, Artiniridem Armeniæ Regem fide data productum » in vincula coniici iuſſit, Regnumque Armeniæ Filio ſuo ex Cleopatra nato » dedit. Eadem de Armenia deuicta, & eius Rege capto, ſcribit Appianus in Parthico; quo pertinet, κίταρις, ſeu tiara, *vt vocat Plutarchus*, pone Antonij caput in denario impreſſa, Armeniæ Prouinciæ ſymbolum, quod in Auguſti quoque denariis reperitur, cum Inſcriptione Armenia Capta. Variant autem Græci, Latinique inter ſe Scriptores in eius Regis nomine ſcribendo, vt non facile quod retinendum ſit videre liceat. Ad ſecundi autem denarij alteram partem, in qua Mineruæ ſignum impreſſum 2.
Lib. 48. eſt facit fortaſſe quod de Antonio ſcribit Dio, Ἐπειδή τε, inquit, οἱ Ἀθηναῖοι πρός τε τοῦτο καὶ πρὸς τὰ ἄλλα τὴν Ἀθηνᾶν αὐτῷ κατηγγύησαν, δέχεσθαί τε τὸν γάμον ἔφη, καὶ προῖκα μυριάδας ἑκατὸν παρ' αὐτῶν ἐξέπραξεν. Hoc eſt cumque Athenienſes inter reliquos honores etiam Mineruam ei deſpondiſſent, probare ſe id matrimonium dixit, dotiſque nomine quadragies ſextertium exegit. *Vt non mirum ſit* Φιλαθηναίου *nomen tuliſſe, quod teſtatur Plutarchus.*



PRIMVM Conſulatum geſſit Antonius cum Cæſare anno DCCIX. quo a Coniuratis occiſo, ſuffecit ſibi P. Dolabellam: deinde Trium-Vir factus cum Lepido & C. Cæſare in quinquennium, idem Imperium in alterum quinquennium accepit: atque Conſul II. factus cum L. Libone anno

anno DCCXIX. abdicauit, ſuffecto L. Atratino: deſignatus tertio in
annum DCCXXII. hoſtis iudicatus non iniit. De Antonio Imp. appellato,
1. videndus Appianus. *Has dignitates indicant vltimi duo ſuperioris tabellæ denarij* Lib. 5. bell. ciuil.
2. *& huiuſce primi quatuor*, in quibus nihil eſt aliud notatu magnopere
3. dignum præter GELLII & BARBATI nomina, Antonij Prouincia-
4. lium Quæſtorum, de quibus in Gellia gente & Valeria ſuo loco dicetur.
De CN. DOMITIO AHENOBARBO Neronis Imperatoris proauo,
5. quem Præfectum Antonianæ claſſis fuiſſe ex iis quæ in quinto denario
impreſſa ſunt intelligimus, quamuis in gente Domitia ſcribendum nobis
ſit, non erit tamen ab hoc loco alienum Suetonij verba recitare, quæ de Lib. 6. Cap. 3.
eo ſcripſit: Reliquit, inquit, filium omnibus gentis ſuæ procul dubio
præferendum. Is inter conſcios Cæſarianæ necis, quamquam inſons, dam-
natus lege Pedia, ad Caſſium Brutumque ſe, propinqua ſibi cognatione
coniunctos, contuliſſet, poſt vtriuſque interitum, claſſem olim commiſſam
retinuit, auxit etiam, nec niſi partibus vbique profligatis, M. Antonio
ſponte, & ingentis meriti loco tradidit, ſolusque omnium ex iis qui pari
lege damnati erant, reſtitutus in patriam ampliſſimos honores percucurrit:
ac ſubinde redintegrata ciuili diſſenſione, eidem Antonio Legatus delatam
ſibi ſummam Imperij ab iis, quos Cleopatræ pudebat, neque ſuſcipere,
neque recuſare fidenter, propter ſubitam valetudinem auſus; tranſiit ad
Auguſtum, & in diebus paucis obiit, nonnulla & ipſe infamia aſperſus.
Nam Antonius eum deſiderio amicæ Seruiliæ Naidis transfugiſſe iactauit.
*Hunc tamen benignè tractauit, etenim omnem ſupellectilem, & ſeruitia, & amicos,
ad eum inuita nonnihil Cleopatra remiſit.* Εὐγνωμόνως δὲ καὶ τῷ Δομιτίῳ προσηνέχθη
παρὰ τὴν Κλεοπάτρας γνώμην. καὶ πᾶσαν αὐτῷ τὴν ἀποσκευὴν μετὰ τῶν φίλων καὶ
6. τῶν θεραπόντων ἀπέπεμψε. *Inquit Plutarchus in Antonio.* De M. IVNIO SILANO
qui & ipſe Antonij partes ſecutus eſt, vt ex Dione conſtat, in Iunia Sila- Lib. 46.
7. norum Familia paulo poſt dicetur. De MVNATIO vero PLANCO, qui
Antonianarum (vt Vellei verbis vtar) adiutor partium fuit & PINARIO Lib. 2.
8. SCARPO qui ſub eodem Antonio Africam Prouinciam adminiſtrandam
obtinuit, in Munatia gente & Pinaria infra ſcribetur, vbi & de Ioue Ammone
qui apud Afros κριοπρόσωπος, hoc eſt arietino vultu, colebatur, abunde
7. a nobis tractabitur. *Nunc quod ad Auguratus inſignia ſpectat, quibus ex aduerſo
vas opponitur inter fulgur & caduceum, non poſſum quin vehementer amplectar
Illuſtris antiquarij Viri Litteratiſſimi Triſtani coniecturam. Is putat in apparatu belli
Parthici fuiſſe cuſum hunc nummum, cum inuidens Antonius Legato Ventidio nouo
homini qui Pacorum deuicerat, infælicem illam in Parthos expeditionem deſignabat,
atque eam in rem appoſite refert Plutarchi verba,* Καὶ κατά τι λόγιον, *inquit,* ἀπὸ
τῆς Κλεψύδρας ὕδατος ἐμπλήσας ἀγγεῖον ἐκόμιζεν, *(Clepſydram autem ſcaturiginem in
arce Athenarum fuiſſe tradit Heſychius) hoc eſt, oraculo cuidam obtemperans ex Clepſydræ
aqua vas impleuit & ſecum exportauit. Ita quod vas proſperum belli euentum polli-
cebatur, id inter belli minas & Pacis oſtentationem poni iuſſit, vt indicaret ſe certum
eſſe Deorum fide aut ferro & igni ad ſuas conditiones adducturum Parthorum gentem,
aut eorum voluntate in deditionem accepturum: cui etiam opinioni non parum contu-*


liſse Plancum credibile eſt, tum quod belli partem adminiſtrauerit, tum quod inter Antonij aſsentatores vnus fuerit profligatiſſimus vt in explicatione Munatiæ *Gentis infra docebitur.*




PRIMVS huius tabellæ denarius pertinet vt arbitror ad M. Antonij 1.
victoriam Parthicam, quam narrant. Dio & Plutarchus in Antonio.
Has notas D. TVR. *poſt victoriam appoſitas ad Decimum Turdum reuocant.*
Aliæ interdum apparent, alia ſignificantes: nonnunquam etiam Victoria abſque 3.
Inſcriptione cernitur. De BIBVLO, FONTEIO, & ATRATINO, qui & 4.
ipſi Antonianarum partium fuerunt, non eſt hic locus ſcribendi: ſed in 5.
Calpurnia, Fonteia & Sempronia Gente, quæ ad huius tabellæ dena- 6.
riorum intelligentiam pertinebunt, diligenter a nobis indicabuntur. 7.



1. PRIMVS *huius tabellæ denarius vt & ſuperiores duo ad Semproniam gentem*
2. *pertinent, de quibus ſuo loco dicetur. Secundus idem fere eſt quam ſeptimus*
3. *primæ huius-ce gentis tabellæ. Quatuor qui ſequuntur nummi quinarij ſunt :* Ex iis quæ in vna tertij parte ſignata ſunt, Antonij auguratus; ex iis vero
4. quæ in altera, Lepidi Pontificatus indicatur. Quartus ſignatus (vt opinor) eſt a Lugdunenſi Colonia, quam a Silano, Lepido & Planco, qui cum Antonio conſpirauerant, deductam fuiſſe ſcribit Dio, Καὶ οὗτος, inquit, Lib. 46.
ἐκεῖνος ὑπομείναντες τὸ Λουγούδουνον μὲν ὀνομασθὲν, νῦν δὲ Λούγδουνον καλούμενον ἔκτισαν. Hoc eſt, itaque illi ſubſiſtentes Lugudunum, quod nunc Lugdu- “
num vocetur, ædificauerunt. Leonis autem ſignum quod in altera quinarij “
parte & vltimi ſuperioris tabellæ expreſſum eſt, magis placet, vt ad Coloniæ vetus inſigne a quo fortaſſe nomen id, quo nunc vocatur traxit, referatur; quam ad Hiſtoriam illam quam narrat Plinius. M. ſcilicet Antonium dum Lib. 8.
triumpharet, primum Leones currui iunxiſſe : notis vero A. XLI. annos ſignificari arbitror a Lugduno condito ad Coloniam deductam : cuiuſquidem
5. Coloniæ mentio quoque eſt in veteri Inſcriptione, cuius exemplum in
6. Munatia gente proferemus. Quintus & ſextus denarius, ſeptimus item &
7. octauus denarius ſine dubio ad Antonij victoriam ſpectant, ſiue Parthicam,
8. ſiue Armeniacam. Vt & primus ſequentis tabellæ.




In huius tabellæ quinque denariis, Caduceus Pacis Symbolum ſignatus eſt, ad indicandam (vt arbitror) Pacem quam M. Antonivs cum C. Cæſare fecit anno DCCXIII. ex qua ambo ouantes vrbem ingreſſi
Lib. 48. ſunt. Eius meminit Dio, Ὡς δ᾽ οὖν, inquit, ὁ τῆς Φουλβίας θάνατος ἠγγέλθη, τά τε ὅπλα ἀμφότεροι κατέθεντο, εἴτ᾽ οὖν ὄντως ἐκπολεμούμενοι πρότερον ὑπὸ τῆς Φουλβίας, εἴτε καὶ πρόφασιν τὸν θάνατον αὐτῆς πρὸς τὸ παρ᾽ ἀλλήλων δέος, ὥστε καὶ ἀντιπάλους, καὶ τὰς δυνάμεις, καὶ τὰς ἐλπίδας ἔχοντες, ποιησάμενοι. κἀν τούτῳ Καῖσαρ μὲν Σαρδώ τε καὶ Δελματίαν τήν τε Ἰβηρίαν, καὶ τὴν Γαλατίαν, Ἀντώνιος δὲ τἆλλα πάντα τὰ ὑπὲρ τὸν Ἰόνιον, τά τε ἐν τῇ Ἀσίᾳ τοῖς Ῥωμαίοις ὄντα ἀπέλαχε, τά τε γὰρ ἐν τῇ Λιβύῃ ἔθνη ὁ Λέπιδος, καὶ τὴν Σικελίαν ὁ Σέξτος εἶχεν. Hoc eſt, enim-vero Fuluia mortua, ſtatim vterque armis
» poſitis in gratiam redierunt, ſiue quod reuera, ad bellum ipſos Fuluia inci-
» taſſet, ſiue hac præſcriptione vtentes, cum alter alterum metueret, &
» vterque æquis viribus & ſpe vteretur. Tum Cæſari Sardinia, & Delmatia,
» Hiſpaniaque & Gallia, Antonio reliquæ omnes trans Ionium mare Regiones
» adſcriptæ ſunt, nam Africæ Prouincias Lepidus habebat, Siciliam Sextus. Huiuſmodi Pacis in Capitolinis quoque tabulis mentio reperitur. De ſexto denario in gente Claudia dicetur. 6.




LEGIONES Antonij (ſiue XXV. illæ fuerint, vt ſcribit Dio ſiue XXVIII. vt Lib. 55.
Appianus, ſiue vt ex Epiſtola Galbæ ad Ciceronem colligitur XXXV. Lib. 5. bellorum ciuilium.
in argenteis denariis ad XXV. vſque continuato numero, eodemque Lib. 10.
interrupto ad XXXIII. tantum videre licuit. Quod vero Romanæ Legiones ex ordine delectuum prima, ſecunda, & tertia deinceps vocarentur, ſcribit Dio, his verbis. Lib. 38. Ἐξαίρετον δὲ δὴ τὸ δέκατον στράτευμα ἐποιήσατο, ὅτι εὐνοϊκῶς πως ἀεὶ αὐτοῦ εἶχεν. οὕτω δὲ δὴ τὰ πολιτικὰ στρατόπεδα πρὸς τὴν τῶν καταλόγων τάξιν ὠνομάζετο. ὅθεν περ καὶ νῦν ὁμοίως τὰ νῦν ὄντα τὰς ἐπικλήσεις ἔχει. Hoc eſt, Decimam autem Legionem (ſic enim ſecundum ordinem delectuum „ Romanæ Legiones nominabantur: hodieque eadem ratione cognomenta „ ſua ſortiuntur) Cæſar cohortem Prætoriam ſibi delegit, quod eorum bene- „ uolentiam peculiarem quandam ſemper ſenſerat. Antonij Prætoriæ nauis „ facit mentionem Appianus, τῇ στρατηγίδι δὲ, inquit, Ἀντωνίου τὴν Καίσαρος στρατηγίδα Lib. 5. ἀντέταξεν. Quid autem ſit Prætoria cohors, declarat Sex. Pompeius his verbis. Prætoria cohors eſt dicta, quod a Prætore non diſcedebat. Scipio enim Africanus primus fortiſſimum quemque delegit, qui ab eo in bello non diſcederet, & cætero munere militiæ vacaret, & ſeſquiduplex ſtipendium acciperet. Sextam Legionem ab Antonino & Vero Auguſtis reſtitutam
8. fuiſſe, ex nullo Scriptorum, præterquam ex octaui denarij Inſcriptione


cognoſcimus. Quintam quoque Legionem a Veſpaſiano Imperatore reſtitutam eſſe conſtat, ex alterius denarij titulo, quem ipſi vidimus cum litteris VESP. IMP.




LEGIONIS XII. ANTIQVAE, quæ in huius tabellæ denario notata eſt, nullus quod ſciam veterum Scriptorum facit mentionem.



Legio XVII. Classica in quinto huius tabellæ denario ſignata, niſi antiquus hic denarius extaret, fuiſſet nobis prorſus ignota, vt & Legio XVIII. Libyca in ſeptimo denario expreſſa, quam ſic appellatam opinor a regione, quemadmodum Cyrenaïcam, Scythicam, & Macedonicam, quarum meminit Dio. Lib. 55.





Lib 86. Q. Antonii Balbi meminit Florus in Epitoma, cum inquit, L. Philippus Legatus Sullæ, Sardiniam Q. Antonio Prætore occiſo occupauit. Ex quibus verbis intelligere poſſumus, Q. Antonium Prætorem ex S. C. Sardiniam Prouinciam obtinuiſſe. *Qui ſuperſunt nummi omnes exquiſitiſſimæ elegantiæ & raritatis, horum primus Trium-Virorum facies exponit coniugatas, &* 7. *celebris illius ſocietatis ſeu potius latrociniј notam. Græcus nummus ab Epheſiis cuſus eſt apud quos,* κωμικῶς, περιθέπω, *vt loquitur Plutarchus, hoc eſt comice debacchatus fuerat; in quam rem Plutarchi verba ſupra attulimus,* εἰς γοῦν Εφεσον, *&c. horum Typum vides, Effigiem Dianæ quæ Epheſi colitur, cui hinc inde adſtant primum*

Anguis

Anguis e baſi altaris in ſpiræ modum repens. Quod fælicitatis in bello fuit omen Cornelio Sullæ dum Romæ infeſto exercitu imminebat nihilo Trium-Viris placabilior; deinde Aquila, quæ duo ſimul coniuncta, fortunatam in bello fortitudinem inculcant.

8. *Secundus Antonij caput habet capiti Coniugis ſuæ impoſitum, ita enim ipſe Cleopatram vocat, apud Suetonium. Quemadmodum autem primus crudelitatem, ita ille amatoriam eius leuitatem arguit. Ducentas Cleopatra naues in exercitum naualem contu-* "
lerat, quem quingentarum fecerat Antonius. Quum potior eſſet eius pars, tamen "
Cleopatræ conceſſit omnia, reique totius honorem in hanc tranſtulit. Itaque vt tota "
amicæ ſuæ claſſis eſſet ex operis & mercenariis & meſſoribus collectitium & tumultua- "
rium exercitum conſcripſit, & nauibus grauiſſimis impoſuit, cum ipſe pedeſtribus "
copiis optimis & firmiſſimis abundaret. Hæc Plutarchus. Quis ſcit autem an illud "
PRAEF. CLASS. *potius Cleopatræ veſanus amator tribuerit quam ſibi ipſi, vt legendum ſit* PRAEFECTA CLASSIS. *Audax coniectura, ſed Plutarchi locum attente legenti, ratione non caret, cum præſertim aliis maioribuſque titulis non careret Antonius. Quoniam autem nominis inuidiam metuebat, non perfecit; ſed ex dimidio ſcriptum reliquit, vt & aſſentatoribus libera Reginæ adulandi copia, & nulla contumacioribus obtrectatoribus criminandi ſui facultas eſſet. An ideo ſe* PRAEFECTVM CLASSIS *dici voluit, quaſi a Regina Claſſi ſuæ Præfectum.*


10 *Nihil enim incredibile de tam profligato amatore fingi atque excogitari poteſt. Decimus nummus hanc diuinationem de integro confirmat, in quo aduerſa capita* M. ANT. & CLEOPATRAE. *Huic autem retro addita eſt nauis prora, vt ad Cleopatram potius auerſa nauis pertineat quam ad Antonium. In his autem duo mutauit Triſtanus: nam pro Diana Hermathenam fingit, pro* PRAEFECTO CLASSIS, CLASSEM ALEXANDRINAM *vtrumque ſane parum ad Numiſmatum fidem; ſed forſitan in obliteratis Numiſmatis facile ſibi viſus eſt videre quod optabat.*

9. *Nonus virtutem bellicam ſignificat, militis figura ſtante cum haſta pura & leone pugione armato. Stella quidem, vt communis fert opinio, Orientem Solem indicat, ad quem multa patrauit Antonius, cum longe plura ſe facturum eſſe minitaretur.*

CÆterum ſi ex ordine temporum, quemadmodum ſane fieri ab Vrſino debuerat digeri debent hæc honeſtiſſimæ Familiæ monumenta, non primus collocandus eſt M. Antonius qui cum A. Gabinio Pro-Cos. in Syriam cum eo Præfectus Equitum, ἱππέων ἄρχων, *vt ait Plutarchus in Antonio, profectus ſit, anno* V. C. DCIVC. *cum anno* DCLXXXX. *M. Tullio Cicerone Collega Cos. C. Antonius fuiſſet. Anno* DCCIV. *Lentulo & Marcello Coſſ. Tribunus plebis fuit tunc cum ad Cæſarem Rauennam fugit. Anno autem* DCCIX. *primum Conſulatum iniit M. Antonius: maiorne fuerit Lucius, ignoro. Quod autem ad M. Antonium ſpectat, cuius vita pene tota in his quaſi depicta recognoſcitur; primi collocandi ſunt hi denarij qui vna cum eo Cæſarem Dictatorem repræſentant, ex cuius amicitia honores, opes, omnia denique conſequutus eſt. Poſtea ij qui Lepidi Pontificalia ornamenta, & Auguralem Antonij ſupellectilem exhibent, cum quo victus a Cæſare Iuniori ad Mutinam fœdus iniit. Poſtmodum ij qui Paci atteſtantur inter Octauium, Lepidum & hunc pactæ ad Bononiam, cum ſub ſpecie Reipublicæ Conſtituendæ vniuerſo generi humano bellum indixerunt. Quarto loco recenſendi ſunt qui Græcas laſciuias, atque*

adeo Aſianum luxum, & amores Cleopatræ commemorant; ita tamen vt priores diſponantur ij qui ad Parthicam expeditionem ſpectare creduntur, cum Armeniam non vicerit niſi poſtquam Parthis elapſus eſt. Reliqua taceo quæ ipſis numerorum notis ſatis apparent: quidni enim denarius quo deſignatur Imperator III. præeat huic cui Imperator IIII. inſcriptus eſt. Hæc profecto a me emendata oportuit, cum præſertim rara fœlicitate in hac gente contigerit vt ſuperſtites nummi tanquam faſti ſigillatim omnia pene reponant quæ tam Illuſtri Viro contigere; ſed vix fieri poterat ſalua Vrſini Oratione, quam integram ſeruari admodum velim: vix autem fieri poterat ſine totius contextus inuerſione: ſi tamen vnquam occaſio dabitur, nec Vrſini nec meo labori parcam.


APPVLEIA




HVNC *nummum vt* APPVLEIÆ *Genti tribuam facit Antiquariorum coniectura. Quamquam ab ea multum me reuocat inuſitatum ſcribendi genus quo prænominis nota vna cum nomine iungitur cum ſic ſcribi debuiſſet* L. AP. *vnum certe ſcio niſi ad hanc gentem pertineat ignorare me cui ſit addicendus niſi fortaſſe Appiæ: in ea nullum Lucium inuenio, in Appuleia multos: L. imprimis Appuleium Tr. Pl. qui anno* V. C. CCC. LXII. *M. Camillo diem dixit ob prædam Veientanam inique diuiſam. Poſtea L. illum Saturninum Tr. Pl. peſſimum ſeditionis autorem anno* DCL. *eſt etiam apud Ciceronem pro Plancio de* L. APPVLEIO *Prætore anno* V. C. DCIXC. *cuius Quæſtor Cn. Plancium exulantem Ciceronem eſt amplexus. Vtri horum animum adiiciam neſcio. Ex his enim quæ attuli id vnum conſtat vnam familiam fuiſſe Appuleiam plebeiam, alteram patritiam. Ad aliquem horum fortaſſe pertinet vetus inſcriptio Tiburi in ara baſi.*

Gruter. inſcript.

DIANAI OPIFER.
NEMORENSI
L. APVLEIVS L. L.
ANTIO.



APRONIAE Gentis, vt arbitror, plebeiæ mentio eſt apud Valerium Lib. 7.
Max. & Pædianum in Miloniana, in qua meminit L. Apronij qui Cap. 8.
Sex. Clodium accuſauit, quod eo autore corpus Clodij in Curiam illatum fuerat. Item Cn. Apronij Cn. F. qui M. Saufeium M. F. accuſauit, quem defendit Cicero. APRONIVS autem hic GALVS ſub Auguſto Trium-Vir A. A. A. F. F. fortaſſe is eſt qui Conſul ex Kal. Iul. M. Camillo ſufficitur in tabulis Capitolinis anno DCCLX. eius meminit Dio, τριάκοντα δὲ δὴ, inquit, ἡμέρας ἦρξε, καὶ τῷ Λουκίῳ Απρωνίῳ τῷ συνάρχοντι ἐξ μῆνας ἐπιτρέψας. Lib. 58. Velleius item, *At Poſthumi operum* L. APRONIVS *particeps illa quoque militia hos quos mox conſequutus eſt honores excellenti virtute meruit*, & Lib. 2. Tacitus. Quæ (inquit) poſtquam L. APRONIO (nam Camillo ſucceſſerat) comperta &c. Lib. 3. Eidem ornamenta triumphalia decreta fuiſſe, ob res cum Germanico bene geſtas ſcribit idem Tacitus lib. 1. qui in lib. 4. Africam eum obtinuiſſe tradit, & in lib. 5. Germaniæ Proprætore nominat: *Quem-quidem tertius nummus exhibet quanquam iniuria vetuſtatis vni nomini pepercerit,*
3. *prænomen & cognomen ſi quod fuit, deleuerit. Hæc fortaſſe caſus reſtituet ſi integriorem nummum aliquando in lucem eſt editurus. Commemoratur a Caſſiodoro Coſ.* APRONIVS *cum C. Capitone, reiiciturque in annum* DCCCXI. *Sed vix fieri poteſt vt qui ſub Tiberio ſummos honores conſequutus eſt, inclinata iam ætate vt credibile eſt ab anno* DCCLII. *quo apud Delmatas pugnabatur ad vſque annum* DCCCXI. *vitam traxerit etiam tum gerendo Conſulatui parem. Quod ad cognomen pertinet ſuſpicor in prioribus nummis* GALVS *hunc locum obtinere. Alioqui IIII-Viri non III-Viri* A. A. A. F. F. *fuiſſet inſcribendum. De Meſſala apud Gentem Valeriam, de Siſenna in Gente Statilia inquirendum.* In veteribus autem Fratrum Arualium monumentis, Neronis Imp. temporibus, nominatur C. quidam VIPSTANVS APRONIANVS filius fortaſſe huius APRONII qui a C. Vipſtano adoptatus Apronianus dictus eſt; ſed male a Tacito, Plinio, Solino, & Caſſiodoro in conſulatu anni DCCCXI. Vipſanus pro Vipſtanus appellatur. GALVS Sulpiciæ quoque Familiæ cognomen eſt; & in quodam lapide L. NONIVS GALVS reperitur.




AQVILLIA Gens Familias habuit patricias & plebeias, ſed cogno-
minibus non ſemper vſas, vt ex veteribus monumentis intelligi
poteſt. Athæneus ſcribit M'. AQVILLIVM Conſularem ad quem pertinet 1.
primus tabellæ denarius ex Sicilia triumphaſſe, *quod contigit anno* V. C.
DCLIV. *vt in Faſtis Capitolinis reperio, in quibus quemadmodum in hoc* M'. F.
M'. N. *inſcribitur, vt non dubitandum ſit, quin ad hunc referendus ſit hic dena-
rius cum præſertim in eadem ſententia ſit Car. Sigonius Vir Antiquitatis intelligen-
tiſſimus. Is autem idem ille eſt qui poſtmodum ad Mithridatem Legatus ab eodem*
Lib. 2. *crudeliter excruciatus eſt.* Cicero autem de Oratore vbi ouantem Vrbem iniiſſe
„ dicit, his verbis Antonium loquentem in eo libro inducit. Quare nolite
„ exiſtimare, cum mihi M'. AQVILLIVS in ciuitate retinendus eſſet, quæ
„ in illa cauſa peroranda fecerim, ſine magno dolore feciſſe: quem enim
„ ego Conſulem fuiſſe Imperatorem ornatum a Senatu, ouantem in Capito-
„ lium aſcendiſſe meminiſſem &c. Eiuſdem meminit in Verrem; Poſt bellum,
„ inquit, quod M'. AQVILLIVS confecit, nullum fugitiuorum in Sicilia
„ bellum fuit, & in Oratione pro Flacco: M'. AQVILLIVM Patres noſtri
„ multis auaritiæ criminibus teſtimoniiſque conuictum, quia cum fugitiuis
Lib. 69. „ bellum geſſerat, iudicio liberauerunt. Florus in Epitome M'. AQVILLIVS
„ Pro-Cos. in Sicilia bellum ſeruile concitatum confecit. Fuit autem M'. hic

AQVILLIVS Filius M'. Aquillij Conſulis cum C. Sempronio Tuditano anno DCXXIIII. Conſul ipſe anno DCLII. Pro-Cos. vero de ſeruis fugitiuis ex Sicilia ouans Vrbem iniit anno DCLIII. in cuius rei memoriam denarium ab eius filio vel nepote, ſeu aliquo conſanguineo ſignatum eſſe opinor. *Inter quos* L. AQVILLIVM FL. *fuiſſe facit vt credam Typus primi*
3. *nummi in tertio iteratus niſi referatur ad ouationem Auguſti Cæſaris anno* DCCXVII. *ex claſſe Sexti Pompei ad Mylas apud Siciliam deuicta : ita enim in marmoribus Capitolinis.*

IMP. CAESAR DIVI F. C. N. III-VIR. R. P. C. II.
OVANS EX SICILIA
A. DCCXVII. IDIB. NOVEMBR.

4. In primi & quarti altera parte Virtutis caput impreſſum eſt, quale in denario Cordi & Kaleni reperitur. Ad eundem AQVILLIVM ſecundus
2. denarius vt arbitror ſpectat. L. autem AQVILLIVS FLORVS qui in reliquis tabellæ denariis deſcriptus eſt, Trium-Vir fuit ſub Auguſto, oriundus vt videtur a C. Aquillio Floro, qui Conſul fuit cum P. Cornelio Scipione, & Pro-Cos. de Pœnis triumphauit, anno CDXCV. IV. Non. Octobr. quia vero Flori cognomen a flore quodam ea Familia duxerat, florem ipſum cuiuſmodi fuerit, in altera denarij parte indicauit. De Aquilliis quibuſdam Floris, Patre & Filio Auguſti iuſſu necatis, meminit Dio, reliqua Lib. 51.
6. quæ in quarto & ſexto denario notata ſunt, ad Auguſti triumphum aliquem, vel vt ex Inſcriptionibus intelligimus, ad Armeniacam eius victoriam referenda ſunt.

ARRIA·



ARRIAM Gentem plebeiam fuiſſe ſuſpicari poſſumus ex iis, quæ de Q. Arrio ſcripta ſunt a Cicerone, ſunt autem hæc. Quod idem faciebat Q. ARRIVS qui fuit M. Craſſi quaſi ſecundarius; is omnibus exemplo debet eſſe quantum in hac vrbe polleat multorum obedire tempori, multorumque vel honori vel periculo ſeruire : his enim rebus infimo loco natus, & honores & pecuniam & gratiam conſecutus, etiam in patronorum, ſiue doctrina, ſiue ingenio aliquem numerum peruenerat. M. autem ARRIVS SECVNDVS incertum mihi, fuerit ne is, cuius Præturæ meminit Pædianus in argumento Diuinationis (quem tamen Quintum prænominatum fuiſſe ex Cicerone colligo) an is, qui Suriæ Præfectus fuit, in quem extat nobile hoc Catulli Epigramma.

In Bruto.

Lib. 4. in Verrem.

Chommoda dicebat, ſi quando commoda vellet
Dicere, & hinſidias Arrius, inſidias.
Et tum mirifice ſperabat ſe eſſe locutum
Cum quantum poterat dixerat hinſidias,
Credo ſic mater, ſic liber auunculus eius
Sic maternus auus dixerat, atque auia.
Hoc miſſo in Suriam, requierant omnibus aures;
Audibant eadem hæc læniter, & leuiter.
Nec ſibi poſtilla metuebant talia verba,
Cum ſubito affertur nuntius horribilis.
Ionios fluctus poſtquam illuc Arrius iſſet
Iam non Ionios eſſe, ſed Hionios.

Ad hunc fortaſſe vel eius filium ſpectat vetus hæc Inſcriptio.

M. ARRIVS M. F. SEXTIVS M. F.
DVO VIRI DE S. VIAM FACIVND. ET
REFICIVND. COERAV.

Imperatorum quoque temporibus Arriam Secundorum Familiam floruiſſe, ex alia Inſcri[illegible]ione intelligimus, quæ extat huiuſmodi

Gruter.


L. ARRIO
PRIMO
L. ARRIVS
SECVNDVS
PROC. AVG.
FRATR. PIISSIM.

Epiſt. 7. Lib. 2. ad Attic. De Arrio quodam Conſulatus Candidato, facit mentionem Cicero. Iam vero, inquit, Arrius Conſulatum ſibi ereptum fremit. Ac de eo fortaſſe in „ Epiſtola 14. & 15. eiuſdem libri dixit. C. Arrius proximus eſt vicinus, immo „ ille quidem iam contubernalis; qui etiam ſe idcirco Romam ire negat, „ vt hic mecum totos dies philoſophetur. Sed nihil hæc ad eum quem in denario habemus ARRIVM SECVNDVM, cuius vel maiorum ſuorum alicuius inſigne factum aliquod indicant ea quæ in altera denarij parte impreſſa ſunt, clathrus, haſta pura, & corona quibus donatum fuiſſe ARRIVM credendum eſt, quod caſtrorum portam ab hoſtium irruptione fortiter fuerit tutatus. Clathri enim (ſiue clathra ea appellanda ſint) quæ Græci κλεῖϑρα dicunt, ligna erant quibus tranſuerſis caſtrorum portæ muniebantur. Horatius in Arte Poëtica vſus eſt ea voce hoc verſu.


Obiectos caueæ voluit ſi frangere clathros.

Lib 8. Cap. 3. Et columella, Feneſtræ, inquit, clathris muniantur, ne poſſint noxia irre„ pere animalia. Haſtis autem puris & coronis donari ſolitos fuiſſe eos, qui „ in expugnatione caſtrorum, vel oppugnatione, egregiam operam nauaſſent. *Illuſtre eſt teſtimonium apud Suetonium in Auguſto. Dona, inquit, militaria aliquanto facilius phaleras, & torques quidquid auro argentoque conſtaret, quam Vallares Muraleſque Coronas quæ honore præcellerent dabat. Alter nummus* 2. *alteram Familiam indicare videtur eiuſdem Gentis, quæ quidem diſtinctio ex cognomine*

patet. Porro cum multæ ſint Duum-Virorum ſpecies, labor vt credam hunc fuiſſe Duum-Virum naualem, id enim videtur inſinuare Corinthi vrbis maritimæ, & ſtationis olim commodiſſimæ nomen. Huius Collegæ nomen, vt opinor, reddebat aduerſa pars nummi ſed hoc obliterauit temporis longinquitas. Quid templum ſibi velit, quem referat facies ignoro. Eſt apud Iulium Capitolinum in Antonino Pio mentio Arriæ Fadillæ & Arrij Antonini Principis Viri, quibus intelligi poteſt quantum hæc gens caput extulerit, vt hanc taceam quæ a nemine taceri meruit Arriam Pæti vxorem: ſed hæc ad gentis enodationem non ad nummorum explicationem obiter dicta ſunto.



ASINIAE Gentis, vt puto, plebeiæ, Scriptores multi meminerunt. Ex ea fuit C. ASINIVS GALLVS Orator & Poëta, qui huius tabellæ nummos æreos ſignauit, Filius Aſinij Pollionis, qui Conſul fuit cum C. Marcio Cenſorino, anno DCCXIX. quem laudant Seneca in Declamationibus, Plinius in Epiſtolis, & Suetonius in libro de Claris Grammaticis: Gallus hic edidit librum in quo Pollionem Patrem Ciceroni comparauit: ſed contra eum pro Cicerone ſcripſit poſtea Claudius Imp. vt idem teſtatur Suetonius, in eius vita. Cornelius Tacitus ſcribit, cum de honoribus in funere Auguſti Senatus deliberaret, Aſinium Gallum cenſuiſſe vt Legum latarum tituli, & victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur. Sed malam pro eo gratiam a Tiberio iniuit, a quo diris ſuppliciis, vt Euſebius inquit, necatur anno ante T. Liuij mortem. Lib. 1.



ATIAE *Gentis plebeiæ, duæ Familiæ in nummis occurrunt*, BALBORVM *&* LABIENORVM. *Atque* BALBORVM *quidem Gens affinitate Gentem Octauiam contingebat, e qua tandem ortus eſt Auguſtus, cui vt ſubpalparet Virgilius.*

Atis, inquit, vnde genus ATII *duxere Latini.*

Is M. ATII *Nepos ex Atia, & Octauio natus eſt. M. autem ille Atius Iuliam C. Cæſaris Sororem duxerat, ita in duas Familias Imperatorias inſerta eſt.* BALBVS *paterna ſtirpe Aricinus, inquit Suetonius, multis in Familia Senatoriis imaginibus a Matre Magnum Pompeium arctiſſimo contingebat gradu. Functuſque honore Præturæ (quod indicant in hoc nummo litteræ* PR. *) inter* XX. *Viros agrum Campanum plebi Lege Iulia diuiſit. His, niſi fallor, ſatis de huius nummi altera facie conſtat. Ad aliam quod attinet, Atim videtur exhibere qui quod caput Gentis eſſet Pater dicitur, & certe non abhorret ab rei vetuſtate cultus ille ruſticus & antiquatus qui in hac facie cernitur. Particula* SAR. *videtur alio rem detorquere, quaſi legendum eſſet* SARDVS PATER. *Sardus autem Herculis Filius erat cui Templum, teſte Ptolemæo, dicatum fuerat ſub hoc titulo* Σαρδοπάτορος ἱερὸν, SARDI PATRIS TEMPLVM, *id autem quo modo eo pertineat non facile dixerim. Cur autem* LABIENVM PARTHICVM *in hanc Gentem coniecerim ea ratio eſt. Primo conſtat* LABIENVM *nomen Familiæ non eſſe ſed cognomen potius. Nam omnia* Cap. 4. lib. de nom. Roman. *Familiarum nomina in* IVS *deſinere locuples autor in primis eſt Carolus Sigonius, qui etiam huius rei rationes attulit, quas illuſtribus exemplis confirmauit.* Vide Hotoman. *Certa res eſt. Deinde ad Atios referendum eſſe eiuſmodi cognomen ea ratio eſt. Conſtat Legem* ATIAM *de Sacerdotiis a Tribuno quodam plebis latam eſſe:* In Ep. 14. lib. 14. & ep. 14. lib. 8. ad Fam. in ep. 11. l. 16. & ep. 7. l. 3. ad Quint. *Ea autem augures qui antea e Collegio creabantur e plebe legebantur. Hanc Legem Labieno Tribuno plebis veteres tribuunt. Qua fortaſſe de cauſa Paulus Manutius nunquam* LABIENI *mentionem facit, quin nomen* ATII *addat. Fortaſſis etiam hoc a quodam Veterum Hiſtoricorum habet, ſed mihi legenti aut nuſquam occurrit aut præteruolauit.* Cicer. pro Rab. Ex ea fuit T. LABIENVS Tribunus pl. Oroſ. lib. 5. cap. 17. qui C. Rabirium, a Cæſare ſubornatus, perduellionis accuſauit, quod Dio lib. 37. eius patruus Q. LABIENVS cum Saturnino occiſus fuerat. Hic primum Cæſ. l. 1. 2. & 3. de bell. Gall. Cæſaris partes ſecutus, Legatus etiam ipſius in Gallia fuit. Pompeianus deinde factus, Cingulum oppidum exædificauit. Poſtremo contra Cæſarem

dimicans,

dimicans, vincitur. Huius Filius fuit Q. LABIENVS, qui ſecundum huius tabellæ denarium cuſit, cuius quidem prænomen, niſi antiquus hic nummus exſtaret, penitus ignoraretur: eius autem ignoratio errandi quibuſdam cauſam dedit, qui T. Patrem cum Q. Filio confundentes, eundem exiſtimarunt eſſe LABIENVM, qui Cæſaris partium primo, deinde Pompeianarum fuit, cum eo qui Parthorum Dux exſtitit, quique PARTHICVS cognominatus eſt. De quo quidem cognomine, quia ab vſitata illa Romana formula nimium abhorrere videbatur, ita ſcripſit Dio. Καὶ οἱ Πάρθοι πρὶν κινούμενοι, τότε δὴ καὶ μᾶλλον τοῖς Ῥωμαίοις ἐπέθεντο. ἦρχον δὲ αὐτοῖς ΛΑΒΙΗΝΟΣ καὶ Πάκορος. ἔστι μὲν Ὀρώδου τοῦ βασιλέως, ἐκεῖνος δὲ τοῦ Λαβιήνου τοῦ Τίτου παῖς ὤν. ἦλθε δὲ ὧδε ἐς τοὺς Πάρθους, καὶ τάδε σὺν τῷ Πακόρῳ ἔπραξεν. ἐτύγχανε μὲν τῷ τε Κασσίῳ καὶ τῷ Βρούτῳ συμμαχῶν, πεμφθεὶς δὲ πρὸς τὸν Ὀρώδην πρὸ τῆς μάχης ὅπως τινὰ βοήθειαν λάβῃ, συχνὸν ὑπ' αὐτοῦ χρόνον διετρίβη περιορώμενος, κατοκνοῦντος μὲν συνθέσθαι οἱ, δεδιότος δὲ ἀπαρνήσασθαι. καὶ μετὰ τοῦτο ὡς ἥ τε ἀγγελία τῆς ἥττης ἀφίκετο, καὶ οἱ κρατήσαντες ἐδόκουν μηδενὸς τῶν ἀντιπολεμησάντων φείσασθαι, κατέμεινε παρὰ τοῖς βαρβάροις, τὸν μετ' αὐτῶν βίον πρὸ τοῦ οἴκοι ὀλέθρου προτιμήσας. Paulo poſt, Καὶ ὁ μὲν χρήματά τε ἐπὶ τούτοις ἐπράττετο, καὶ τὰ ἱερὰ ἐσύλα, αὐτοκράτορά τε αὑτὸν καὶ Παρθικὸν ἐκ τοῦ ἐναντιωτάτου τοῖς Ῥωμαίοις ἔθους ὠνόμαζεν. οὓς γὰρ κατ' αὐτῶν ἐπῆγεν, ἀπὸ τούτων ἑαυτὸν, ὡς καὶ ἐκείνους ἀλλ' οὐ πολίτας νικῶν, ἐκάλει. Hoc eſt, & Parthi cum iam ante ſe commouiſſent, tum magis adhuc contra Romanos inſurrexerunt, ducibus LABIENO & Pacoro: quorum hic Orodis Regis Parthorum filius erat, ille T. Labieni: qui qua ratione ad Parthos venerit, ac cum Pacoro rem iſtam geſſerit, iam explicabo. Caſſij & Bruti commilito fuerat LABIENVS hic, de quo nobis ſermo eſt: miſſuſque ad petendum auxilium ad Orodem ante pugnam Philippenſem, aliquandiu apud eum commoratus eſt: cum nulla ſui haberetur ratio, quod & adiuuare eos Regi in animo non erat, & negare auxilium verebatur. Poſt clade annunciata Labienus, cum aduerſariorum nemini veniam daturos victores putaret, potius ſibi cum barbaris viuendum ratus, quam in patria pereundum, apud Parthos remanſit &c. Paulo poſt: Proinde pecunia confecta, ac ſpoliatis fanis PARTHICVM ſeſe Imperatorem nominauit, ratione a more Romano diuerſiſſima: quos enim aduerſum Romanos ducebat, ab iis nomen ſumebat, quaſi vero eos, ac non ciues ſuos viciſſet. Appianus autem in Parthico à Regis præfectis Q. LABIENVM hunc PARTHICVM appellatum fuiſſe ſcribit, Αἰωρουμένης δὲ, inquit, Παρθικῆς στρατιᾶς περὶ τὴν Μεσοποταμίαν, Λαβιηνὸν οἱ βασιλέως στρατηγοὶ Παρθικὸν ἀναγορεύσαντες αὐτοκράτορα Συρίας ἐπιβατεύειν ἔμελλον. Eundem Labieni filium dicit, Ἀναστέλλειν Παρθυαίους τε καὶ Λαβιηνὸν τὸν Λαβιηνοῦ μετὰ Παρθυαίων. Sed quæ ex libro de rebus Parthicis adduximus verba, ad denarij inſcriptionem maxime faciunt. T. LABIENI meminit vetus inſcriptio Claromonte Aluernorum in Capitolio marmor. aſſeruata,


Id. de bell. ciuili. Hirt. lib 5. de bello Africano.

Lib. 48.

2.

...... VL. PAVLINI T. F.
ALLIA T. LABIENI VXOR
BELENO D. D.

Gruter. inſcript.




ATILIAM Gentem patricias habuiſſe Familias & plebeias inter veteres Scriptores ſatis conſtat: SERANORVM autem Familia cuius in denariis exſtat memoria, fuit plebeia, a ſerendo id cognominis ſortita vt ſcribit Plinius, his verbis, ſerentem inuenerunt, dati honores, Seranum vnde cognomen. Eodem reſpiciens Virgilius dixit, (Lib. 18. Cap. 3.)

.... & te ſulco Serane ſerentem, (Lib. 6. Æneid.)

In argenteis tamen denariis, & in antiqua Inſcriptione, cuius exemplum infra deſcripſimus, item in Obſequentis libro de prodigiis, Saranus ſcriptum pro Serano reperitur; quod fortaſſe ea Familia Serani cognominis aliam haberet originem, non autem eam quæ a ſecundo ducta fuiſſet. M. Atilii Serani Trium-Viri Coloniæ deducendæ anno DLXVIII. mentio eſt apud Hiſtoricos, itemque C. Atilii, qui Conſul cum Quinto Seruilio Cæpione fuit anno DCXLVII. quibus Conſulibus natus eſt Cicero. Sed cum plures fuerint in hac Gente qui Marci & Caij prænominibus vſi ſunt, difficile eſt, qui præcipue his denariis deſignentur, affirmare.

Sex. Atilivs M. F.
Saranvs Pro-Cos.
Ex Senati-Consvlto
Inter
Atestinos
Et
Veicetinos
Fines terminos Q.
Posvit.


Anno v. c. cccix. Atilivs *Longus Tr. Mil. fuit Conſulari poteſtate anno autem* cccliv. L. Atilivs *eodem munere functus eſt quorum neuter in vltimo denario ſignatus eſt, nondum enim argento ſignato vſi fuerant Romani, quapropter ad quem referam neſcio. Cæterum Atilios ab Atiis, deriuari coniectura eſt.*



Ex Avrelia Gente plebeia, *quam ſic dictam fuiſſe ait Feſtus, quod iis locus publice datus ſit, vbi Soli ſacrificium facerent*, fuerunt
1. Cottae & Scavri quorum in hac tabella denarij expreſſi ſunt. Eorum
2. autem primus & ſecundus ad M. Avrelivm Cottam pertinent, qui
Conſul fuit cum L. Licinio Lucullo anno dclxxix. Frater C. Aurelij
eius, qui a Cicerone laudatur in Bruto vt diſertus: ſed quæ in altera denarij
parte Centaurorum bigæ ſignatæ ſunt, mihi quidem obſcurum eſt, quo
pertineant. Vulcani vero caput, quod in L. Cottae denariis impreſ-
3. ſum eſt, barbatum illud quidem & pileatum, ex Virgilij quoque carmine
4. ad Battarum antiquos finxiſſe didicimus, in quo eſt,

Nam certe Vulcanus opus faciebat, & illi
Triſti, turpabatque mala fuligine barbam.

Lib. 6. Et ex Arnobio, cum pileo (inquit) Vulcanus & malleo. L. autem
Cottam arbitror deſignari eum, qui anno DCLXXXVIII. Conſul
fuit cum L. Manlio Torquato, damnatis competitoribus iam deſignatis,
Publio Cornelio Sulla, quem defendit Cicero, & P. Autronio Pæto. M. 5.
Avrelivs Scavrvs qui in quinto denario notatus eſt, indicatur
fortaſſe is, qui Conſul ſuffectus fuit anno DCXLV. L. Hortenſio, Patri,
vt quidam credunt Lucij Hortenſij Oratoris, vnicus in ea Familia Conſu-
laris.




Lib. 3. de re ruſtic. Cap. 2. l. 1. ad At. ep. 9. Lib. 7. noc. Att. cap. 3. Lib. 3. Phil. Lib. 4. bel. ciuil.

Axsiae Gentis, facit mentionem M. Varro, Cicero quoque nominat
Axium quemdam qui erat, vt opinor, fœnerator, meminit etiam
Aulus Gellius. Sed Axsivm hunc Naſonem (niſi forte is ſit, cuius
meminit Cicero quem inter proſcriptos a Trium-Viris numerat Appianus)
in tanta præſertim huius Familiæ ignoratione, reperire nondum potui,
Appianus certe de hoc ſic loquitur, Naso *a liberto quem in deliciis habuerat
proditus cuidam militi extorſit gladium, & ſolo proditore occiſo, percuſſori iugulum
præbuit.* Hanc autem Gentem plebeiam fuiſſe inde colligitur quod quidam
Axsivs Naso Tr. pl. legitur in fragmento lapidis Tiburtini quod eſt
apud Me ita inſcriptum:

.... SPRENAS
.... SIVS NASO TR. PL.
.... CILIVS CORNVTVS
.... TIVS CATVLVS
...... NIVS STOLO
..... TORES LOCORVM PVBLICORVM
..... DICANDORVM EX S. C. EX PRIVATO
IN PVBLICVM RESTITVERVNT.

Lib. 3. De Dianæ Curru a ceruis tracto videndus Apollonius Rhodius, & Calli-
Lib. 3. machus in Hymno ipſius Dianæ: Claudianus etiam de laudibus Stiliconis.
Axsivs autem pro Axivs, vt Maxsvmvs pro Maxvmvs,
Alexsandrea pro Alexandrea, antiqua fuit ſcribendi ratio,
cuius veteres Grammatici meminerunt.




BAEBIAE Gentis plebeiæ frequens eſt mentio, cum apud antiquos rerum Romanarum Scriptores, tum in veteribus lapidum monumentis, quæ exſtant huiuſmodi.


L. BAEBIO L. F.
GAL. AVITO
PRAEF. FABR. TRIB.
MIL. LEG. X. GEM. PROC.
IMP. CAESARIS VESPASIANI
AVG. PROVINCIAE LVSITANIAE
ADLECT. INTER PRAETORIOS.

L. BAEBIVS L. F.
GAL. IVNCINVS
PRAEF. FABR. PRAEF.
COH. IIII. RAETORVM
TRIB. MILIT. LEG. XXII.
DEIOTARIANAE
PRAEF. ALAE ASTYRVM
PRAEF. VEHICVLORVM.
IVRIDICVS AEGYPTI.

M. autem BAEBIVM TAMPILVM, qui in prioribus huius tabellæ nummis deſcriptus eſt, opinor deſignari eum qui Conſul fuit anno DLXXII.
1. cum P. Cornelio Cethego, quique Pro-Cos. anno DLXXIII. triumphauit de Liguribus, qui fortaſſe triumphus in altera primi denarij parte expreſſus eſt: cum autem in Capitolinis tabulis & vulgatis omnibus libris, Tampili cognomen cum aſpirationis nota ſcriptum reperiatur, in argenteo denario, ſine aſpiratione, vt in aliis GRACCVS, PILIPVS, & TRIVMPVS, notatum eſt.



De Gente Bellia apud Autores Rerum Romanarum nihil quod quidem ad me peruenerit, memoratur, vt ne nomen quidem compareat. *Eſt tamen coniectura Dellium hunc Hiſtoricum qui apud Plutarchum in Antonio legitur eo pertinere quod apud eundem multa nomina occurrant ita corrupta vt nunquam niſi ab attento Lectore internoſci queant vt* Περκλήιος *Proculeius*, Βύβλος *Bibulus*, Ορτήσιος *Hortenſius*, Ατέλλιος *Attilius*, Μάλλιος *Manlius*, Λέντλος *Lentulus*, Μέμμιος *Memmius &c. Ita ſubſtituto B. agnoſcetur ad quem pertineat illud perrarum & ſpecioſum monumentum. Fuit ille Legatus ad Cleopatram, ad quam cum aſpera mandata ferret Antonij III-Viri, iubentis vt illa ſibi in Parthos proficiſcenti apud Ciliciam occurreret rationem redditura cur Caſſij partibus auxiliata fuerit, cum eius mulieris illecebras inſpexiſſet futurum coniiciens, vt ad eius aſpectum libidinoſus Imperator amore potius quam ira inflammaretur, mirum in modum molliuit Legationis duritiem, & rogantis potius quam imperantis vices functus eſt; ita delinito & conciliato muliebri ingenio multum apud eam gratia & authoritate valuit; ſed verſis cum fortuna moribus, voluptatibus, ambitione, aſſentationibus obcœcata, hunc cum optimatibus Romanis ita luſit & contempſit vt ad Auguſtum fugeret, a quo deditionis pretium II. Viratum naualem apud Corinthum accepiſſe credibile eſt.*




Hvivs *Gentis vel nulla vel perobſcura fit mentio apud Romanos Autores, vt totum illud nummo inſcriptum*, Betilienvs Bassvs *nuſquam*
„ *occurrat. Apud Senecam de Ira, modo C. Cæſar Sext. Papirium cui Pater erat*
„ *Conſularis Belienum Baſſum Quæſtorem ſuum Procuratoris ſui Filium alioſque &*

Equites Romanos & Senatores vno die flagellis cecidit, torſit, non quæſtionis, ſed animi cauſa. Vna ſyllaba ſi adeſſet, rem noſtram haberemus. Hanc fortaſſis ex Dione Caſſio ſupplere licet, ſi modo qui flagellis cæſus eſt, idem eſt cum eo, quem ait Dio ſecuri percuſſum fuiſſe aut huic cognatus. Βετιλλῖνον δὲ Κάσσιον ἀποσφαγῆναι κελεύσας καὶ τὸν πατέρα αὐτοῦ Καπίτωνα παρεῖναι φονευομένῳ αὐτῷ κατηνάγκασε καίτοι μηδὲν ἀδικοῦντα μήτ' ἐσηγγελμένον. *Hoc eſt, cum autem Betillinum Caſſium iugulari iuſſiſſet* “
Patrem eius Capitonem, coëgit adeſſe neci, quanquam nullius flagitij compertum ne “
accuſatum quidem, quo interrogante an conniuere liceret, C. Cæſar hunc etiam “
iugulari voluit. Si meam coniecturam audias, nulla religio eſt, præſertim in tanta “
Græcorum nominum corruptione paululum detorquere Βετιλλῖνον *vt Betilienum interpretemur, quaſi* Βετιλιῆνον *ſcripſiſſet Dio,* Κάσιον *autem facile adducor vt credam pro Baſſo errore Librariorum ſcriptum eſſe, quæ ſi vera ſunt, vna & nomen & Hiſtoriam viri tenes. Auerſus nummus incudem exhibet. Diſerte nomen continet vetus hæc inſcriptio Alatrina, quæ aſſeruatur in tabula lapidea, littera vetuſta atque obſoleta incorrecte ſcripta, in porticu Templi S. Mariæ.*

L. BETILIENVS L. F. VAARVS
HAEC QVAE INFRA SCIPTA
SONT DE SENATV SENTENTIA
FACIENDA COIRAVIT SEMITAS
IN OPIDO OMNIS PORTICVM QVA
ARCEM EITVR CAMPVM VBEI
LVDVNT HOROLOGIVM MACELVM
BASILICAM CALECANDAM SEEDES
CIRCVM BALINEARIVM LACVM AD
PORTAM AQVAM IN OPIDVM ADOVXIT
ARDVOM PEDES CCCXCB. FORNICESQVE
FECIT FISTVLAS SOLEDAS FECIT.
OB HASCE RES CENSOREM FECERE BIS
SENATVS FILIO STIPENDIA MERETA
ESE IOVSIT POPVLVSQVE STATVAM
DONAVIT CENSORINO.

Gruter. inſcript.



CAECILIORVM *nomen a Cæcade comite Aeneæ, ſeu vt alij volunt a Cæculo qui condidit Præneſte tractum eſt, vt ait Feſtus. Claritudo Gentis tametſi plebeiæ, notanda ait Velleius, quippe intra* XII. *ferme annos huius temporis Coſſ. fuere Metelli aut Cenſores aut triumpharunt amplius* XII. *e multis autem* ſola METELLORVM & NIGRORVM Familia in antiquis denariis reperitur. Opinor autem quatuor Macedonici filios Marcum, Caium, Quintum, & Lucium in huius & ſequentis tabellæ denariis deſcriptos
» eſſe. *Ille, inquit Velleius, quatuor filios ſuſtulit, omnes adultæ ætatis vidit, omnes*
» *reliquit ſuperſtites & honoratiſſimos, mortui eius lectum pro roſtris ſuſtulerunt*
» *quatuor filij, vnus Conſularis & Cenſorius, alter Conſularis, tertius Conſul,*
» *quartus Candidatus Conſulatus, quem honorem adeptus eſt, hoc eſt nimirum magis*
» *fœliciter de vita migrare, quam mori.* Primus ergo & ſecundus MARCVM 1.
Cicero lib. de Finibus, Plin. lib. 7. denotant, qui Conſul fuit cum M. Æmilio Scauro anno DCXVIII. 2.
triumphauitque Pro-Conſule ex Sardinia, anno DCXL. In tertio CAIVM 3.
qui Caprarius cognominatus eſt, Conſulque fuit cum Cn. Papirio Carbone anno DCXL. de quo exſtat fragmentum veteris inſcriptionis.

C. CAECILIVS Q. F.
METELLVS IMP....


Sexto

Sexto denario QVINTVS deſignatur is, qui Baliarici cognomen ex triumpho quem egit, conſequutus eſt, & Conſul cum T. Quintio Flaminius fuit anno DCXXX. ac triennio poſt Cenſor cum Q. Seruilio Cæpione luſtrum fecit LXI. quamuis denarius ad Q. etiam METELLVM CRETICVM referri poſſit, de quo exſtat Inſcriptio.

CAECILIAE
Q. CRETICI F.
METELLAE CRASSI

LVCIVS, in ſequentis tabellæ ſecundo denario deſcriptus eſt: qui cum Diadematus antea, ob frontem vitta, vel diademate obligatam diceretur, Delmaticus poſtea ex triumpho cognominatus eſt, quem egit Pro-Cos. de Delmateis anno DCXXXVII. Elephanti autem qui in altera parte priorum quatuor denariorum notati ſunt pertinent ad celebranda monumenta L. METELLI eius, qui Cos. cum L. Furio Pacilo fuit anno DII. & Pro-Cos. inſignem de Pœnis in Sicilia victoriam adeptus, triumphum egit, VII. Idib. Septemb. anno DIII. in quo primus Elephantos duxiſſe dicitur, vt ſcribit Plinius, *id etiam probat Inſcriptio in libro antiquæ Vrbis.* Lib. 8. Cap. 45.

S. P. Q. R.
L. METEL. PONT. II. COS. DICT.
MAG. EQ. XV-VIR AG. DAND.
QVI PRIMVS ELEPHANTOS PRIMO PVNICO
BELLO DVXIT IN TRIVMPHO
PRIMARIVS BELLATOR,
OPTVMVS ORATOR,
FORTISSIMVS IMPERATOR &c.




Hvivs tabellæ quintus denarius ad Q. Caecilivm Metellvm 5.
Pium Numidici Filium videtur pertinere. Q. enim C. M. P. nulla dubitatio eſt quin Quintum Cæcilium Metellum Pium denotent. *Quod autem ſequitur I. quo Imperator deſignatur non abhorret ab eo qui Popedium Marſorum Ducem interfecit; Cos. in Hiſpania, Herculeios Fratres oppreſſit, Sertorium Hiſpania expulit, vt ait Aurelius Victor.* Poſteriores tres denarij ſpectant ad P. Cornelivm Scipionem Nasicam Filium P. Scipionis, de quo
nihil memorabile ab Hiſtoricis narratur, & Liciniæ Craſſi Oratoris Conſularis 6.
& Cenſorij Filiæ: Nepotem P. Scipionis Naſicæ Viri Conſularis, & Cæciliæ 7.
Q. Macedonici Filiæ, qui adoptatus a Q. Metello Pio Numidici Filio, Q. 8.
Cæcilius Metellus Pius Scipio appellatus eſt. Eius adoptionis meminit Dio,
Lib. 41. his verbis, Πομπήϊος δ' Κύϊντον Σκιπίωνα πενθερόν τε οἱ ὄντα, καὶ δεκασμοῦ αἰτίαν ἔχοντα, προσείλετο. οὗτος γὰρ γένει μὲν ὑὸς τοῦ Νασικοῦ ὤν, ἐκ δὲ κλήρου διαδοχῆς ἐς τὸ τοῦ Μετέλλου τοῦ εὐσεβοῦς γένος ποιηθεὶς καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὴν ἐπίκλησιν αὐτοῦ φέρων τήν τε θυγατέρα τῷ Πομπηίῳ ἐξέδωκεν καὶ παρ' αὐτοῦ τήν τε ὑπατείαν, καὶ τὸ μὴ κατηγορηθῆναι ἀντέλαβεν. Hoc eſt, Pompeius Q. Scipionem Socerum ſuum, ambituſque
„ tum reum Collegam ſibi aſſumpſit; is Scipio cum Naſicæ eſſet Filius, teſta-
„ mento in genus, hereditatemque Metelli Pij adoptatus, atque hinc cogno-
„ mentum Metelli ferens, Filiam Pompeio in matrimonium dederat, ab eo

contra, conſulatum, ac ne cauſam diceret acceperat. De Pij cognomine "
quod Metellus Numidici Filius, adoptiuus Pater huius Scipionis, pietate "
ſua adeptus fuit, ita ſcribit Velleius, Q. Metellus Numidici Filius, qui " Lib. 2.
meritum cognomen Pij conſequutus erat; quippe expulſum ciuitate L. "
Saturnino Tr. pl. quod ſolus in leges eius iurare noluerat, pietate ſua, "
autoritate Senatus, conſenſu Reipublicæ reſtituit patrem. Appianus, "
ἀλλ' ὁ μὲν παῖς, inquit, ἐκ τῆς ὀψέως Εὐσεβὴς ἐς ὃ ἔπειτα ἐκλήθη. Metellus vero Lib. 1. bel. Ciuil.
Pius, pertinaci erga exulem patrem amore, tam clarum lacrymis, quam Valer. Max.
aliis victoriis cognomen aſſequutus, non dubitauit Conſul, pro Q. Calidio lib. 5. cap. 2.
Prætore candidato ſupplicare populo, quod Tr. Pl. legem qua pater
eius in ciuitatem reſtitueretur, tulerat. Ciconiam autem, quæ in denario
ſignata eſt, Pietatis ſymbolum apud antiquos fuiſſe, à qua Græcum etiam
prouerbium fluxit ἀντιπελαργεῖν, ſcribit Plinius, Q. igitur Caecilivs Lib. 10. cap. 23.
Metellvs Pivs Scipio, quod Imperator (vt ex eius denariorum
titulis apparet) in Africa fuerit appellatus, aperte demonſtrant Cæſaris
verba: His temporibus, inquit, Scipio detrimentis quibuſdam circa montem Lib. 3. de bel. Ciuil.
Amanum acceptis, ſeſe Imperatorem appellauerat. Nec vero dubitandum "
3. eſt, quin denarij huiuſmodi fuerint in Africa ſignati, nam in tertio &
4. quarto Elephas, in ſexti altera parte Africæ ipſius caput cum ſpicis & aratro, Lib. 2. de laudibus
quale à Claudiano deſcribitur. Stiliconis.

> Tum ſpicis, & dente comas inſignis eburno,
> Et calido rubicunda die, ſic Africa fatur.

In altera, Herculis ſimulacrum ſignatum eſt, quod in Africa colebatur,
cuius facit mentionem Herodotus. Ad eiuſdem autem Scipionis Pontificatum Hiſtor. lib. 2.
7. maximum indicandum, vas in ſeptimo tabellæ denario ſignatum eſt: de eo
meminit Aſconius in Corneliana, & Suetonius in Tiberio his verbis; Pater "
vero Tiberij, Quæſtor C. Cæſaris Alexandrino bello claſſi Præpoſitus, " Cap. 4.
plurimum ad victoriam contulit: quare & Pontifex in locum P. Scipionis "
conſtitutus &c. Augurem etiam fuiſſe Scipionem, ex litui ſigno, quod "
8. in eodem denario notatum eſt intelligere poſſumus. De Eppio, in Eppia
gente ſuo loco dicetur.



AD eundem SCIPIONEM pertinet primus huius tabellæ denarius 1.
vt eſt poſtremi duo prioris. Sed Iſidis & terminorum Præſidis Iouis in altera huius & illius denarij parte impreſſa ſimulacra quo ſpectent reperire adhuc non potui; cum tamen ex aliis quæ in iis denariis ſignata ſunt, ſatis conſtat eos a P. CRASSO Iuniano, Scipionis in Africa Legato Propr. cuſos eſſe; de quo quidem Craſſo dicemus in Licinia Gente, in quam ex Iunia, vt ex adoptionis formula apparet, tranſlatus fuit. De Iſide Dea quæ κεϱασφόϱος, hoc eſt, Cornigera, (quod eadem cum Luna eſſet) appellatur à Plutarcho; videndus Diodorus Siculus & Plutarchus ipſe in libro quem inſcripſit πεϱὶ Ὀσίϱιδος καὶ Ἴσιδος. Ad interpretationem autem litterarum G. T. A. quæ Iſidis capiti in denario ſuperpoſita ſunt, faciunt Seruij verba, in illum Virgilij verſum


Lib. 8. Æneid. ——— patrio vocat agmina ſiſtro,

„ Cleopatra, inquit, ſibi tantum aſſumpſerat, vt ſe Iſin vellet videri. Iſis „ autem eſt Genius Ægypti, qui per ſiſtri motum quod gerit in dextra, Nili „ acceſſus & receſſus ſignat; per ſitulam, quam ſiniſtra retinet, oſtendit „ fluentiam omnium lacunarum. Iſis lingua Ægyptiorum eſt Terra, quam Iſin volunt eſſe. Ex his enim Seruij verbis, litteras G. T. A. poſſumus interpretari GENIVS TVTELARIS AEGYPTI. De Iouis (quem Græci ὅϱιον appellant) ſigno, quod in vltimo prioris tabellæ denario cum aquilæ capite ſignatum eſt, meminit Dionyſius Halicarn. dum ſcribit, Numam Pompilium Ioui Terminali terminos ſacraſſe. Plato quoque & Pollux, Iouis huius ἱεϱὰ & columnæ ὁϱοεῖας, hoc eſt terminalis, faciunt mentionem. Sella 2.
curulis Africanum fortaſſe Scipionis Imperium deſignat, cui æquitatis & vbertatis ſymbola, copiæ cornu, & lances ſuperpoſitæ ſunt; nam ſpicas

Lib. 2. / Libro leg. 8. / Lib. 9.

Prouinciæ fertilitatem ſignificare ex Claudiani verſibus docuimus, qui ſunt
3. in ſuperiore tabella a nobis prolati. Quam quidem Prouinciam Cybeles
4. quoque turrita imagine quæ in tertio denario expreſſa eſt, indicari arbitramur.
Poſtremus nummus incognitam NIGRORVM *Familiam reſtituit, cuius nullum veſtigium eſt apud veteres; ſimul inculcat magiſtratum ab Auguſto primum inſtitutum II.-Virorum ad frumentum emundum de quo plura in gente Calpurnia. Confirmat hanc opinionem quod vna* C. HEIVS *commemoratur vir in Sicilia e Mamertinis clarus, inquit Cicero in Verre. Sicilia autem horreum fuit populi Romani.*

CAECINA·




AD A. ne CAECINAM Equitem Romanum, Volaterris in Etruria natum, ad quem Ciceronis exſtant Epiſtolæ aliquot, quique pro Pompeio contra Cæſarem pugnauit, pertineat æreus hic nummus, an ad A. CAECINAM huius vt puto Filium, qui Conſul Auguſto ſuffectus fuit in XIII. Conſulatu, æque mihi obſcurum eſt. CAECINAE Patris meminit Hirtius qui ſcribit, ei Cæſarem ignouiſſe, quod pro Pompeio contra ipſum ſtetiſſet. CAECINAM Filium Velleius appellat Conſularem: ſed quando Conſul fuerit, quoniam prætermiſſum eſt ab iis qui Faſtos ediderunt, quærendum nobis eſt: credi autem poteſt Conſulem ſuffectum fuiſſe Auguſto Conſuli XIII. anno DCCLI. in quo Conſulatu Marcum Plautium Siluanum Collegam habuit: id vt credam, duobus argumentis adducor, primum quia Velleius Siluanum ſimul & CAECINAM ex trans-marinis Prouinciis auxilium Tiberio tuliſſe ſcribit, in quibus credendum eſt, qui ſuperiore anno Conſulatum ſimul geſſiſſent, tunc Pro-Conſulibus ſimul fuiſſe: deinde quia cum Conſularem CAECINAM Velleius appellet, & quo anno Conſul fuerit ignoretur, veriſimile eſt, Collegam Siluani ſuperiore anno fuiſſe eum, qui cum eodem Siluano ſequenti anno Pro-Conſulari poteſtate, Prouincias ſortitus eſt. Nec illud obſtat quod Conſulares non ſemper ij, qui Conſulatum geſſerint, ſed qui eo honore digni habiti ſunt, a Velleio aliiſque ſcriptoribus aliquando appellentur, quoniam ex iis, quæ ſupra ad ſtabiliendam noſtram de Cæcinæ conſulatu coniecturam adduximus, ſatis conſtat, Conſularem Cæcinam a Velleio dictum, quod Conſulatum vere geſſiſſet. CAECINA vero gentis nomen eſſe non videtur vt nec PERPENNA, *Sed ignoratione veri nominis id coacti ſumus afferre de quo argumenta plura habes in Atia gente. Certe multi fuerunt qui cum cognominibus*

Lib. de bel. Afric.

Lib. 2.

ſuis delectarentur nomina ſua interire paſſi ſunt, vt Agrippa per quem non ſtetit vt nomen ſuum ignoraretur. Eius in duabus inſcriptionibus mentio exſtat; vna in qua Neronis temporibus C. CAECINA LARGVS nominatur. Altera in qua Veſpaſiano imperante C. CAECINA PAETVS Conſul, cum L. Annio Baſſo deſcriptus eſt.



CAESIAE Gentis, incertum, Patriciæ ne an plebeiæ, frequens exſtat mentio in veteribus cum lapidum, tum ſcriptorum monumentis; ex quibus tamen nullus, quod ſciam, facit L. CAESII mentionem, qui in huius tabellæ denario notatus eſt, niſi forte is ſit, cuius meminit Cicero, „ his verbis: Nunc reſpondebo ad eas Epiſtolas quas mihi reddidit L. CAESIVS: „ cui, quoniam ita te velle intelligo, nullo loco deero. M. Cæſius Prætor anno DCLXXVIII. nominatur ab eodem Cicerone: ſed nihil habet cum denarij Inſcriptione commune cum hic Marci, ille Lucij prænomine affectus ſit. De Ve-jouis ſimulachro, quod in altera huius denarij parte expreſſum eſt, ita ſcribit Agellius. Simulachrum igitur Ve-jouis, quod eſt „ in æde ſita inter Arcem & Capitolium, ſagittas tenet, quæ ſunt videlicet „ paratæ ad nocendum, quippe eum Deum plerique Apollinem eſſe dixerunt, „ immolaturque illi ritu humano capra: eiuſque animalis figmentum iuxta „ ſimulachrum ſtat. LARIBVS qui in altera parte ſignati ſunt, Vulcani caput ſuperpoſitum eſt, propterea quod in foco coluntur; eiſque aſſiſtit canis ob eam cauſam, quam refert Plutarchus in Problematibus, his verbis, Διὰ τί τῶν Λαρητῶν, οὓς ἰδίως πραιστίτας καλοῦσι, τούτοις κύων παρέστηκεν, αὐτοὶ δὲ κυνῶν διφθέραις ἀμπέχονται; ἢ πραιστῖται μὲν οἱ προεστῶτές εἰσι, τοὺς δὲ προεστῶτας, οἴκου φυλακτικοὺς εἶναι προσήκει, καὶ φοβεροὺς μὲν τοῖς ἀλλοτρίοις, ὥσπερ ὁ κύων ἐστὶν, „ ἠπίους δὲ καὶ πράους τοῖς συνοικοῦσιν. Hoc eſt, Cur Laribus, quos proprie Præſides „ vocant, canis aſſiſtit: ipſi autem canum pellibus veſtiuntur? An quod „ Præſides ſunt qui præſunt, hos autem domus cuſtodes eſſe oportet, & „ alienis formidoloſos, ſicut canes videmus: mites vero ac lenes manſuetoſque „ domeſticis &c. Eadem de laribus narrat Macrobius in Saturnalibus. Opinor autem L. hunc CAESIVM, quicunque is ſit, ad Auguſtum hoc denario reſpexiſſe, qui ex ſtipe, quam ei populus Romanus anno nouo abſente contulit, LARIVM & VOLCANI ſigna dedicauit; vt ex baſium inſcriptionibus coniicere poſſumus quarum altera ſuperioribus annis in Foro

Epiſt. 11. lib. 1. ad Q. Fratr.


Lib. 3. in Verr. & in epiſt. 11. & 12. lib. 13 ad Memmiū.

Lib. 5. cap. 32.

Romano, altera nuper in ipſo fere Palatini montis in Forum deſcenſu reperta, vtraque in Farneſianas Alexandri Cardinalis ædes tranſlata eſt.

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS
PONTIFEX MAXIMVS
IMP. XIII. COS. XI. TRIB. POTEST. XV.
EX STIPE QVAM POPVLVS ROMANVS
ANNO NOVO APSENTI CONTVLIT
NERONE CLAVDIO DRVSO
T. QVINCTIO CRISPINO COSS.

VOLCANO
LARIBVS PVBLICIS SACRVM
IMP. CAESAR AVGVSTVS
PONTIFEX MAXIMVS
TRIBVNIC. POTESTAT. XVIIII.
EX STIPE QVAM POPVLVS EI
CONTVLIT K. IANVAR. APSENTI
C. CALVISIO SABINO
L. PASSIENO RVFO COSS.



CALIDIAM Gentem ex Scriptoribus, qui eius meminerunt, patriciam fuiſſe intelligimus. Opinor autem hoc denario deſignari M. CALIDIVM Senatorem, de quo meminit Cæſar, his verbis. Vt M. CALIDIVS qui cenſebat, vt Pompeius in ſuas prouincias proficiſceretur, ne qua eſſet armorum cauſa. M. hic CALIDIVS Q. F. (vt eſt apud Ciceronem in II. contra Verrem) Prætor fuit anno DCXCVI. P. Lentulo, Q. Metello Coss. eiuſque Præturæ facit mentionem idem Cicero in Oratione poſt reditum in Senatu: quem vt Oratorem diſertum laudat, his verbis, ſed de M. CALIDIO dicamus aliquid, qui non fuit Orator vnus ex multis, potius inter multos prope ſingularis fuit. Eiuſdem meminerunt Valerius Max. Aſconius in Cornieliana, & Quintilianus qui ita ſcribit; Nam pro domo Ciceronis dixiſſe Calidium, hinc, inquit, vim Cæſaris, indolem Cœlij ſubtilitatem CALIDII. Velleius etiam facit huius Calidij mentionem, cum inquit: Quis enim ignorat diremptos gradibus ætatis floruiſſe hoc tempore Ciceronem, Hortenſium, ſaneque Craſſum, Catonem, Sulpicium, moxque Brutum, Calidium, Coelium, &c.

Lib. 1. bel. ciuil. — in Bruto. — Lib. 8. Cap. 10. — Lib. 10. Cap. 1. — L. 12. c. 10. — Lib. 2.



CALPVRNIAE Gentis plebeiæ, PISONVM tantum Familia &
BIBVLORVM atque PISONVM FRVGI in antiquis denariis reperitur.
L. PISO L. F. FRVGI, cuius primus in tabella denarius expreſſus eſt,
Conſul fuit cum P. Mucio Scæuola anno DCXX. Cenſorque cum L. Cæcilio I.
Metello Caluo anno DCXXVII. luſtrum non fecit. Tribunus pl. Legem
Calpurniam de repetundis tulit: primuſque vt tradit Cicero pro Fonteio,
FRVGI cognomen ob frugalitatem adeptus eſt. Simulachrum Victoriæ,
ad Calpurniæ Piſonum Familiæ victoriam aliquam, & fortaſſe ad C.
CALPVRNII Piſonis triumphum pertinere poteſt, quem ex Hiſpania Pro-
Prætore de Luſitaneis egit, & Celtibereis anno DLXIX. Deſultorius vero
Eques, quem in antiqua quoque gemma cum litteris L. PISO L. F.
FRVGI inciſum vidimus, ludos Apollinares, vt opinor, deſignat, quos fecit
C. CALPVRNIVS Piſo Prætor Vrbanus, anno DXLII. ad quos indicandos.
Lib. 26. „ Apollinis etiam caput in altera denariorum parte expreſſum eſt. Ludi, inquit
„ Liuius, Apollinares & priore anno fuerant, & eo anno vt fierent, referente
„ Calpurnio Prætore, Senatus decreuit, vt in perpetuum vouerentur. Ludi
„ Apollinares in honorem Apollinis celebrabantur ante diem prid. Non. Iul.
& ſeptem diebus ſequentibus, vt in Kalendario Romano notatum eſt; cui
Lib. 25. ſuffragatur Liuius, & is qui Apollinis caput & Deſultorium Equitem in
denariis

denariis cuſit L. Piſo. Liuij verba ſunt hæc. Alterum S. C. factum eſt, vt « X-Viri ſacra Græco ritu facerent, iiſque hoſtiis; Apollini, boue aurato, & « capris duabus albis auratis: Latonæ, boue femina aurata. Ludos Prætor « in Circo Maximo cum facturus eſſet, edixit vt populus per eos ludos ſtipem « Apollini, quantum commodum eſſet conferret. Hæc eſt origo ludorum « Apollinarium, victoriæ, non valetudinis ergo (vt plerique rentur) votorum. « Ex his autem Liuij verbis, & iis quæ ſupra ex lib. XXVI. adduximus, colligere poſſumus, Apollinares Ludos, cum votiui primum & incerti anno DXLI. inſtituti fuiſſent, annuos, ſolenneſque, & in perpetuum referente C. Calpurnio Piſone Prætore Vrbano, ſtatos eſſe. Ad cuius rei illuſtrandum monumentum denarios huiuſmodi a L. & C. PISONIBVS in Familiæ honorem percuſſos fuiſſe credendum eſt.

5. Quintus denarius, niſi PISONI FRVGI, de quo ſupra, tribuatur, ad eius Filium L. PISONEM FRVGI qui Prætor in Hiſpania obiit, vel ad legem PISONEM eius nepotem, Prætorem item anno DCLXXXIII. referendus erit, cum horum alterum

6. eo denario deſignari neceſſe omnino ſit. *Sextus, ſeptimus & octauus eumdem*

7. *opinor* L. PISONEM *exhibent, quem claſſi præfuiſſe remus & anchora decuſſatim*

8. *poſita docere videntur.*



1. PRIMVS tabellæ denarius ad C. PISONEM L. Piſonis Frugi Filium, vel potius Nepotem, Ciceronis generum ſpectare poteſt, qui Conſul

2. fuit anno DCXXCVI. cum M'. Acilio Glabrione. Secundus & tertius

3. denarius pertinent ad M. PISONEM M. F. Prætorem, de quo Romæ in Capitolio exſtat inſcriptio huiuſmodi.

M. CALPVRNIVS M. F. PISO FRVGI PR. EX S.C.
FACIVNDVM CVRAVIT EIDEMQVE PROBAVIT
IMP. CAESAR DIVI NERVAE F. NERVA
TRAIANVS AVGVSTVS GERMANICVS
DACICVS PONTIF. MAXIMVS TRIB. POT. XIII.
IMP. VI. COS. V. P. P. OPERIBVS AMPLIATIS RESTITVIT.

„ De M. hoc Pupio Piſone, ita ſcribit Pædianus in Piſeniana. M. Pupius Piſo „ fuit eiſdem temporibus, quibus Cicero, ſed tanto ætate maior, vt „ adoleſcentulum Ciceronem pater ad eum deduceret quod in eo, & antiquæ „ vitæ ſimilitudo, & multæ erant litteræ: Orator quoque melior, quam „ frequentior habitus eſt. Et Cicero in Bruto. M. (inquit) Piſo quidquid „ habuit, habuit ex diſciplina maximeque ex omnibus qui ante eum fuerunt, „ Græcis doctrinis eruditus fuit. Hunc a M. Pupio adoptatum fuiſſe ſcribit idem Cicero in oratione pro domo ſua; & M. Pupium M. F. Piſonem. Frugi Calpurnianum dictum. Termini vero ſignum & ſacrorum inſtrumenta in duobus his denariis impreſſa, ad indicandam pertinent Familiæ originem a Numa Pompilio Rege ductam, qui primus populum Romanum Deorum cultum docuit, & Termino Deo ſacellum in colle Tarpeio erexit, vt ſcribit Lib. 2. Dionyſius Halicar. Plutarchus in Problemat. & Sex. Pompeius Feſtus, cuius „ verba ſunt hæc, Termino ſacra faciebant, quod in eius tutela fines agrorum „ eſſe putabant. Denique Numa Pompilius ſtatuit, eum qui Terminum „ exaraſſet, & ipſum & boues ſacros eſſe. In ſecundo denario integrum Termini ſimulacrum, in altero caput tantum expreſſum eſt: in vtroque autem, ab vna ſimulachri, ſeu capitis parte ſimpulum; ab altera, corona ſignata eſt. Hanc ego eſſe arbitror, qua Terminus in agris coronabatur, de Lib. 1. Eleg. 1. qua Tibullus ita canit,

Nam veneror, ſeu ſtipes habet deſertus in agris,
Seu vetus in triuio florida ſerta lapis.

Quin etiam Terminum Deum intellexerit Tibullus, non eſt dubitandum, de eo namque dixit Ouidius,

Termine, ſiue lapis, ſiue es defoſſus in agro,
Stipes ab antiquis, tu quoque numen habes.

Cætera inſtrumenta, ſimpulum ſcilicet, patera & culter ad Numam ipſum ſacrorum autorem referenda ſunt. *De quinto in ſequentis tabellæ deſcriptione dicetur.* 5. L. autem BIBVLVS a quo cuſus eſt vltimus huius, & primus 6. ſequentis tabellæ denarius, Antonianæ claſſis Præfectus fuit, vt ex iis quæ Lib. 1. 4. & 5. ſcribit Appianus intelligere poſſumus.



CALPVRNIAM Gentem a Calpo Numæ Pompilij Regis filio duxiſſe originem, ſcribit Plutarchus in Numa; indeque Horatius in Arte Poëtica Piſones Pompilium ſanguinem dixit, & Ouidius ad Piſonem,

..... Nam quid memorare neceſſe eſt,
Vt domus a Calpo nomen Calpurnia ducat?

Vt igitur hanc Familiæ originem indicaret CN. PISO in quinto argenteo
2. prioris tabellæ, & ſecundo huius nummo, caput Numæ Regis diadematum expreſſit. CN. autem PISONEM PROQ. opinor deſignari eum, qui Cn. Pompeij Legatus in bello Piratico fuit; cuiuſque meminit Appianus in Mithridatico; ad eumque honorem declarandum, nauis roſtrum in altera denarij parte cum Cn. Pompeij nomine ab eo ſignatum eſſe. Nec enim ad Cn. Piſonem Cn. F. pertinere hos nummos arbitror, qui cum Catilina & P. Autronio coniurauit anno DCLXXXVIII. & in Hiſpania Quæſtor PRO-PR. occiſus eſt; eius enim exſtat Romæ inſcriptio huiuſmodi.

CN. CALPVRNIVS
CN. F. PISO
QVAESTOR PRO-PR. EX S. C.
PROVINCIAM HISPANIAM
CITERIOREM OPTINVIT.

2. Qui vero in quatuor ſequentibus denariis CN. PISO CN. F. deſcriptus eſt;
3. Cn. Piſonis, quem Pompeij Legatum fuiſſe diximus, Filium exiſtimamus,
4. Auguſti in XI. Conſulatu Collegam, ſuffectum A. Terentio Varroni Murenæ,
5. qui antequam iniret, mortuus eſt, anno DCCXXX. atque iterum Conſulem, cum T. Claudio Nerone II. anno DCCXLVI. quem etiam III-Virum, vt
6. apparet, ſub Auguſto nummos huiuſmodi cuſiſſe credendum eſt. Sextus denarius ad quem Piſonem pertineat, obſcurum eſt: ex Inſcriptione certe,

& ex iis, quæ in vtraque parte denarij expreſſa ſunt, Præfectum eum fuiſſe frumento emundo perſpicuum eſt: qui Magiſtratus ab Auguſto, vt ex his
Lib. 54. Dionis verbis intelligi poteſt, inſtitutus fuit. Καὶ ἐκέλευσε, inquit, δύο ἄνδρας τῶν πρὸ πέντε που ἀεὶ ἐτῶν ἐστρατηγηκότων, πρὸς τὴν τοῦ σίτου διανομὴν κατ' ἔτος αἱρεῖσθαι. » Hoc eſt, iuſſitque vt ſingulis annis, Duo-Viri, qui ante quinquennium Præ- » turam geſſiſſent, frumento diſtribuendo vnoquoque anno conſtituerentur. Spicis autem, & Cereris, Saturnique imaginibus, Magiſtratus, qui annonam curabat, in denariis vti conſueuit; propterea quod agriculturæ repertor Saturnus creditus ſit: & Ædiles, vt rei frumentariæ præeſſent, creabantur. Præter hos, alios ſex Ædiles, exque iis, duo qui Cereales vocarentur a Cæſare creatos,
Lib. 43. tradit idem Dio. Καὶ ἐς μὲν τὸ πρῶτον, inquit, ἔτος, πρότερον καὶ ἀγορανόμοι τότε πρῶτον, δύο μὲν ἐξ εὐπατριδῶν, τέσσαρες δὲ ἐκ τοῦ πλήθους, ὧν οἱ δύο τὴν ἀπὸ τῆς Δήμητρος ἐπίκλησιν φέρουσιν. Hoc eſt; eodem anno primum ſex Ædiles ſunt conſtituti, duo patricij qui Cereales Ædiles vocarentur: quatuor plebeij. Denarios autem huiuſmodi pertinere arbitror ad eos Ædiles, quos ab Auguſto inſtitutos eſſe docuimus; propterea quod Piſo Cæpionis Collega, Familia ortus eſt plebeia, nec ei licuiſſet eum Magiſtratum gerere, quem ſolis patriciis Cæſar capere permiſiſſet.

CANINIA




Caninia, ſiue vt eſt in antiquis marmoribus Kaninia, quatuor habuit Familias, quarum in antiquis monumentis exſtat memoria:
Lib. 4. Rebilos, quorum meminit Liuius: Regvlos, qui reperiuntur apud
Lib. 7. de bel. Gal. Cæſarem: Gallos qui habentur in huius tabellæ denariis: Labeones, qui in Arnienſi Tribu cenſebantur, vt ex hac Inſcriptione intelligimus, cuius exemplum ſubiecimus.

L. Caninivs C. F.
Arn. Labeo Pater
omnes hei mei svnt Filivs illvm manv
ille illam merito missit et vestem dedit
qvoad vixsi vixsere omnes vna inter meos
evndem mi amorem praestat pverilem senexs
monvmentvm indicio st saxo saeptvm ac marmore
circvm stipatvm moervm mvlteis millibvs.

Lib. 1. L. Caninij Galli facit mentionem Cic. in ep. ad Cœlium viii. & Valerius
Lib. 4. cap. 2. Max. L. Caninius, inquit, reum pariter atque accuſatorem admirabilem

egit, & C. Antonij, quem damnauerat, filiam in matrimonium ducendo, & "
M. Colonium, a quo damnatus fuerat, rerum ſuarum Procuratorem "
habendo. Opinor autem L. CANINIVM GALLVM, qui Conſul cum M. Agrippa anno DCCVI. fuit, & III-Vir poſtea ſub Auguſto denarios huiuſmodi cuſit, L. Caninij huius qui a Cicerone & Valerio nominatur filium fuiſſe, propterea quod, a Dione L. Caninius L. F. deſcribitur: patrem vero C. Caninij Galli qui M. Plautio Siluano Conſul ſufficitur anno DCCLI. cuius meminit Velleius, atque ita C. CANINIVS L. F. L. N. in Faſtis deſcribi Lib. 2.
poterit. Quæ autem in altera parte primi denarij impreſſa ſunt, ad ſigna pertinent de Parthis ab Auguſto recuperata, de quibus infra dicemus. Prætorium vero tabernaculum, quod eſt in ſecundo denario ſignatum, oppidi alicuius oppugnationem ſub eodem Auguſto deſignat.




CARISIA Gens a nullo veterum Scriptorum quod ego ſciam, nominatur, præterquam a Floro & Dione qui facit mentionem T. CARISII, Lib. 4. Lib. 53. &
qui in huius tabellæ denariis deſcriptus eſt, fratris, vt opinor, P. CARISII, qui 54.
1. in ſequenti tabella notatus eſt. Primo igitur denario, in quo Victoriæ imago
2. expreſſa eſt *cum bigis*, *& ſecundo cum quadrigis*, rem proſpere a ſe geſtam cum Cantabris & Aſturibus indicare Cariſius voluit. *Hæc, inquit Florus, per Antiſtium, Furnium, Agrippam, Legatos hibernans in Tarraconis maritimis Cæſar accepit. Ipſe præſens hos deduxit montibus, hos obſidibus adſtrinxit, hos ſub corona*


belli iure venumdedit. Digna res lauro, digna curru Senatui viſa eſt, ſed iam
Lib. 53. *Cæſar tantus erat vt poſſet triumphos contemnere.* De ea ita ſcribit Dio. Καὶ Τῖτος
μετὰ ταῦτα Καρίσιος τήν τε Λαγκίαν τὸ μέγιστον τῶν Ἀστύρων πόλισμα ἐκλειφθὲν εἷλε,
καὶ ἄλλα πολλὰ προσεποιήσατο. παυσαμένου δὲ τοῦ πολέμου τούτου, ὁ Αὔγουστος τοὺς μὲν
ἀφηλικεστέρους τῶν στρατιωτῶν ἀφῆκε, καὶ πόλιν αὐτοῖς ἐν Λυσιτανίᾳ τὴν Αὐγοῦσταν
„ Ἠμερίταν κτίσαι ἔδωκεν. Hoc eſt, T. deinde Cariſius Lanciam quæ eſt maxima
„ Aſturiæ vrbs deſertam occupauit, multaque alia in ſuam poteſtatem redegit,
„ finitoque hoc bello, Auguſtus emeritos milites exauctorauit, vrbemque eos in
„ Luſitania Auguſtam Emeritam condere iuſſit. Et lib. LIV. ſcribit Aſturas, qui a
„ Cariſio Auguſti Legato deſciuerant, C. Furnio Cantabriæ præfecto auxilium
„ ferente, a Cariſio coërcitos, atque rurſus in ſeruitutem redactos. *Florus autem ſic*
„ *ait, præmonitus Cariſius cum exercitu adueniens oppreſſit conſilia. Sic tamen quoque*
„ *non incruento certamine reliquias cæſi exercitus validiſſimi ciuitas Lancia cæpit, &*
paullo poſt, hic finis Auguſto bellicorum certaminum fuit, idem rebellandi finis
Hiſpaniæ. Tertius tabellæ denarius cuſus ab eodem CARISIO fuit cum mo- 3.
netalibus inſtrumentis, incude, malleo, & forcipe ad indicandum cudendæ
Monetę munus quo tunc fungebatur. Quod vero ad Iunonis Monetæ effigiem
in eius altera parte ſignatam attinet, ſcribit Suidas Grammaticus, Romanos
cum aliquando in bello contra Pyrrhum & Tarentinos pecunia indigerent,
Iunoni pro pecunia comparanda vota feciſſe: illam vero eos monuiſſe, vt
Iuſtitiæ armis vterentur, ita enim pecuniam eis non defuturam: qui voti
compotes facti, Monetam Iunonem adorarunt, atque in eius rei memoriam
Numiſma MONETA inſculptum in Templo Iunonis aſſeruandum dedicarunt.
De Diuinatione. *Inde etiam* SALVTARIS *dicta eſt, quamquam aliam nominis originem tradit Cicero,*
poſt ingentem à Gallis Senonibus acceptam cladem, audita vox ex arce Iunonis fuit,
ex quo Iuno illa appellata MONETA *eſt, fortaſſis á monendo.* De Sphinge in
altera quinti denarij parte, qualis a Poëtis deſcribitur, impreſſa, meminit 5.
Auſonius in tertio numero, his verſibus.

„ Terruit Aoniam volucris, Leo, Virgo, triformis
„ Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Quod autem Auguſtus eo ſigno vteretur, non abs re Cariſius qui cudendæ
Monetæ ſub eo præerat, Sphingem huiuſmodi in Auguſti gratiam ſignauit.
Lib. 2. c. 5. In Diplomatibus, inquit Suetonius, libelliſque & epiſtolis ſignandis, initio
„ Sphinge vſus eſt, mox imagine Magnj Alexandri, deinde ſua &c. Dio,
διπλῆν γὰρ σφραγῖδα ἣ μάλιστα τότε ἐχρῆτο, ἐπεποίητο, σφίγγα ἐν ἑκατέρᾳ ὁμοίαν
Lib. 51. ἐκτυπώσας. Hoc eſt, ſigillum quo tum maxime vtebatur duplex parauerat,
Sphinge in vtroque eadem inſculpta, nam ſerius cepit ſuam imaginem in eo
incidere. Sextus tabellæ denarius Imperium orbis terrarum Auguſto delatum 6.
ſine dubio indicat. Septimus denarius percuſſus, opinor, eo anno fuit, quo 7.
ab Auguſto ludi ſæculares facti ſunt, qui in Apollonis & Dianæ honorem
celebrabantur, cui tribuitur canis in altera denarij parte impreſſus. De quibus
fuſius in gente Poſthumia. In octauo denario T. CARISII indicatur
Ædilitas tigri Baccho ſacra, thyrſo, aliiſque Liberaliorum ſymbolis, quæ in
altera huius nummi parte impreſſa ſunt.



Hvivs tabellæ denarij pertinent ad P. Carisivm T. Cariſij vt nos opinamur Fratrem, qui Auguſti & ipſe in Hiſpania Legatus Pro-Prætore, cum T. Cariſio, & C. Antiſtio, Cantabris Aſturibuſque ſubactis, Auguſtam Emeritam oppidum in Luſitania, Auguſti iuſſu Tarracone
3. ægrotantis, militibus emeritis condidit, vt ex Dionis verbis intelligere
4. poſſumus, quæ ſupra adduximus, & ex iis quæ in tertio & quarto denario Lib. 53.
1. impreſſa ſunt. In primo præter Iouis Axuri caput, nihil eſt aliud notatu
2. dignum. Secundus autem denarius & ſextus Cantabricam victoriam fortaſſe
6. deſignant, quam Cariſius Auguſti Legatus in Hiſpania adeptus eſt. Quintum
5. ad ludos ſæculares pertinere arbitror, quos Auguſtus ſextos fecit: niſi clypeus & gladius, aliaque bellica inſtrumenta in eis impreſſa, Hiſpaniæ Prouinciæ ſymbola ſint, quod magis placet. *Accedit nummus æreus plena facie & exſtante cum hoc titulo* Permissv Caesaris Avgvsti, *in cuius altera facie boues ad aratrum iuncti à Colono reguntur cum hoc vocabulo* Emerita. *Solemnis autem typus ille Coloniarum eſt.*



HVIVS *tabellæ nummi ad* P. CARISIVM *T. Cariſij Fratrem vt ſuperiores referuntur, & victoriam Cantabricam ludoſque ſæculares demonſtrant: de quibus ſupra. Hic occaſione data de eorum fere omnium Inſcriptionibus quod Magiſtratus attinet ſermo videtur inſtituendus.* De Legatis & Pro-Prætoribus, quibus quidem honoribus Publium Cariſium affectum fuiſſe denariorum Inſcriptiones declarant, multa cum apud Dionem (Lib. 53.), tum apud alios veteres Scriptores ſcitu digna leguntur, ſed ſingularem ab iis omnibus, qui antiquitatis ſtudio tenentur, initurum me gratiam opinor, ſi Antonij Auguſtini Epiſcopi Ilerdenſis, Viri doctiſſimi, ſuper huiuſmodi denariorum titulis Commentariolum ab eo nuper ad me miſſum protulero. A quo etſi diſſentire mihi in aliquo pro eius viri autoritate pæne nefas ſit, quid tamen in eius ſcripto mihi minus probetur, in ipſis Inſcriptionum explicationibus ſuo loco libere a nobis dicetur. ANTONII AVGVSTINI EP. ILERDENSIS DE IIS QVI PRO-CONSVLIB. ET PRO-PRAETORIB. ET PRO-QVAESTORIB. DICEBANTVR. Nota res eſt Magiſtratuum nomina fuiſſe Conſulum, Prætorum & Quæſtorum; quorum aliqui intra Vrbem, aliqui extra, Magiſtratus gerebant: cumque tempus Magiſtratus annuum eſſet, poſt annum deſinebant nomen id Magiſtratus habere, quoad inuenta eſt hæc appellatio, vt qui fungerentur munere Magiſtratuum, poſt illud annuum tempus Pro Conſulibus, vel Pro-Prætoribus Prouincias obtinere aut exercitum, aut Imperium, aut Poteſtatem dicerentur. Initium huius rei cœpit, cum Q. Poblilius Philo poſt Conſulatum Prouinciam obtinuit, prorogata ei poteſtate, ſiue Imperio: itaque pro Conſule, ſiue Pro-Conſul appellatus eſt anno v. c. CDXXVII. eodem exemplo poſtea quotiens poſt annum aut Conſules aut Prætores prouincias obtinebant; pro-Conſulibus aut pro-Prætoribus eas obtinere dicebantur. Poſt hæc paulatim factum eſt, vt ij, qui ex vrbe diſcederent in prouincias, cum Magiſtratus tempus iam exactum eſſet, pro Conſulibus Conſulares Viri, & pro Prætotibus Prætorij, mitti dicerentur: item illud, vt quædam Prouinciæ Conſulares, quædam Prætoriæ dicerentur, in quas Conſulatu aut Prætura functi, aut etiam qui

tunc


tunc fungerentur, mittebantur: ſic Cicero in Ciliciam profectus eſt, ſic Cæſar in Gallias, ſic alij plerique. Extraordinaria quoque Imperia his nominibus ornabantur, vt cum L. Marcio in Hiſpania ab exercitu poteſtas data eſt, per occiſos P. & Cn. Scipiones nouo exemplo, quod a Senatu eſt reprehenſum, vt L. Marcius pro-Prætore res gerere diceretur, ſine vlla Senatus aut Populi Romani autoritate; ſic etiam aduerſus M. Antonium cum exercitum Veteranorum coëgiſſet C. Cæſar Octauianus priuato conſilio; ei rei autoritatem conceſſit Senatus, & autore M. Cicerone, adoleſcens, qui nullum tunc Magiſtratum gerere poterat, pro-Prætore ex autoritate Senatus exercitum obtinuit. Exſtat ea de re Ciceronis oratio, quæ inſcribitur Philippica 5. Eadem ratione extra ordinem P. Scipio in Hiſpaniam miſſus eſt: item Cn. Pompeius, cum ex ſententia L. Philippi diceretur non pro-Conſule, ſed pro-Conſulibus fuiſſe miſſus. In eandem ſententiam afferri poteſt quod Cicero ſcribit, periiſſe auſpicia Magiſtratuum, cum omnia fere bella gererentur non a Magiſtratibus ipſis, ſed a pro-Conſulibus & pro-Prætoribus. Lib. 2. de Diuinat.

De pro-Quæſtoribus nunc dicendum eſt. Quæſtores aut Vrbani, aut Prouinciales fuerunt: Prouinciales appello, quibus neceſſe erat ſequi Magiſtratus, quibus prouinciæ committebantur, & vt ſæpe Cicero ſcribit, more maiorum Quæſtor Prætori vel pro-Conſuli, filij loco habebatur. Quæſtoribus pecunia quæ Magiſtratibus aut Legatis aut exercitui erat attributa, committebatur; ſi in Prouincia Quæſtor vltra annum fuiſſet, pro-Quæſtore id officium obtinere dicebatur: ſed & ſi mortuo Quæſtore, aut de prouincia decedente id officium alteri committeretur, puta Legato pro-Conſulis, aut Prætoris proue Prætore, is Legatus pro-Quæſtore erat. Legatorum munus totum prouinciale fuit, & ex mandata Iuriſdictione pendebat, non ex iure Magiſtratus: neque enim Legati, vt cæteri Magiſtratus intra vrbem in Comitiis, aut in Senatu eligebantur: ſed erant Comites eorum, qui Prouincias adminiſtrabant, ſæpe Prætorij viri, & nonnunquam Conſulares. His Legatis mandabatur Iuriſdictio, cum primum in prouinciam venerant pro-Conſules, aut Prætores, prove Prætoribus: ad hanc rem probandam afferri poteſt, quod Cicero, ait de Verris Quæſtura, & legatione & vt mortuo Malleolo, pro-Quæſtore fuerit, & quod in epiſtulis de C. Cœlio Caldo Quæſtore, Quem in prouincia reliquit cum Imperio. Ex his apparet, quid ſit quod in pleriſque denariis, & titulis monumentorum adſcriptum eſt; Legatum pro Quæſtore, ſiue Quæſtorem pro Prætore eam pecuniam ſignaſſe; aut eam rem geſſiſſe; ſic enim interpretor. Cum enim dicitur Quæſtorem pro Prætore illum eſſe, ſignificat eum, qui Quæſturam obtineret, pro Prætore Magiſtratu fungi, & prætoriam prouinciam regere. At ſi adſcriptum eſt aliquem Legatum pro Prætore eſſe, ſignificat eum, qui venerit in prouinciam Prætoris, Legatus, decedente Prætore, eius munere fungi. Quod ſi dicatur Legatum pro Quæſtore eſſe, ſignificatur eum Legatum Quæſturam exercere pro aliquo Quæſtore qui- Lib. 3. in Verrem.

aut abſens eſſet, aut mortuus. Eſt autem frequens hoc in denariis, quia pecunia ſignabatur ſæpe in prouinciis, vt exercitui ſtipendia ſoluerentur: & cum bellis ciuilibus multa extra ordinem, & nouo exemplo fierent, cumque hodie exſtet pecunia ſignata, aut a percuſſoribus Cæſaris, aut ab iis qui ſequebantur partes Sexti Pompeij, aut a cæteris Cæſarianis, aut Pompeianis; minus mirum eſt, pecuniam referre eorum nomina, qui non veros Magiſtratus, ſed extraordinarios obtinerent. Cæſaris vero percuſſoribus datas fuiſſe prouincias extra ordinem, conſtet ex Cornelij Nepotis verbis. Ex his facile intelligimus quid ſit, quod in nummis Marci Antonij adſcriptum ſit. M. SILANVS AVG. Q. PROCOS. id eſt, Marcus Silanus Augur Quæſtor pro-Conſule: & in denariis Metelli Scipionis, P. CRASSVS IVNI. LEG. PRO PR. Id eſt, Publius Craſſus Iunior Legatus pro-Prætore: & in nummis Pompeij MAGN. PRO COS. CN. PISO PRO Q. Hoc eſt, Magnus pro-Conſule Cneius Piſo pro-Quæſtore: & in denariis Auguſti; P. CARISIVS LEG. PRO PR. & MARIVS C. F. PRO-III-VIR. Eſt etiam in denariis Q. DESIG. Hoc eſt, Quæſtor Deſignatus. Q. VOCONIVS VITVLVS, vel TI. SEMPRONIVS GRACCVS: item Q. P. quod interpretor Quæſtor publicus: in nummis Antonij M. BARBAT. Q. P. & M. NERVA PRO Q. P. Id eſt, pro Quæſtore publico. Quæſtores argentum in Prouinciis ſignaſſe conſtat ex Epiſt. Ciceronis ad Plancum.

In Attici vita.

Lib. 11. Famil.



CASSIA Gens in duas fuit diuiſa Familias, Patriciam vnam, BICELLINORVM, alteram plebeiam, LONGORVM, & LONGINORVM, qui Caſſiæ Gentis denarios qui ſuperſunt, percuſſerunt. 1. In primo autem huius tabellæ denario duo Caſſiæ Longinorum Familiæ monumenta expreſſa ſunt; vnum eius CASSII, qui Veſtæ Templum damnatis Virginibus inceſtis purgauit, vt ſcribit Aſconius in Miloniana: alterum L. CASSII LONGINI, qui Tribunus Plebis C. Mario VI. L. Valerio Flacco Coſs. anno DCLIII. legem tabellariam tulit, cuius meminit Cicero & Aſconius in Diuinatione, his verbis. In Diuinatione, & in aliis cauſis maioribus vniuerſi Iudices in ciſtam tabulas ſimul coniiciebant ſuas, eaſque inſculptas litteras habentes A. abſolutionis: C. condemnationis: cum de alicuius capite agebatur N. L. ampliationis. His enim litteris ſignificabant Non Liquere. & in III. Verrina. Nam cum condemnandi, inquit, nota eſſet C. littera: abſoluendi A. ampliandi ſignum N. L. dabant, quo ſignificabant Non Liquere: vnde ampliatio naſcebatur. De forma Templi Veſtæ quod rotunda fuerit, præter id, quod tradit Plinius, ita canit Ouid. Lib.1. de Legib. & de Claris Orat. Lib. 34. c. 5. Faſt. lib. 3.

Et quantum a ſummis tantum ſeceſſit ab imo
 Terra, quod vt fiat, forma rotunda facit.
Par facies Templi, nullus procurrit in illo
 Angulus &c.

Quis autem fuerit Q. hic Cassius qui denarium cuſit, mihi quidem incertum eſt; libertatis tamen imago in ſecundo tabellæ denario impreſſa 2.
facit vt ſuſpicer, fratrem fuiſſe C. Caſſij eius, qui Cæſarem interfecit. Tertius tabellæ denarius ad eandem Caſſiam Legem videtur ſpectare: niſi 3.
forte ad eam quæ de populi iudicio a Caſſio Longino lata eſt, referre malimus; de qua ita ſcribit Cicero pro Cornelio. „Etiam hæc recentiora „præteréo: ponam principium iuſtiſſimæ libertatis Caſſiam, qua lege ſuffra„giorum vis poteſtaſque conualuit: alteram Caſſiam, quæ populi iudicia firmauit. Aſconij verba in huius loci explicatione ſunt hæc. Quæ ſit iſta Lex Caſſia, qua ſuffragiorum poteſtas conualuit, manifeſtum eſt, nam ipſe quoque paullo ante dixit Legem Caſſiam tuliſſe, vt populus per tabellam ſuffragium ferret: altera Caſſia Lex, quæ populi iudicia firmauit, quæ ſit, poteſt quæri; eſt autem hæc. L. Caſſius L. F. Longinus Tr. Pl. C. Mario C. Flauio Fimbria Coſſ. plures leges ad minuendam nobilitatis potentiam tulit, in quibus hanc etiam, vt quem populus damnaſſet, cui-ve Imperium abrogaſſet, in Senatu ne eſſet &c. Magis tamen placet vt ad alteram legem Caſſiam denarius referatur, propterea quod in ea tabella, quam ſignatus in denario Iudex in ciſtam coniicit, abſolutionis nota A. inſcripta manifeſte apparet. Quartus tabellæ denarius poteſt ad Q. Cassivm 4.
referri quem ſupra diximus Tr. Pl. fuiſſe anno dccix. de cuius Auguratu, Pontificatuque, qui vaſis & litui ſignis in denario impreſſis indicantur, nihil, quod ſciam, apud Scriptores reperitur. *Quintus eadem* 5.
iterat, ab Imperatore Trajano propterea magnitudinem rei quam indicat eſt reſtitutus. Sextus denarius poteſt ad Legem Caſſiam frumentariam pertinere, latam 6.
in ipſo Conſulatu a C. Caſſio Varo Cos. cum M. Terentio Varrone Lucullo anno dclxxx. cuius facit mentionem Aſconius in iii. Verrina. Eius fortaſſe filius L. Caſſius a Caeicio cuius meminit Cicero, adoptatus; & Caeicianus dictus, in patris memoriam denarium cum Cereris imagine, quæ rei frumentariæ præeſt, ſignauit: niſi forte Coloniam aliquam earum, quæ a Cæſare aut Auguſto deductæ ſunt, indicare Caſſius voluit: nec enim placet vt ad Cereris ſignum referatur cum Inſcriptione, ex Familia Cassia, cuius Dionyſius meminit, propterea quod damnato Sp. Caſſio, eiuſque diruta domo dedicatum id ſignum fuit: nec veriſimile eſt tantum Familiæ dedecus voluiſſe Caſſium cuſis ea nota denariis vulgare. Septimus 7.
tabellæ denarius ſine dubio reſpicit ad dedicationem eius ædis, quam Libero Liberæque, bello Latino ab A. Poſthumio Dictatore votam Sp. Caſſius dedicauit anno dclx. Conſul iterum cum Poſthumo Cominio Arunco II. ad quod illuſtrandum Caſſiæ Gentis monumentum, L. Caſſius denarium cum Liberi & Liberæ imaginibus cuſit; de huius ædis dedicatione meminit Dionyſius Halicarnaſſeus, his verbis. Κάσιος δ' ὁ ἕτερος τῶν ὑπάτων, ὁ καταλειφθεὶς ἐν τῇ Ῥώμῃ τόν τε νεὼν τῆς Δήμητρος καὶ Κόρης ἐν τῷ μεταξὺ χρόνῳ καθιέρωσεν, ὅς ἐστιν ἐπὶ τοῖς τοῦ μεγίστου ἱπποδρόμου τέρμασιν, ὑπὲρ αὐτὰς ἱδρυμένος τὰς ἀφέσεις, εὐξαμένου μὲν αὐτὸν Αὔλου Ποστουμίου τοῦ δικτάτορος ὑπὲρ τῆς πόλεως ἀνάθησιν τοῖς θεοῖς, καθ' ὃν χρόνον ἔμελλεν ἀγωνίζεσθαι πρὸς τὴν Λατίνων στρατιὰν, τῆς τε βουλῆς μετὰ τὸ νίκημα

Lib. 9. ad Atticum.

Lib. 8.

Lib. 6.


τὴν κατασκευὴν αὐτ. ψηφισαμένης ἐκ τῶν λαφύρων ποιήσασθαι, πάλαι τότε δὲ τοῦ ἔργου λαβόντος τὴν συντέλειαν. Hoc eſt alter Conſul Caſſius in vrbe relictus, interim ædem Cereris & Liberi Liberæque dedicauit, quæ eſt in fine Circi Maximi ſuper ipſos carceres ſita, bello Latino, ab A. Poſthumio Dictatore vota pro ſalute Reip. & poſt victoriam ex S. C. locata, abſoluta ex manubiis his Cos. fuit. Ad eandem tabellariam Caſſij legem octauus etiam denarius pertinet, in quo pone Romæ caput vrna quædam adiecta eſt, in quam tabellæ a Iudicibus coniicebantur, vel Abſolutionis vel Condemnationis.



Hvivs tabellæ denarij quin a C. Cassio Cæſaris percuſſore ſignati ſint, dubitari non poteſt qui M. Craſſi Quæſtor, reliquias exercitus ab Orode Rege fuſi conſeruauit, Syriamque in P. R. poteſtate retinuit. Sic Liuius, Velleius & Dio qui Longinum nominat pro Longum. Prætor (In epit. lib. 108.) cum M. Bruto anno dccix. Cæſarem cum aliis coniuratis occidit. *Tanta* (Lib. 2.) *vehementia tantoque feriendi ardore vt locum quærenti vni ex coniuratis ex quo* (Lib. 11.) *Cæſarem petere poſſit, vel per me feri dixerit.* Velleius in eodem libro, & (Aurel. Victor.) Sueton. in Cæſare. Eius facti memoria tribus huius tabellæ denariis indicatur, quibus Bruti quoque nomina & Lentuli cum libertatis imagine inciſa ſunt. *Bruti quidem quemadmodum & Seruilij Caſcæ, quod ij cum illo C. Cæſarem contrucidauerint. Lentuli autem Spintheris quod quamuis facinoris expers fuerit, eius tamen gloriam affectauerit, nam coniuratis poſt patratam cædem cruentas*

I iij

Plutarchus in Cæſare. *manus oſtentantibus, & ad Capitolium currentibus, ille latenter ſe admiſcuit quaſi facti & conſilij particeps.* Conſul cum D. Bruto deſignatus fuit in annum
Cic.Philip. l.2.& in ep. 41.16. ad Tir.Cęſ.l.1. de bel. ciu. DCCXI. huius frater fuiſſe credi poteſt Q. Caſſius qui Tribunatum plebis geſſit anno DCCIX. Sed C. Caſſius poſt interfectum Cæſarem claſſis
Liuius in Dio. l.41. epiſt.l.109. Præfectus cum M. Seruilio Caſca eius Legato Rhodum, rem immanis operis, vt inquit Velleius, cepit: ob eamque rem proſpere feliciterque
Cæſar lib.3 de bel.ciuil. geſtam, Imperator appellatus eſt. Plutarchus in Bruto & denariorum
Lib. 4. inſcriptiones. Bello ciuili Pompeiano Rhodiorum nauibus Præfectus fuit. Sed
Lib.42.c.63 ſuperato Pompeio, claſſem Cæſari tradidit. Appianus, Dio, Suetonius in
„ Cæſare. Poſt aciem, inquit, Pharſalicam cum præmiſſis in Aſiam copiis per
„ anguſtias Helleſponti Victor nauicula traiiceret, Caium Caſſium partis
„ aduerſæ cum decem roſtratis nauibus obuium ſibi neque refugit, &
„ cominus tendens vltro ad deditionem hortatus ſupplicem ad ſe recepit.
„ In vulgatis libris male L. pro C. ſcriptum eſt. A Senatu Syriæ præpoſitus
Lib 2. Dolabellam Laodiceæ incluſum expugnauit, Velleius, Dio & Liuius in
Lib. 46. Lib. 121. Epitoma. Eius acta poſt Cæſaris necem, referuntur a Dione. Bello Philip-
Lib. 47. penſi a M. Antonio ſuperatus, Brutum quoque victum exiſtimans, ſe ipſum
Id. ibid. interemit, ſiue vt alij malunt, a ſeruo occiſus eſt, & in Thaſo ſepultus.



De C. Cassio C. F. Celere qui Trium-Vir Monetæ cudendæ ſub Auguſto ſecundum & tertium huius tabellæ æreum nummum, cum ſeptimo prioris ſignauit, apud veteres Scriptores, nihil me legiſſe memini.

CESTIA.



CESTIA Gens fuit plebeia, vt ex antiqua Inſcriptione colligitur, cuius exemplum exſtat huiuſmodi.

C. CESTIVS L.F. POB. EPVLO. PR. TR. PL.
VII. VIR EPVLONVM
OPVS ABSOLVTVM EX TESTAMENTO DIEBVS CCCXXX.
ARBITRATV
PONTI. L.F. CLA. MELAE HAEREDIS ET POTHI L.

Cicero in oratione pro L. Flacco & Philipp. (licet corrupte in vulgatis Codicibus Caeſetius legatur pro Ceſtius) & Appianus, faciunt Ceſtij cuiuſdam mentionem. C. autem CESTIVS, qui in veteri inſcriptione notatus eſt, poteſt is eſſe, cuius Tacitus meminit, quia vero L. F. in ea deſcribitur, credi poteſt Filius fuiſſe L. Ceſtij huius qui denarium cuſit: ad cuius indicandam Præturam Sella Curulis in altera denarij parte adiecta eſt. Quod ea Prætores cum ius dicerent, vterentur. Varro de vita Pop. Ro. apud Nonium. P. Aelius, inquit, Paetus cum eſſet Prætor Vrbanus, & ſedens in ſella curuli ius diceret populo, &c. Africæ caput cum elephanti proboſcide, quale in Q. Cæcilij Metelli Pij Scipionis denario ſignatum eſt, quo pertineat, quia L. Ceſtij huius mentio apud Scriptores non exſtat, diuinare non poſſum.

Lib. 3. Lib. 4. bel. Ciuil. Lib. 5. Lib. 4.

CIPIA.



CIPIAE Gentis nullus (quod ſciam) veterum Scriptorum facit mentionem; ego vero opinor eandem eſſe cum Ciſpia, quæ ſine S. Littera, antiquo ſcribendi more in antiquis quoque lapidibus aliquando reperitur.


M. Cispivs
M. L. Eyrypon
M. Cispivs M. M. L.
Romanvs V. A. xv. Pie
Cispia M. M. Bvsca
M. Cispivs Felicio.

C. Cispivs A. F. Scapt.
Severvs Florentia
miles coh. III. Pr. vix.
ann. xliii. militavit
ann. xvii.

Cipia P. F. Secvnda
fieri ivssit
locvs in fr. P. xx.
in. agr. P. xxv.

Si autem coniecturæ aliquis locus ſit, liceatque Ciceronis locum in oratione poſt reditum in Senatu ex antiqui libri ſcriptura emendatum explicare, opinor hunc eſſe M. Cipium qui a Cicerone in oratione pro P. Sextio M. Ciſpius Tr. Pl. nominatur. Id vt opiner multis rationibus adducor. Primum quod Ciſpiam Familiam eandem eſſe cum Cipia ſupra demonſtraui, deinde quod in oratione poſt reditum in Senatu, hic idem Trib. plebis, qui in manuſcriptis eſt Moſpius emendatur a Manutio, M. Ciſpius, puriorque lectio videatur, ſi pro Moſpius, totidem litteris, reponatur M. Cipius, quam vna addita littera, quæ in manuſcripto non ſit, M. Ciſpius corrigatur. Nec obſtat quod idem hic Trib. plebis in oratione pro Cn. Plancio Criſpius corrupte pro Ciſpius nominetur, quia Cipiam & Ciſpiam nominari hanc Familiam in veteribus lapidibus ſupra notauimus. Ex quibus, & ex iis quæ modo adduxi Ciceronis locis, ſatis conſtabit eandem gentem plebeiam fuiſſe.

CLAVDIA.




Claudia Gens Familias habuit duas, Patriciam vnam minorum gentium, ex qua fuerunt pvlchri; alteram plebeiam, quæ clarior fuit,

1. fuit, Marcellorvm. Primus huius tabellæ denarius pertinet ad M.
Marcellvm quinquies Conſulem, qui anno dxxxi. Kal. Mart. de Galleis
Inſubribus & Germaneis triumphauit, & ſpolia opima Ioui Feretrio intulit,
duce hoſtium Virdumaro ad Claſtidium interfecto: quæ tota res in altera
denarij parte diligenter eſt expreſſa. Quintum Conſulatum Marcellus geſſit
cum T. Quinctio Criſpino anno dxlv. in quo quidem magiſtratu in prœlio
occiſus eſt. De Templo Iouis Feretrij, deque ſpoliis opimis eo relatis, ita
multi meminerunt, vt nihil neceſſe ſit in ea re narranda diutius immorari.
Videndus tamen Liuius & Propertius qui totam hanc de opimis ſpoliis hiſto- Lib. 5.
riam, multo quam alij accuratius, attigerunt. Siciliæ ſignum, tria crura, in Lib. 4.
hoc denario adiecta ſunt, quia Marcellvs de Syracuſaneis ex Sicilia Pro-
Cos. in monte Albano ſecundum & tertium triumphum egit anno
3. dxlii. ad quos maxime deſignandos triumphos, in tertio denario ſpicas
expreſſas eſſe opinor: quo Siculi ſymbolo ad indicandam Inſulæ fertili-
tatem (quam plebis Romanæ nutricem, & Reipublicæ cellam penariam
appellat Cato) in eorum Numiſmatibus vtuntur. Liuius de hoc Marcelli Lib. 26.
triumpho ita ſcribit. Pridie quam vrbem iniret, in monte Albano trium-
phauit: inde ouans multam præ ſe prædam in vrbem intulit. Cum ſimulacro
captarum Syracuſarum, catapultæ, baliſtæque, & alia omnia inſtrumenta
belli lata. Plutarchus etiam in Marcello, & Plinius de Viris Illuſtribus
1. eadem de hoc Marcelli triumpho tradunt. Denarius autem ſine dubio
a Cn. Lentvlo Marcellino cuſus eſt, qui cùm eſſet Claudia
Gente ex Familia Marcellorum ortus, in Corneliam poſteà adoptatus,
Cn. Cornelivs Lentvlvs Marcellinvs nominatus eſt. Cic. lib. 5. in Verr.
Marcellos antiquiſſimos Siciliæ patronos dicit. & Cneivm hunc Lib. 4. in
Marcellinvm Siciliæ patronum appellat. Præterea Syracuſis Verr.
Marcella Feſta celebrari tradit in honorem Marcellorum; atque de C.
2. Marcello, cuius eſt ſecundus & tertius denarius, ita fere ſcribit.
3. Scit Caius Marcellus, & Cn. Lentulus Marcellinus, quorum fide atque
præſidio Siculi maxime vtuntur, quod omnino Marcellorum nomini tota
illa Prouincia adiuncta ſit. Quem locum Aſconius explicans, Marcellos
& Marcellinos, Gentiles dicit, & quare Siciliæ patroni ſint, docet. De
L. Lentvlo, & C. Marcello Coſſ. anno dcciiii. qui in
ſecundo & tertio denario huius tabellæ deſcripti ſunt, facit mentionem
Hirtius, cum inquit aduerſarios Cæſaris gloriari, Lucium Lentulum & Lib. 8. de bell. Gall.
Caium Marcellum Conſules creatos, qui omnem honorem & dignitatem
Cæſaris expoliarent. His Conſulibus cum Kal. Ian. in Quinti Metelli Pij
Scipionis ſententiam S. C. factum eſſet, vti ante certam diem Cæſar
exercitum dimitteret: ſi non faceret, eum aduerſus Rempublicam facturum
videri; eique S. C. Marcus Antonius & Quintus Caſſius interceſſiſſent,
Senatus negotium dedit, vt curarent, ne quid Reſp. detrimenti caperet;
quo fortaſſe ſpectat Iouis propugnatoris imago, & ſigna Legionum in
altera denariorum parte notata; ſuſcepto ſcilicet ab optimatibus contra
5. Cæſarem Bello Ciuili. Quintus denarius poteſt referri ad Ap. Claudium

Publij Clodij Ciceronis inimici fratrem, Conſulem anno DCXCIX. poteſt ad huius quoque patrem Appium Claudium Conſulem anno DCLXXIV. pertinere. Quæſtorem autem Vrbanum fuiſſe, quicunque is ſit, ex denarij inſcriptione apparet. Sextum denarium referendum arbitror 6.
ad Titum Claudium Neronem, qui Legatus Cn. Pompeij Magni bello Piratico fuit anno DCLXXXV. cuius meminit Appianus in Mithridatico, & Plutarchus in Pompeio. Qui quidem Claudius creditur nepos fuiſſe Ap.
Lib. 33. Claudij, qui Prætor anno DLVIII. a Liuio deſcribitur. P. CLODIVS
M. F. qui in huius tabellæ denariis ſeptimo & octauo, & quibuſdam 7.
e ſequentibus deſcriptus eſt, a nullo veterum Scriptorum, quos ego 8.
legerim, nominatur; cum tamen C. Cæſaris III-Viri R. P. C. temporibus cudendæ monetæ eum præfuiſſe, ex ſecundi ſequentis tabellæ denarij inſcriptione appareat; Is ideo Iulij Cæſaris imaginem in ſeptimo denario ſignauit, quod vt opinor Quartum-Vir cudendæ monetæ ſub eo fuerit. Itaque nec Solis mihi nec Lunæ, Martiſque ſimulacra in eius denariis expreſſa, quo pertineant, in tanta huius viri ignoratione diuinare licet, *Niſi forſan ad ludos ſæculares pertineant qui ſub Auguſto quinctum exhibiti fuerunt, cum præſertim M. quidam* CLAVDIVS M. F. M. N. *Marcellus his ex parte præfuiſſe videatur, vt innuit tale in Capitolio monumentum.*

LVDI SAECVLARES QVINCT.
IMP. CAESARE DIVI F.
C. SENTIO C. F. C. N.
M. CLAVDIO M. F. M. N.
M. FVFIO M. F. *.*.
D. LAELIO D. F. B. N.
AVGVSTO, SATVRNINO, MARCELLO, STRIGONE, BALBO.

Nec enim abſurdum eſt III-Viros Monetarios hanc celebritatem & cerimoniam nummis commemoraſſe, in qua præſertim Cognatus ſuus cum Imperatore fuerit occupatus: ſicque publicum gaudium cum familiari laude miſcuiſſe.




P. Clodivs M. F. qui in huius tabellæ denariis primo & ſecundo
1. deſcriptus, eſt idem eſt cum ſuperiori. Dianam vero quod geminas
2. faces manibus geſtantem, vt eſt in primo denario, antiqui finxerint, teſtimonio nobis eſt Callimachus in eo hymno, quem ſcripſit in Dianam, & Sophoclis verſus in Trachiniis,

Βοᾶτε τὰν ὁμόσπορον Ἄρτεμιν
Ὀρτυγίαν, ἐλαφηβόλον, ἀμφίπυρον.

Quos verſus declarans Græcus Interpres, πυρ᾽ ὅσον, inquit, ἀμφοτέραις χέρσι
3. δᾳδουχεῖ. Tertius tabellæ denarius & quintus ſpectant, vt arbitror, ad C.
4. Clavdivm C. F. Pvlchrvm, qui cum M. Perpenna Cos. fuit anno dcxxiii. cuiuſque conſanguinea dicitur fuiſſe Claudia Virgo Veſtalis, quæ in altera tertij denarij parte æternum ignem ſeruans expreſſa eſt; quamque triumphantem patrem comitatam fuiſſe ſcribit Cicero in Oratione pro M. Lib. 5. cap. 6. Cœlio, Suetonius in Tiberio, & Valerius Max. cuius verba ſunt. « Magna ſunt hæc virilis pietatis opera, ſed neſcio an his omnibus valentius atque animoſius Claudiæ Veſtalis Virginis factum; quæ cum patrem ſuum triumphantem e curru violenta Tr. Plebis manu detrahi animaduertiſſet, mira celeritate vtriſque ſe interponendo ampliſſimam poteſtatem inimicitiis accenſam depulit. Igitur alterum triumphum pater in Capitolium, alterum filia in ædem Veſtæ duxit, &c. » Triumphauit autem Appius Claudiæ huius

pater, anno D C X. de Salaſſeis & Alpibus. *Poteſt etiam ad hanc Claudiam Veſtalem referri quæ anno* V. C. DXLVIII. *nauem in medio Tiberis profluente hærentem qua Mater Deum e Peſſinunte arceſſita vehebatur, iniecta zona mouit, cum libri Sibyllini caſtiſſimam mulierem adhibendam iuberent, quo facto illa inceſtus ſuſpicionem deleuit, in quam inciderat. Qui ſuperſunt duo nummi, neſcio quem indicent ex* PVLCHRORVM *familia, quem Auguſti temporibus vixiſſe conſtat,* 6.
ſiue II-Vir ille ad frumentum emundum, ſiue II-Vir naualis fuerit. 7.




CLOVIA Gens ſiue CLVVIA, & CLVIA, vtroque enim modo in antiquis monumentis, ſcripta reperitur (quemadmodum VOLTEIVS, pro VVLTEIVS, & VOLCANVS pro VVLCANVS, & FLVIVS pro FLVVIVS) incertum patricia-ne an plebeïa fuerit, quamuis frequens eius extet mentio, cum apud Scriptores, tum in veteribus inſcriptionibus, quarum exempla ſunt hæc.

L. CLVIVS L.L. AESCHINVS FECIT SIBI ET
VXORI ET LIBERIS ET LIBERTIS
Θ CLVIA L.L. FAVSTA VIX ANNOS XXXV.
Θ L. CLVIVS L.F. LVPERCVS VIX. ANNOS II.
V L. CLVIVS L. F. MAXIMVS
V L. CLVIVS L.L. MVSAEVS.
&
MINERVAE SACR. C. CLVVIVS. C. F. OVF. PATERNVS. V. S.

Liuius Cluuium Saxulam Prætorem nominat anno DLXXX. C. autem CLVVIVM hunc, quem ex aerei nummi inſcriptione vrbis Præfectum, a Cæſare tertium tunc Conſule & Dictatore cum aliis octo, quorum facit mentionem Dio inſtitutum intelligimus, Puteolanum fuiſſe, coniicere poſſumus ex epiſtola LVI. lib. XIII. ad Thermum. Pro-Pr. cum qua conuenit antiqua inſcriptio huiuſmodi, quæ Puteolis reperitur. Lib. 43.

C. CLVVIVS M. F.
IIII-VIR
IVRI DIC. II-VIR NOLAE
IIII-VIR QVINQVENNAL.
DE SVO FACIVND. COERAVIT
IDEMQVE RESTITVIT
IOVI O. M. SACR.

Ad eundem hunc Cluuium, cum in Gallia Cæſari operam nauaret, epiſtolam ſextam eiuſdem libri Cicero ſcripſit; & in oratione pro Q. Roſcio, equitem Romanum ornatiſſimum appellauit. Dio tradit Auguſtum duos ex Senato- Lib. 2.
ribus C. Cluuium, & C. Furnium in Conſularium numerum adſcripſiſſe, quod Conſules deſignati eum magiſtratum ab aliis præuenti non geſſiſſent, καὶ ἔς γε τοὺς ὑπατευκότας (inquit) δύο ἄνδρας ἐκ τῶν βουλευόντων, Κλούϊον τέ τινα, καὶ Φούρνιον γάϊος ἐγκατέλεξεν. Quod de C. hoc Cluuio ſcripſiſſe Dionem, credendum eſt, quem conſtat anno DCCXXIIII. ex Kal. Nouembr. cum C. Furnio Conſulem ſuffectum fuiſſe. M. autem CLVVIVM, qui in antiqua Ep. 2. lib. 9.
inſcriptione C. CLVVII pater deſcribitur, ſuſpicari poſſumus eum eſſe, ad Att.
cuius meminit Cicero.




CLOVLIAM Gentem ſiue CLOELIAM (eadem enim eſt) Patriciam fuiſſe, intelligere poſſumus ex eo, quod ſcribit Liuius de Canuleio Tribuno-Plebis, qui cum legem promulgaſſet, vt Conſul alter ex plebe crearetur, in quo Patriciorum dignitas minuebatur, patres ne ſe inuitis lex perferretur, in eam ſententiam iuiſſe; cuius autor fuiſſe C. Claudius dicitur, vt pro Conſulibus crearentur tres Tribuni militum ex patriciis, totidemque ex plebe, iique Conſulari poteſtate ornati, Remp. gererent: eorum autem annuo finito imperio, rurſus Senatus & Plebs conſuleretur, Conſules ne an Tribunos mallent, qui vero placuiſſent fierent, quibus rebus decretis, in magno plebeiorum & patriciorum petentium ſtudio, tres ex patriciis tantum creatos eſſe, A. Sempronium Atratinum, T. Cloelium Siculum, L. Atilium Longum, anno CCCLX. Scribit autem Dionyſius, Cloeliam Familiam Alba Lib. 3.
oriundam, ea diruta a Tullo Rege in Senatum allectam fuiſſe; eique vt magiſtratus gerere poſſet, ab eodem Rege conceſſum eſſe. Siculi cognomen vnde traxerit ignoratur: veriſimile tamen eſt; ob aliquod huius Familiæ
2. contra Siculos inſigne factum, quod fortaſſe in ſecundi denarij altera parte expreſſum eſt; ſiue quod primum e Sicilia oriunda, Albam poſtea commigrarit, id cognomen Cloelios ſortitos eſſe: quod ſpica eius inſulæ peculiari ſymbolo T. Cloelium, qui denarium cuſit indicare voluiſſe, credi poteſt; niſi forte frumentaria procuratio Cloelij alicuius, ſpicæ nota huiuſmodi deſignetur. Nec enim a T. Cloelio illo, qui Tribunus militum Conſulari poteſtate fuit anno CCCIX. quique vt ſcribit Liuius Trium-Vir Ardeam Lib. 4.

Coloniam deduxit, denarium hunc percuſſum eſſe credendum eſt: quo tempore argento ſignato nondum Populus Romanus vtebatur, ſed ab aliquo eius Familiæ, qui vel T. Cloelius etiam ipſe diceretur, vel in antiqui alicuius Cloelij memoriam, ad illuſtranda Familiæ monumenta, denarios huiuſmodi cudi curarit; nam præter eum, quem ſupra memorauimus, alterius Cloelij meminit Cicero, cum inquit, a Larte Tolumnio Rege Veientum quatuor Legatos Populi Romani Fidenis interemptos eſſe, Tullum Cluuium, L. Roſcium, Sp. Nautium, & C. Fulcinium. Quem quidem Tullum Cluuium, quoniam a Liuio & Plinio in emendatis codicibus Coelius appellatur, crediderim Titum Cloelium in Ciceronis libro nominandum eſſe. Quamuis non multum laboro, Titus ne apud Ciceronem ſcribatur, vt ſit Cloeli prænomen; an Tullus, vt cognomen; dummodo pro Cluuio, Clœlius omnino retineatur.

Lib. 9. Phil.

Lib. 4.
Lib. 3. c. 6.




COCCEIA Gens non ſatis conſtat Patricia ne fuerit an plebeia. Ex ea certe Nerua Imp. qui Domitiano ſucceſſit, ortus eſt. M COCCEIVM NERVAM, qui in hoc denario expreſſus eſt, opinor deſignari eum, qui Conſul fuit cum L. Gellio Poplicola anno DCCXVII. & ſi forte apud Appianum in prænomine erratum eſt; is fuit, qui inter M. Antonium & C. Cæſarem Octauianum poſtea cognominatum, pacis autor exſtitit. Appiani verba ſunt hæc. Λούκιος δ' ἦν Κοκκήιος ἑκατέρῳ, Antonio ſcilicet & Cæſari, φίλος, καὶ ὑπὸ Καίσαρος ἐς Φοινίκην τοῦ προτέρου θέρους πρὸς τὸν Ἀντώνιον ἀπέσταλτο μετὰ Καικίνας &c. Et paulo infra, Κοκκήιον μὲν ὡς κοινὸν ἀμφοῖν, ἐκ δὲ τῶν Ἀντωνίου Πολίωνα, καὶ Μαικήναν ἐκ τῶν Καίσαρος, ἔγνωσαν Καίσαρι καὶ Ἀντωνίῳ πρὸς ἀλλήλους ἀμνηστίαν εἶναι τῶν γεγονότων, καὶ φιλίαν ἐς τὸ μέλλον. Hoc eſt, erat L. Cocceius Cæſari & Antonio pariter amicus, & qui ſuperiore æſtate cum Cæcina in Phæniciam a Cæſare Legatus Antonium adierat. Paulo poſt, hæc exercitibus Cæſaris cum innotuiſſent, oratores ad vtrumque inter ſeſe decreuere, qui calumnias compeſcerent, quaſi non inter illos iudicium laturi eſſent, ſed inuicem conciliaturi ambos. Cocceium a ſe ipſis veluti communem vtriſque amicum eligentes: ex Antonij vero parte Pollionem nominarunt, ex Cæſaris Mœcenatem, qui Cæſari & Antonio præteritorum obliuionem primum nuntiarent; deinde in futurum beneuolentiam vtrique indicerent. COCCEII huius Horatius etiam meminit.

Lib. 5. bell. ciuil.

——————Interea Mœcenas aduenit, atque
Cocceius, Capitoque ſimul Fonteius ad vnguem
Factus homo, Antonij non vt magis alter amicus.

Pomponius Porphyrio in horum verſuum explicatione ita ſcribit: Diſſenſione orta inter Cæſarem Auguſtum Antoniumque, Cocceius Nerua auus eius, qui poſtea Romæ imperauit, petiit a Cæſare, vt aliquem cum quo de ſumma rerum tractaret, mitteret Terracenam: & primum Mœcenas, mox & Agrippa congreſſi ſunt: hique pepigerunt fidem confirmatiſſimam; & in vna caſtra conferre ſigna vtroſque exercitus iuſſerunt. Eadem Liuius de Cocceio refert, nulla Fonteij Capitonis facta mentione. Poſſumus autem ſuſpicari L. hunc Cocceium fratrem fuiſſe M. NERVAE, qui Antonij Legatus Pro-Quæſtore (vt ego interpretor) Prouinciali, denarium cuſit: cuius filius fuiſſe creditur M. Nerua Conſul ſuffectus cum C. Vibio Rufino anno DCCLXXIIII. de quo mentio exſtat in antiqua Inſcriptione ad radices Capitolij.

C. VIBIVS C. F. RVFINVS M. COCCEIVS M. F. NERVA COS. EX S. C.



COELIAE Gentis plebeiæ frequens eſt mentio apud Scriptores. Ex ea autem fuit CALDORVM Familia, cuius reperiuntur argentei denarij in hac tabella notati, quos C. COELIVM CALDVM Ciceronis in Cilicia Pro-Cos. Quæſtorem, qui L. F. C. N. in vltima epiſtola lib. II. deſcribitur, in patris, auique memoriam ſignaſſe opinor. C. COELIVS CALDVS, nouus homo, (vt inquit Q. Cicero de petitione conſulatus) Conſul fuit cum L. Domitio Ahenobarbo anno DCLIX. & in perduellionis iudicio tabellam dedit, cuius notæ, vt ex ſecundo denario apparet, erant L. D. hoc eſt Libero, & Damno: quemadmodum legis Caſſiæ tabellariæ A.C. Abſolutionis Condemnationiſq;

notas fuiſſe ſupra demonſtrauimus. Huius, vt puto, filius fuit L. Coelivs Caldvs qui in quinto denario, & primi altera parte notatus eſt. Quem 5.
Septem-Virum Epulonum fuiſſe conſtat cum ex ipſius denarij inſcriptione, 1.
tum ex Iouis ſigno in lectulo diſcumbentis, vt in quibuſdam denariis apparet quamquam in aliis figura ſtans animaduertitur quæ potius VII-Viri epulonum cerneri debet Ioui lectulum ſternentis, quod a Caldo Trium-Viro eius filio, ad patris indicandum ſacerdotium in eo impreſſum eſt. Quod autem in epulo Iouis, quod in Capitolio Septem-Viri Epulonum celebrabant,
Lib. 2. cap. 1. Iupiter in lectulum, Iuno & Minerua in ſellas ad cœnam inuitarentur, docet Valerius Max. Feminæ, inquit, cum viris cubantibus ſedentes cœnitabant, quæ conſuetudo ex hominum conuictu ad diuina penetrauit: Nam Iouis Epulo ipſe in lectulum, Iuno & Minerua in ſellas ad cœnam inuitabantur.
Lib. 3. de Oratore. De Septem-Viris Epulonum videndus Cicero. De C. Cœlio Caldo, qui Imp. Augur, Decem-Vir in denario his notis Imp. A. X. deſcriptus eſt, non memini me apud Scriptores quicquam legiſſe; poſſumus autem ſuſpicari fratrem fuiſſe L. Caldi VII-Viri Epulonum, patris Caldi III-Viri, quem Ciceronis Quæſtorem fuiſſe diximus.



Liuius l 2. Dion l.9. Cæſar lib.2. de bel.ciuil. Cic lib. 12. ep. 26. ad Carnufic. & Val.Max. lib.4. c.8.


Considiae Gentis plebeiæ meminerunt multi ex ea fuit Considivs Paetvs. Et is qui quintum tabellæ denarium cuſit; Considivs Nonianvs. Sed Pæti, nullus quodſciam, veterum Scriptorum facit mentionem cum tamen eum Prætorem, vel Aedilem fuiſſe, aliiſque honoribus functum eſſe, ex denariorum, quos percuſſit, notis coniicere poſſimus. Aſconius certe in Miloniana, Conſidium quemdam nominat, apud quem Quæſtorem M. Saufeius lege Plautia de vi accuſatus eſt ſubſcriptione ea, quod loca occupaſſet, & cum telo fuiſſet Anteſignanus operum Milonis in occidendo

Clodio.

1. Clodio. CONSIDIVS autem hic poteſt is eſſe qui Pætus in denariis cognominatur, quique cum parricidij quæſtor fuiſſet, ſellam curulem in altera denarij parte ſignauit, in qua ſcilicet ius dicere conſueuiſſent Quæſtores ij, qui rerum capitalium quærendarum cauſſa crearentur. Idem vt puto, deſignatur a Cicerone, his verbis. Qnintus igitur Ligarius cum eſſet adhuc « Orat. pro Q. Ligar.
nulla belli ſuſpicio Legatus in Africam cum Pro-Conſule C. Conſidio «
profectus eſt, qua in legatione & ciuibus & ſociis ita ſe probauit, vt decedens «
Conſidius Prouincia, ſatisfacere hominibus non poſſet, ſi quemquam alium «
Prouinciæ præfeciſſet, &c. CONSIDII NONIANI meminit idem Cicero. « Ep. 11. ad Tiron.
Vlteriorem, inquit, Galliam Domitio, citeriorem Conſidio Noniano (his «
enim obtigerunt) ſe traditurum: ex quibus verbis Prætorem fuiſſe Conſidium hunc intelligere poſſumus; qui quidem CONSIDIVS à Nonio quodam vt videtur adoptatus, ex adoptionis vſitata formula NONIANVS eſt appellatus.
5. Templum vero Veneris Erycinæ quod in altera parte NONIANI denarij impreſſum eſt, ſcribit Liuius, prope portam Collinam fuiſſe: de eo dixit Lib. 30 & 46.
Ouidius; Lib. 4. Faſt.

Templa frequentari Collinæ proxima portæ
Nunc decet a Siculo nomina colle tenent.


Strabo de hoc Templo ita ſcribit, Οἰ κεῖται δὲ καὶ ὁ Ἔρυξ λόφος ὑψηλὸς, ἱερὸν ἔχων Ἀφροδίτης τιμώμενον διαφερόντως, ἱεροδούλων γυναικῶν πλῆρες τὸ παλαιὸν, ἃς ἀνέθεσαν κατ᾽ εὐχὴν οἵ τ᾽ ἐκ τῆς Σικελίας καὶ ἔξωθεν πολλοί. νυνὶ δ᾽ ὥσπερ αὐτὴ ἡ κατοικία λειπανδρεῖ, καὶ τὸ ἱερόν. ἐκ τῶν ἱερῶν σωμάτων ἐκλέλοιπε τὸ πλῆθος, ἀφίδρυμα δ᾽ ἐστὶ καὶ ἐν Ῥώμῃ τῆς Θεοῦ ταύτης τὸ πρὸ τῆς πύλης τῆς Κολλίνης, ἱερὸν Ἀφροδίτης Ἐρυκίνης λεγόμενον, ἔχον καὶ νεὼν καὶ στοὰν περικειμένην ἀξιόλογον. Lib. 6. Hoc eſt, Eryx quoque collis «
excelſus habitatur, in quo Veneris Templum locatum eſt, quod ſingulari «
veneratione colitur, antiquitus mulierum frequentia refertum illius miniſterio «
dicatarum, quas & e Sicilia & externis ex regionibus multi locarant. Hac «
vero tempeſtate, ſicut & ipſa colonia viduata colonis eſt, ſic & Templum «
deſolatum & ſanctarum hominum copia defecit. Eſt & Romæ ante portam «
Collinam Deæ, huius ædificium, quod Veneris Erycinæ Templum dictitant, «
cui cum æde ſacra inſignis adiacet porticus, &c. «



COPONIA Gens Tibure orta, & in Ciuitatem Romanam adſcita, plebeia ne an patricia fuerit, incertum. T. Coponius, qui primus

ex ea Gente Ciuis Romanus factus eſt, Auus C. huius COPONII, in argenteo denario deſcripti, nominatur a Cicerone in oratione pro Cornelio
» Balbo, his verbis. Quomodo igitur L. Caſſinius Tiburs Pater huius Equitis
» Romani optimi atque ornatiſſimi viri, damnato Cœlio? quomodo autem
» ex eadem Ciuitate T. Coponius, Ciuis item ſumma virtute, & dignitate
» (nepotes T. & C. & Coponios noſtis) damnato C. Maſſone, Ciuis Romanus
» eſt factus? Quia igitur Coponij e Tibure venerant, Tiburque erat Herculi ſacrum; claua eius Dei cum leonina pelle in altera denarij parte impreſſa eſt: erat enim Tiburi Templum Herculis, cuius meminit Suetonius in Auguſto, Tiburque dicebatur Herculeum vt ait Strabo. Cæſar facit mentionem Coponij huius qui Dyrrachij claſſi Rhodiæ præfuit, ſed male Quintus, pro Caius in vulgatis libris prænominatur. Cicero de Diuinat. ſcribit Caium Coponium ad ſe veniſſe Dyrrachio, cum Prætorio Imperio claſſi Rhodiæ præeſſet, cum primis hominem prudentem atque doctum &c. Cneius
» Pompeius PRO-Cos. in ep. ad C. Marcellum & L. Lentulum Conſules. Ego
» ad P. Lupum, & C. Coponium Prætores miſi, vt ſe vobis coniungerent,
» & militum quod haberent ad vos deducerent. Fuit autem Prætor Caius Coponius anno DCCIII. opinorque de eo intellexiſſe Velleium cum
» inquit. Haud abſurde Coponius, vir Prætorius, grauiſſimus Pater, Silij
» Socer, cum recens transfuga multa ac nefanda Plancus abſenti Antonio
» in Senatu obiiceret; Multa, inquit, mehercule fecit Antonius pridie quam
» tu illum relinqueres. Eiuſdem opinor, meminit Appianus in Parthico, his verbis, Φθεγξάμενος δὲ Ῥωμαϊστὶ τοῖς φυλάσσουσιν, ὡς ὑπήκουσαν, ἐκέλευσε Κοπωνίῳ τῷ ἄρχοντι φράζειν, ὅτι μάχη γέγονε μεγάλη Κράσσῳ πρὸς Παρθους. Hoc eſt Egnatius circa mediam noctem ad Carras peruenit, cumque latine inclamaſſet cuſtodes mœnium, iuſſit eos dicere Coponio Præfecto præſidij, magno prœlio Craſſum cum Parthis dimicaſſe &c. Idem mentionem facit Coponij huius, proſcripti ab Antonio, & vxoris impudico amplexu ſeruati. Fuit C. Coponius, vt creditur, filius M. Coponij eius, quem Q. Scæuola apud Centum-Viros defendit, contradicente L. Craſſo pro M'. Curio anno DCLXI. vt eſt apud Ciceronem, & in oratione pro Cæcina: Q. Coponium quendam nominat Plinius, qui ambitus damnatus eſt, vini quod amphoram dediſſet dono ei, cuius ſuffragij latio erat &c.


Cap. 72. Strabo l. 5. Martialis lib. 1. Cæſar lib. 3. de bel. ciuil. Lib. 1. Lib. 8. ad Attic. Lib. 4. Lib. 35. c. 12.



CORDIAE Gentis (niſi pro CADIVS RVFVS apud Tacitum, vt aliquibus placet ſcribatur CORDIVS RVFVS) præter vnum Ciceronem, haud ſcio an alius veterum Scriptorum, faciat mentionem. Is enim L. CORDIVM nominat honeſtum hominem, qui teſtimonium in Verrem dixit. Quo vero pertineat amor Delphino inſidens, Mineruæ ægis, galea & noctua, & Meduſæ caput in medio clypei quæ in huius tabellæ denariis impreſſa ſunt, difficile eſt coniicere, in tanto de CORDIO ipſo, qui denarios percuſſit Hiſtoricorum ſilentio, niſi forte Cupidinis ſignum ad Iuliæ Familiæ originem, à Venere e mari orta ductam in Cæſaris gratiam impreſſum a Cordio fuit.


Lib. 12.

Lib. 4. in Verrem.



CORNELIA Gens in Patricias diuiſa fuit Familias, & plebeias.
Patriciæ BLASIONES, LENTVLI, SCIPIONES, CINNAE,
SISENNAE, SVLLAE, COSSI, & MERVLAE in argenteis denariis quos
ipſi vidimus reperiuntur, DOLABELLARVM, CETHEGORVM, *nulla mentio.*
Apud Goltzium in faſtis plures quidem Cethegi & Dolabellæ nummi, ſed eos non
vidimus. Ac primus quidem pertinet ad CN. CORNELIVM CN. F. L. N. 1.
BLASIONEM qui anno CDXCVI. Conſul fuit cum C. Atilio Regulo:
ſignatus vt videtur ab eo in Cn. Cornelij L. F. patris ſui memoriam, qui
anno CDLXXXIII. de Saſſinatibus ſiue Sarſinatibus Vmbriæ populis
triumphauit: cuius victoriæ monumentum in altera denarij parte expreſſum
eſt. BLASIO *autem etiam Heluiorum cognomen eſt, vt ad quam Gentem*
hæc pertineant, pro certo nequeat affirmari. Credibile victoriam in ſecundo nummo 2.
ſignatam eandem eſſe cum ſuperiori, quin ab eodem CN. BLASIONE vt Ianum 3.
in tertio nullum eſt dubium. Quartus aereus nummus ad P. Cornelium 4.
Blaſionem pertinet, vt opinor qui Prætor fuit anno DLIX. P. Scipione
Africano II. & T. Sempronio Longo Coſſ. In manuſcriptis autem Liuij
Lib. 34. Codicibus recte P. prænominatur cum in vulgatis Scripturis, male legatur
Caius. Quintus tabellæ denarius, & ſextus item victoriatus, & duo poſtremi 5.
aerei nummi poſſunt ad eum LENTVLVM pertinere qui Pro-Cos. ex 6.
Hiſpania citeriore ouans vrbem ingreſſus eſt, de quo ita Liuius ſcribit. 7.

8. CN. CORNELIVS LENTVLVS qui citeriorem Hiſpaniam obtinuerat, «
cum ex S. C. ouans vrbem eſſet ingreſſus, tulit præ ſe auri mille & quingenta «
pondo. Cum autem multi ex Lentulis CN. prænomine vſi ſint, ad quem «
pertineant haud facile dixerim: poſſunt tamen ad CN. LENTVLVM L. F.
referri Flaminem Martialem, qui Conſul fuit cum M. Valerio Meſſala
anno DCCL. de quo meminit Cicero de Aruſpicum Reſponſis.



1. 2. PRIMVS & ſecundus denarius ad quem pertineant, incertum eſt, cum multi ex Lentulorum Familia CN. prænomine vſi ſint: illud certe conſtat, quicumque is fuerit, Quæſtorem ac denariorum flandorum curatorem fuiſſe. Ita enim, vt ex huius denarij inſcriptione colligitur, ante inſtitutum III-Virorum monetalium officium, dicebantur ij, qui cudendæ monetæ præficiebantur. III-Viri verò auro, argento, ære, flando, feriundo, Ciceronis, vt opinor, tempore, vel paulo ante, creati ſunt: vnde coniicere poſſumus, duos hos denarios vel ad eum CN. LENTVLVM ſpectare, qui Conſul fuit cum L. Mummio anno DCVII. vel ad alium eo antiquiorem. De Genio Populi Romani, cuius imago in his denariis cum inſcriptione. G. P. R. expreſſa eſt ita ſcribit Dio. Καὶ βύας πρῶτον μὲν ἐς τὸν τῆς ὁμονοίας ναὸν, ἔπειτα δὲ καὶ ἐς τοὺς ἄλλους ὡς εἰπεῖν τοὺς ἁγιωτάτους ἐπέστατο, καὶ τέλος ἐπειδὴ πανταχόθεν ἀπηλαύνετο, ἐπί τε τοῦ ναοῦ τοῦ Γενίου τοῦ δήμου ἱδρύθη, καὶ οὔτε ἑάλω, οὔτε ἐξανέστη, πρὶν ὀψέ ποτε. Hoc eſt, Bubo in Templum primum Concordiæ, Lib. 50.


„ deinde in reliqua etiam fere omnia, quæ ſanctiſſima habebantur „ delubra, deuolauit: ac cum vndique erigeretur, in æde Genij Populi „ conſedit, ac neque captus eſt, & tarde omnino auolauit. Tertius, quartus, 3.
quintus & ſextus huius tabellæ denarij a P. CORNELIO LENTVLO 4.
SPINTHERE, ad quem Cicero primum librum ſcripſit Epiſtolarum, vel 5.
ab eius filio, qui Augur & ipſe fuit, ſignati ſunt: magis autem placet, vt ad 9.
Spintherem patrem referantur; propterea quod libertatis imaginem, & Caſſij Brutique nomina habent inſcripta Cæſaris interfectorum, inter quos numerari volebat LENTVLVS cum non fuiſſet; vt ſcribit Appianus. *Congruunt ergo in annum Vrbis* DCCVIII. De Lentuli patris Pontificatu meminit Cæſar, de filij vero Auguratu, Dio. Horum autem Sacerdotiorum alterum lituo, alterum vaſe, aliiſque inſignibus ſignificatur. P. hic LENTVLVS in Conſulatu, quem geſſit cum Q. Cæcilio Metello Nepote (quoquidem anno Cicero ab exilio reuocatus eſt) P. F. in Faſtis deſcribitur: ex denario autem, Lucij quoque Nepotem fuiſſe cognoſcimus: quod ab aliis omiſſum eſt, qui denarium fortaſſe integrum non habuerunt. Eiuſdem Quæſtura ex eodem denario colligitur: Sed cuius in Hiſpania Quæſtor fuerit, ignoratur cognomen autem SPINTHERIS ab hiſtrione, cui erat ſimillimus, accepiſſe Valerius Max. & Plinius ſcribunt. Septimus & octauus denarius 7.
ſpectant ad L. CORNELIVM P.F. Flaminem Martialem, qui vltimo anno 8.
libertatis Reip. & Vrbis conditæ DCCIIII. Conſul fuit cum C. Marcello: qui quidem Conſulatus ipſa denariorum inſcriptione indicatur. Ad eorum autem denariorum intelligentiam, quæ pertinere viſa ſunt, in Claudia Marcellorum Familia ſupra protulimus.

Lib. 2. bel. ciuil.
Lib. 1. de bel. ciuil.
Lib. 39.



1. PRimus huius tabellæ denarius , vt & ſuperioris poſtremi , pertinet ad L.
2. CORNELIVM P.F. *Flaminem Martialem, de quo ſupra. Secundus nummus*
3. COLONIAM VICTRICEM IVLIAM LEPTIM *commemorat , vrbem*
4. *maritimam in Africa celebrem quam Cæſar poſt triumphatum Iubam deduci voluit,*
5. *cui numeri ſuffeciſſe videtur* L. CORN. NEPOTEM , & L. CORNEL.
6. SVRAM, *qui Pro-II. Viris Coloniæ deducendæ eo miſſi ſunt.* Tertius, quartus,
7. (*quiquidem ab Traiano Imp. reſtitutus eſt*) quintus, ſextus, ſeptimus & octauus
8. pertinent ad CN. CORNELIVM LENTVLVM MARCELLINVM, qui

anno DCXCVII. Conſul fuit cum L.Marcio Philippo: quique cum ex Claudiæ Gentis Marcellorum Familia ortus eſſet , adoptatus in Corneliam , CN. LENTVLVS MARCELLINVS dictus eſt. Marcellini vero, vt ſcribit Pædianus, quia a M.Marcello originem ducunt qui Syracuſas capit, nec tamen deleuit, Siciliæ patroni fuerunt: ad quam rem indicandam, ſpica, tria curra, & meſſoria falx, Siciliæ ſymbola, in Claudiæ Gentis denariis ſignata reperiuntur. Hic ipſe Cn. Lentulus Marcellinus Siciliæ patronus appellatur a Cicerone. Effigies Lib. 4. in Verr. autem in tertio tabellæ denario impreſſa, Marcellini huius non eſt, ſed M. Marcelli eius qui Syracuſas cepit , a quo ducit originem Marcellinus. Quintus denarius poteſt credi ab eius filio ſignatus , ſed quo pertineat caput Herculis , & Dianæ Epheſiæ ſignum in altera ſexti denarij parte impreſſum mihi quidem obſcurum eſt.




L. Cornelivs Svlla, cuius effigies in huius tabellæ primo 1.
denario a Fauſto eius filio, vt opinor, ſignata eſt, primum Conſulatum
geſſit cum Q. Pompeio Rufo generi patre, anno DCLXV. Eiuſdem Prætura
Vrbana, cuius meminit Plutarchus, in ſecundo denario notata eſt, adiecta 2.
in eo curuli ſella, in qua Prætores ius dicere ſoliti erant. De Q. autem
Pompeij Conſulatu & Prætura, in Pompeia Familia ſuo loco dicetur. Tertius 3.
denarius ab eodem Fauſto in Sullæ patris memoriam cuſus videtur, qui &
ipſe paterno cognomine Felix dictus eſt. Sullam enim ſcribit Appianus
Lib. 1. & Plutarchus in eius vita, Felicem ſe appellaſſe: quod quidem cognomen
cum in aliis veteribus Inſcriptionibus vſurpauit; tum in ea baſi, quæ ex
lapide Tiburtino in Quirinali nuper reperta eſt.

L. Cornelio L. F.
Svllae Felici
Dictatori
Vicvs Laci Fvnd.

Cum enim quidam Fortuna non virtute vincere dicerent, omen accepit in poſterum fouitque opinionem vt Diuæ Fortis Fortunæ alumnus cenſeretur, τὰ πραττόμενα τῆς τύχης ἐξῆπτεν, prædicauitque ea quæ temerario impetu & ex tempore geſſiſſet facilius eueniſſe quam quæ conſulto feciſſet. In altera autem denarij parte Iugurtha, qui vinctis poſt tergum manibus à Boccho Rege Sullæ in ſolio ſedenti traditur,

traditur, ſignatus eſt; quam quidem traditionem in annullo Sullam expreſſiſſe
ſcribit Plutarchus in eius vita, & in Mario. Sulla, inquit Plinius, Dictator Lib.37. c.1.
traditione Iugurthæ, ſemper ſignauit. Et Valer. Max. L. autem Sulla, inquit, " L.8.c.15.
etſi ad neminem Scriptorum animum direxit, tamen Iugurtha a Boccho Rege "
ad Marium perducto; totam ſibi laudem cupide aſſeruit, vt annulo quo "
ſignatorio vtebatur, ſcalptam illam traditionem haberet. *Sic ex puerili cauſa* "
natum eſt teterrimum bellum, ἐκ μειρακιώδους ἀρχῆς, *inquit Plutarchus in Sulla: nam
cum Bocchus Rex Numidarum, vt idem ait in Mario, Sullæ gratulaturus Iugurtham
Bocchumque (eodem quo hic excuſi ſunt habitu) Sullamq; aureos in Capitolio ſtatuiſſet;
venit Marius incenſus ira, ſigna diſturbaturus, cui cum reſtitiſſet Sulla, incenſa ſeditio eſt.*
Quintus tabellæ denarius nihil habet notatu magnopere dignum, niſi quod
in eo Fauſti Sullæ filij imago expreſſa eſt cum lituo Auguratus inſigni, de
quo ſupra meminimus. *Placet aliis, & merito non Fauſti faciem hic exprimi,* Vt Seguino in epiſt. ad Gothifr.
*ſed Iugurthæ. Præter quam enim quod barbaricum ſapit, eſt diademate cincta, quod
cur Fauſtus Sullæ filius ſibi, tribuiſſet non video cum de Patre, qui tantum potuit,
quantum nullus Romanorum ante eum, nihil tale exiſtat.* Lunæ autem imaginem
in hoc & in ſuperiori denario impreſſam poterit quiſpiam ſuſpicari pertinere
ad ea, quæ ſcribit Plutarchus, dormienti ſcilicet Sullæ viſam eſſe Deam,
ſiue Luna illa fuerit, ſiue Minerua, ſeu Bellona, *quæ illi fulmen in manus
traderet quo percuti & deleri hoſtes ſibi videbatur.* Sextus denarius ſine dubio
6. Sullæ Dictatoris triumphum deſignat de Rege Mithridate, cuius meminerunt cum alij multi, tum Cicero in Oratione pro lege Manilia. Sullam
autem Imperatorem appellatum fuiſſe, & ipſa denarij inſcriptio docet, &
Plutarchus in eius vita ſcriptum reliquit. Septimus denarius ſpectat, vt
7. opinor ad Sullæ cognomen, quod eius Familia a Sibylla traxiſſe dicitur,
cuius libris intepretandis vnus maiorum X-Vir ſacris faciundis præfuerit:
ab eo enim munere Sibulla primum, poſtea Sulla dictus eſt: itaque in
altera denarij parte Sibylla ipſa impreſſa eſt, & is qui reſponſum ab
Apolline petens, palmæ ramum de more manibus geſtat. De duobus vero
Sullæ trophæis in eodem denario ſignatis facit mentionem Plutarchus in
eius vita, & in libro de Fortuna Romanorum. Octauum denarium a Fauſto
8. Sullæ filio ſignatum eſſe, ex nota quæ in ipſo denario impreſſa eſt, intelligere poſſumus. Pertinent autem tria trophæa ad Sullæ ſignum, cuius meminit
Plutarchus & Dio, his verbis, Ἐνεγέγλυπτο δ' ἐν αὐτῷ τρόπαια τρία, ὥσπερ καὶ ἐν Lib. 4?
τῷ τοῦ Σύλλου. Hoc eſt, tria vero in eo trophæa, quemadmodum in Sullæ
ſigno, ſculpta erant. Lituus & vas ad indicandum Fauſti Pontificatum
Auguratumque appoſita ſunt: ſed de Pontificatu nulla apud Hiſtoricos
mentio, quod ſciam, reperitur; de Auguratu vero, ita ſcribit Dio. Ὁ Σπινθὴρ ὁ Lib. 49.
ὕπατος ἐπιθυμήσας Κορνήλιον Σπινθῆρα τὸν υἱὸν ἐς τοὺς οἰωνιστὰς ἐσαγαγεῖν, ἔπειτ' ἐπειδὴ ὁ
Φαῦστος ὁ τοῦ Σύλλου παῖς ἐκ τοῦ Κορνηλίου φύλου ὢν προεσενέγραπτο, ἐξεποίησεν αὐτὸν ἐς
τὸ Μαλλίου Τορκουάτου γένος. Hoc eſt, Spinther autem Conſul Filium ſuum Corne- "
lium Spintherem inter Augures referre cupiens, cum in eum ordinem iam "
ante Fauſtum Sullæ filium, qui ex Gente itidem Cornelia erat, adſcriptum "
videret, filium in Manlij Torquati genus adoptandum dedit, &c. "

M



1. PRIMVS denarius ab eodem Fauſto in patris memoriam, vt videtur, ſignatus eſt; quatuor enim coronas, quæ in altera eius parte notatæ ſunt, indicare arbitror quatuor Sullæ triumphos ex Græcia, Aſia, Ponto, & Rege Mithridate. Secundus denarius ſpectat, vt opinor ad ea quæ de 2. Sulla ſcribit Appianus. Καὶ οὐδενὸς ἧττον, inquit, ὅτι τοὺς ἐξελθόντας ἐκ Ῥώμης ὑπὸ Κίννα, καταφυγόντας ἐς αὐτὸν ὑπεδέξατο ἀπορουμένους, καὶ ἐπεκούφιζε τὰς συμφορὰς αὐτῶν. *Hoc eſt, nec minus quod Roma propter Cinnæ metum fugatos & in omnium rerum penuria conſtitutos, excepit & ſubleuauit.* Maior autem nobilitatis pars, quæ Romæ imagine deſignatur, a Cinna turbulento illo tempore eiecta, fugataque, ad Sullam in tranſmarinis tunc partibus bellum gerentem, auxilium petens confugit: quæ ab ipſo perhumaniter excepta, ſuſcepto contra Cinnæ factionem bello, acriter defenſa eſt; propterea quod (inquit Cicero pro lege Manilia) ab eo bello Sullam in Italiam Reſp. Murenam Sulla reuocauit. Tertius denarius pertinet, 3. vt opinor, ad P. Sullam, Sullæ Fælicis Dictatoris fratris filium, qui cum L. Autronio Pæto Conſul Deſignatus anno DCLXXX. a L. Torquato ambitus accuſatus damnatuſque, defenſus eſt a Cicerone in ea oratione, quæ pro P. Sulla circumfertur. In omnibus autem (quos ego viderim huiç ſimiles)

Lib. 1. bell. ciuil.


denariis, SVLA vnico L. ſcriptum eſt, ea ſcribendi ratione, quam antiquiſſimam fuiſſe tradit Quintilianus, his verbis: Semi-vocales non geminare vſitatiſſimi moris diu fuit. Itaque LVCVLVS pro LVCVLLVS, & CINA pro CINNA, in veteribus monumentis notatum reperitur. Lib. 1.

5. Quintus denarius ſine dubio ſpectat ad L. CORNELIVM SCIPIONEM P. Africani fratrem, qui bellum in Aſia contra Antiochum geſſit, quo ſuperato Aſiaticus eſt appellatus: de eo ita ſcribit Cicero pro C. Rabirio. L. vero Scipionis qui bellum in Aſia geſſit, Antiochumque deuicit, non ſolum cum chlamyde, ſed etiam cum crepidis in Capitolio ſtatuam videtis. Quia vero in omnibus fere huic ſimilibus denariis nulla exſtat in ASIAG. cognomine interpunctionis nota, exiſtimat Antonius Auguſtinus pro Aſiatico Aſiagetem Græca voce primum in Græcia L. Scipionem dictum fuiſſe: eiuſque cognominis exſtare affirmat veſtigia in veteribus libris Liuij, & in carmine quodam Sidonij Apollinaris. *Triumphum autem cuius monumentum in hoc denario reperitur egit anno* V. C. DLXIV. *Scipiones inde dictos fuiſſe ait Macrobius, quod quidam horum vetulum patrem inſtar ſcipionis ſuſtentaret.*


6. Sextus tabellæ denarius cuſus fuit a CN. CORNELIO SISENNA filio, vt opinor, L. Siſennæ, qui Hiſtorias ſcripſit; atque is eſt fortaſſe Cneius Cornelius, cuius acta in inſula Creta, vbi etiam obiit, ſcribit Dio. *Caput Regis preciſum aut caput Solis radiatum & figura Iouis in curru, aut quid ſimile pedibus equorum ſubiectum, magnum aliquid indicant, cuius mihi apud rerum Romanarum Scriptores nullum veſtigium apparuit.* Lucius autem Siſenna eius Pater, Prætor inter Ciues & peregrinos Marco Lepido, Quinto Catulo Coſſ. vt ex aenea tabella quæ apud me eſt colligitur. Hiſtoriarum libros XXII. conſcripſit, cuius fragmenta ex Agellio, Nonio, Macrobio, & Priſciano collegit Antonius Auguſtinus. SISENA autem vnico N. in hoc denario ſcriptum eſt eadem ratione qua ſupra SVLA & LVCVLVS, notatum eſſe in veteribus monumentis admonuimus; quod ſcilicet (vt inquit Quinctilianus) ſemi-vocales non geminare vſitatiſſimi moris fuerit. Lib. 36.

7. *Septimus nummus ad Statiliam potius pertinet in qua de eo dicetur.* Huius


8. quoque tabellæ octauus nummus aereus CINA habet pro CINNA: quem ego nummum exiſtimo pertinere vel ad L. Cinnam, qui quater Conſul fuit, vel ad eius nepotem Cneium Cornelium L. F. L. N. Cinnam Magnum, qui Conſul fuit cum Lucio Valerio Meſſala Voluſo anno DCCLVII.



Cossvs Cornelivs Cn. F. Lentvlvs, qui in tribus primis 1.
huius tabellæ denariis deſcriptus eſt, Conſul fuit cum L. Calpurnio
Piſone anno DCCLII. Legatus Auguſti anno DCCLIX. triumphalia 2.
ornamenta accepit de Iſaureis ex Cilicia, a quibus deuictis Iſauricus poſtea
appellatus eſt. Equeſtris ſtatua quæ in altera parte tertij denarij impreſſa 3.
eſt, ad Auguſtum pertinet, cuius auſpiciis eam victoriam Coſſus adeptus
fuerat, *niſi forte ad* A. Cornelivm Cossvm *referatur qui Conſul fuit*
A. V. C. CCCXXV. *nam inter Ædes ſacras quas reſtituit Auguſtus, commemoratur Iouis Feretrij Templum in quo reſtituit opima ſpolia quæ Larti Tolumnio ad Fidenas interfecto Coſſus detraxerat ac Ioui intulerat.* De corona autem nauali
M. Agrippæ dicetur in Familia Vipſania. Quartus tabellæ denarius pertinet 4.
ad L. Cornelivm Balbvm, qui cum P. Canidio Craſſo Conſul
ſuffectus fuit anno DCCXIII. cuius in vita Attici meminit Cornelius
Nepos. Huius, vt opinor, pater fuit L. Cornelius Balbus Gaditanus; de
Lib. 5. quo facit mentionem Strabo, quique a Cn. Pompeio Ciuitatem Romanam
accepit: de qua poſtea periclitatus, a Cicerone defenſus eſt. Quia vero
Gadibus, vnde traxit originem, Templum erat Herculis, vt in eodem
Cap. 6. libro ſcribit Strabo, & Pomponius Mela, non ab re Balbus, eius Dei
clauam in altera denarij parte ſignauit. Quintus denarius ad Cornelivm 5.
Lentvlvm Sphintherem refertur de quo in ſecunda huiuſce 6.
Gentis tabella dictum eſt. *Sextus* Mervlarvm *Familiam reponit, ex qua fuit ille qualiſcumque ſit, nam ita detritum prænomen eſt, vt legi nequeat. Ædilem fuiſſe cum* L. Val. Flacco *Inſcriptio docet.*



CORNVFICIAE Gentis plebeiæ Scriptores multi meminerunt; ex ea fuit Q. CORNVFICIVS AVGVR IMP. Ciceronis in Conſulatu competitor, & in Auguratu Collega, vt ex ep. ad eum ſcriptis intelligimus. Epiſt. 17 18. 20. & 22. Quia vero Cornuficius Africæ Prouinciæ, ex qua fuit appellatus Imperator, præerat, Iouis Ammonis, qui in Africa colebatur imaginem in vno, Cereris autem in altero denario ob Prouinciæ fertilitatem, impreſſit. Q. CORNVFICII meminit Liuius in Epitoma, his verbis, Q. Cornuficium in Africa Caſſianarum Lib. 23. partium ducem T. Sextius vicit. Et Dio, Καὶ μετὰ τοῦτο τάς τε Συρακούσας, καὶ Lib. 48. ἄλλας τινὰς πόλεις ὑπηγάγετο, καὶ στρατιώτας τε ἀπ᾽ αὐτῶν πλείστους καὶ ΚΟΙΝΤΟΣ ΚΟΡΝΟΥΦΙΚΙΟΣ ἐκ τῆς Ἀφρικῆς ἔπεμψεν. Hoc eſt, Dein Syracuſas & alias nonnullas vrbes ſubegit, ac milites ab iis accepit mittente etiam ei milites ex Africa Q. CORNVFICIO. Apud Dionem paſſim, ΚΟΥΡΝΟΥΦΙΚΙΟΣ, Lib. 49. ſcriptum reperitur, non ΚΟΡΝΙΦΙΚΙΟΣ, vt in argenteis denariis. Facit Cornuficij huius Africæ Præfecti mentionem App. his verbis, Μετεκάλει δὲ Lib. 5. ἐκ Λιβύης ἀπὸ τελῶν τῶν ὑπὸ Σέξτιον δύο τέλη, καὶ τὸ τρίτον, ἐκέλευσε Κορνουφικίῳ παραδοθῆναι τῆς ἑτέρας ἄρχοντι Λιβύης, & paulo poſt, ἡ ἐς Λιβύην πρὸς Lib. 4. Κορνουφίκιον. ἀμφί τε Λιβύην Κορνουφικίου πρὸς Σέξτιον. Cornuficium Africæ Cic. epiſt. præfuiſſe colligere poſſumus. Huius frater potuit eſſe L. Cornuficius L. F. 21. 26 & 27. lib. 12. is, qui Conſul cum Sex. Pompeio Sex. Filio fuit anno DCCVIII. De ſimulacro Iunonis Soſpitæ, vel vt eſt in Numiſmate Antonini Pij SISPITAE, quod fingebatur, vt ſcribit Cicero, cum pelle caprina, haſta, ſcutulo, & calceolis repandis, cuiuſmodi in his denariis Augurem coronans expreſſum eſt, dicetur infra in denario PROCILII. Sed cur Augur ab ea coronetur nondum quidquam reperire potui, quod magnopere placeat, niſi forte Cornuficiam Gentem ex Lanuvio profectam fuiſſe, vbi Soſpita Iuno colebatur, atque id indicaſſe CORNVFICIVM velimus. *Illuſtre monumentum & iam ſuis temporibus rarum Traianus ne intercideret reſtituit, vt eſt in tertio denario.*




COSCONIA Gens, incertum eſt, Patricia-ne an plebeia fuerit. Eius quidem mentio exſtat in antiqua Inſcriptione, in qua M. Coſconius Epicurus nominatur.

Gruter. inſcript.

M. COSCONI EPICVRI FILII PIISSIMI
QVI VIX. AN. XIX. M. IIII. D. XXII.
CAETONICVS ET PIA PARENTES FECERVNT.

Lib. 30. Liuius meminit M. Coſconij Tribuni militum; qui credi poteſt pater fuiſſe L. COSCONII huius qui in argenteo denario M. F. deſcriptus eſt. Cicero in Oratione pro P. Sulla facit mentionem C. Coſconij Prætoris anno, quo ipſe Conſul fuit, & XX-Viri Cæſare & Bibulo Coſſ. ad diuidendum plebi agrum Campanum lege Iulia: quo mortuo in eius locum ipſe inuitatus eſt, vt ſcribit ad Atticum: huius exſtat mentio apud Appianum in Bruto. Etiam C. COSCONIVS quidam CALIDIANVS nominatur a Cicerone Euius meminit, vt opinor, Valerius Max. Liuius quoque in Epitoma, Coſconij eius qui Samnites vicit, facit mentionem.

Epiſt. 19. lib. 2. Lib. 1. bel. ciuil. Lib. 8. c. 1. Lib. 76.



COSSVTIA Gente, ex Equeſtri Familia orta fuit Coſſutia, qua Cæſar dimiſſa, Corneliam Cinnæ quartum Conſulis filiam duxit vxorem, vt ſcribit Suetonius in Cæſare, quæ quidem Coſſutia credi poteſt filia fuiſſe 1.
C. COSSVTII huius, qui Cæſare iam rerum potito, argenteos duos 5.

Cap. 1.

denarios ſignauit; Eius autem filius poteſt eſſe L. COSSVTIVS SABVLA, qui in tertio denario C.F. deſcriptus eſt: de quo nihil exſtat apud Scriptores, vnde Meduſæ & Bellerophontis equo inſidentis ſigna in eo denario impreſſa coniicere poſſimus quo pertineant: niſi forte ad Corinthum Coloniam a Cæſare deductam referenda ſint, de qua in PETRONIA Gente dicetur. M. COSSVTII cuiuſdam mentio eſt apud Ciceronem, & Q. COSSVTII in veteri quodam lapide in Sabinis, cuius ipſe exemplum huiuſmodi deſcripſimus. Lib. 3. in Verrem.

DIS MANIBVS
AEMILIAE S. P. F.
VIX. ANN. XV.
MENSES VI. D. II.
Q. COSSVTIVS Q. F.

Quartus nummus, vel ad Coſſutium pertinet, vel ad Coſconium. Veriſimilius eſt ad Coſſutium referendum eſſe, Coſconius enim potius COSC. *ſcripſiſſet quam* COS. *poteſt idem eſſe cum ſuperiori Coſſutio, vel eius pater. Veneris caput, & ſiren quid velint ignoro, niſi ad Iulium Cæſarem ſpectat Venus.*




CREPEREIAE Gentis facit mentionem Cicero, ex qua natum ſcribit M. CREPEREIVM Equeſtri Familia, qui fortaſſe pater fuit Q. CREPEREI huius, qui M. F. in argenteo denario deſcriptus eſt. Crepereij cuiuſdam Galli ſub Nerone meminit Tacitus, ex iis autem, quæ in his denariis impreſſa ſunt, coniicere poſſumus Q. CREPEREIVM, vel aliquem ex eius Familia rem mari proſpere aliquam geſſiſſe. *Exſtat etiam in pago Patauino, Stratæ hæc Inſcriptio,* Lib. 1. in Verrem. Lib. 14.

L. CREPERIVS
HERACA VI. VIR
V. F. SIBI ET
CREPERIAE PATERAE FILIAE
ET L. CREPERIO CELERI
NEPOTI DEFVNCTO.

Gruter. inſcript.

CREPVSIA.



CREPVSIAE Gentis nulla eſt mentio apud eos Scriptores, quos ego quidem legerim. P. autem CREPVSIVS in primo & ſecundo tabellæ 1.
denario deſcriptus III-Vir fuit monetæ cudendæ cum C. Mamilio Limetano, & 2.
L. Marcio Cenſorino, qui Conſul cum C. Caluiſio Sabino fuit anno DCCXIV. quibus temporibus C. quoque Mamilium in Romana Rep. floruiſſe ex Saluſtij hiſtoria intelligimus. Equeſtri vero ſtatua Crepuſiorum aliquis, vt videtur donatus fuerat, quem honorem, ea in denario impreſſa indicare voluit CREPVSIVS. Secundi autem denarij nota C R T. Si Crepuſius ſignificatur, 3.
perſpicuum erit Crepuſiam Gentem plebeiam fuiſſe, ex qua L. Crepuſius Aedilis plebis fuerit.

CVPIENNIA.



Epiſt. ad Attic. 10. lib. 16.


CVPIENNIA Gente ortus fuit C. Cupiennius ad quem extat Ciceronis, cuius fortaſſe filius fuit C. Cupiennius Libo Cumanus, Auguſti familiaritate clarus, corporis ſui diligentiſſimus, ſectator matronarum concubitus, vt ſcribit Pomponius Porphyrio in Horatij verſum illum,

Satyr. 2. lib. 1. Serm.

——— nolim laudarier, inquit,
Sic me, miratur cunni Cupiennius albi.

Ad horum alterutrum pertinet primus tabellæ nummus aëreus; L. vero CVPIENNIVS hic cuius eſt argenteus denarius à nullo veterum Scriptorum, quod ſciam nominatur.

CVRIATIAM




CVRIATIAM Gentem plebeiam, Alba oriundam, a Tullo Rege in Ciuitatem Romanam adſcitam fuiſſe, ſcribit Dionyſius. Eius Gentis Familia fuit Trigeminorum, cuius meminit idem Scriptor in eodem libro; ex qua ortus eſt C. CVRIATIVS is qui huius tabellæ nummos cuſit. C. Curiatij cuiuſdam, qui Tribunus plebis fuit, multi faciunt mentionem. In vetere quoque lapide, qui exſtat Nolæ, C. quidam CVRIATIVS Diui Auguſti Flamen notatus eſt.

Lib. 5. Liuius lib. 1. lib. 4. Epit. Val. Max. lib. 3 cap. 7. Ambroſius Leo lib. DE NOLA.

C. CVRIATIO L. F.
FLAMINI DIVI AVGVSTI
PRIMIPIL. TRIB. MILIT. II.
PRAEFECT. CASTROR.
PRAEF. FABR.
ARBITRATV HYACINTHI LIB.


Gruterus.



CVRTIA Gens, Patricia-ne an plebeia fuerit, ex veteribus Scriptoribus non ſatis conſtat. M. Curtij a quo lacus Curtius in Foro Romano dictus eſt, meminit Dionyſius Halicarnaſſeus & alij multi. Val. Max & Oroſius P. Curtij Salaſſi faciunt mentionem. Cicero in Epiſt. XVIII. ad Leptam lib. VI. De Q. autem CVRTIO, qui cum M. Iunio Silano, & Cn. Domitio III-Vir nummos æreum & argenteum cuſit, nihil potui apud Scriptores reperire.

Lib. 2. Liuius l. 7. l. 5. cap. 6. Oroſius lib. 3. cap. 5.

DIDIA.



DIDIA quoque Gens incertum, Patricia-ne an plebeia fuerit: plebeiam tamen fuiſſe ſuſpicari poſſumus ex eo, quod qui Didiam Legem ſumptuariam tulit, Tribunus plebis fortaſſe fuit. Eius (Lib. 5. Saturn.) meminit Macrobius. Opinor autem huius tabellæ denarios pertinere ad T. DIDIVM, qui Conſul fuit cum Q. Cæcilio Metello Nepote anno DCLV. quique bis triumphauit: primum Pro-Pr. de Scordiſceis ex Thracia; & iterum PRO-Cos. ex Hiſpania de Celtibereis; ex qua Imperatorem eum (Lib. 2. c. 27.) appellatum fuiſſe ſcribit Salluſtius in Hiſtoria apud Agellium: quod facit ad ſecundi denarij Inſcriptionem, in qua eſt T. DIDI. IMP. hic idem 2.
T. DIDIVS L. Cæſaris Conſulis Legatus anno DCLXIII. bello Marſico (Lib. 1. bell. ciuil.) fuit, vt tradit Appianus, cuius-quidem belli initio FONTEIVM quoque ſcribit, eum fortaſſe, qui in hoc denario deſcriptus eſt, Quinti Seruilij Cæpionis PRO Cos. Legatum cum aliis, qui in Aſculo erant, interfectum ab Italicis fuiſſe. Centurio vero, qui vite militem cædens in altera primi 1.
denarij parte impreſſus eſt, aliquam fortaſſe Didij animaduerſionem in exercitum male obtemperantem indicat: quod autem Centuriones vitibus (Lib. 57.) vterentur in caſtris, tradit Liuius in Epitoma. Quem militem (inquit) extra ordinem deprehendit, ſi Romanus eſſet vitibus, ſi extraneus, virgis cecidit. (Lib. 14. c. 1.) Plinius, Centurionum in manu vitis, & optimo præmio tardos ordines ad " lentas perducit aquilas, atque etiam in delictis pœnam ipſam honorat. (Lib. 1.) " Centurio, &c. Quia fracta vite (inquit Tacitus) in tergo militis alteram " clara voce, ac rurſus alteram poſcebat, *cedo alteram dictus eſt.* Plutarchus quoque in Galba tradit Sempronium Centurionem vite in obnoxios milites (Sat. 5.) animaduertiſſe. Iuuenalis,

Nodoſam poſt hæc frangebat vertice vitem,
Si lentus pigra muniret caſtra dolabra.

(Lib 6) Lucanus. Latiam longo gerit ordine vitem.

(Lib. 6.) Silius. ——————— Læuinus ab alto
Priuerno, vitis Latiæ perſignis honore

(Lib. 12.) & ——————— Latiæque ſuperbum
Vitis adornabat dextra latus &c.

De Villa publica, quæ a Didio fortaſſe reſtituta, vel ornata, in altera (Lib. 4.) parte ſecundi denarij ſignata eſt, Cicero ad Atticum ita ſcribit. Efficiemus 2.

rem glorioſiſſimam : nam in campo Martio ſepta Tribuniciis Comitiis « marmorea ſumus & tecta facturi, eaque cingemus excelſa porticu, vt mille « paſſuum conficiatur : ſimul adiungetur huic operi VILLA etiam PVBLICA. « Liuius Macedones deducti extra vrbem in VILLAM PVBLICAM, ibique « iis locus, & Lautia præbita. M. Varro de re ruſtica Comitiis Aediliciis, « L. I. c. 2. inquit, cum ſole caldo ego atque Axius Senator tribulis ſuffragium tuliſſemus, « de candidato cui ſtudebamus, vellemus eſſe præſto, cum domum rediret, « Axius mihi inquit dum dirimuntur ſuffragia, vis potius VILLAE PVBLICAE « vtamur vmbra, quam priuati candidati tabella, dum ita ædificemus nobis « &c. Liuius facit mentionem DIDII SAXAE M. Antonij Legati in Suria, Lib. 117. qui a Labieno Pompeianarum partium victus eſt, a quo fortaſſe in T. DIDII memoriam argenteus denarius cuſus fuit.



DOMITIA Gens plebeia, in duas fuit diuiſa Familias; quarum altera CALVINORVM; altera AHENOBARBORVM cognomine vſa fuit. Primus denarius ſpectat, vt opinor ad CN. DOMITIVM AHENOBARBVM eum, qui cum L. Licinio Craſſo Cenſor fuit anno DCLXI. *Cum quo graues geſſit inimicitias, vnde conuitium L. Craſſi non eſſe mirandum quod aheneam barbam haberet, cuius eſſet os ferreum, cor plumbeum.* Hic Conſul fuerat anno DCLVII. cum C. Caſſio Longino, cuius Conſulatus memoria exſtat Interamnæ in veteri Inſcriptione.

Suetonius in Nerone.

GENIO MVNICIPI ANNO POST
INTERAMNAM CONDITAM
DCCIIII. AD CN. DOMITIVM
AHENOBARBVM COS.

Cn. autem Domitij & L. Licinij Cenſorum nomina, non in hoc tantum denario ſignata ſunt, ſed in aliis quatuor item argenteis: in quorum vno præter 2.
Cenſorum nomina, in altera parte M. AVRELIVS SCAVRVS, in altero, 3.
C. MALLEOLVS M.F. in altero M. POMPONIVS M.F. in vltimo 4.
autem L. PORCIVS LICINVS notatus eſt. Sextus tabellæ denarius 5.
pertinet ad CN. DOMITIVM AHENOBARBVM, qui fuit Aedilis Curulis 6.
anno DCXCII. M. Pupio Piſone, M. Valerio Meſſala Conſulibus de quo Lib. 8. c. 36. meminit Plinius his verbis, M. Piſone, M. Meſſala Coſſ. Domitium " Ahenobarbum Aedilem Curulem vrſos Numidicos centum, & totidem " Aethiopas venatores in Circo dediſſe: miror adiectum Numidicos fuiſſe, " cum in Africa non gigni vrſos conſtet. Ex argenteo autem denario, in cuius altera parte vir cum leone pugnans impreſſus eſt, intelligere poſſumus Ahenobarbum non vrſos, ſed leones in circo dediſſe, annaleſque non ſatis emendatos Plinium habuiſſe, in quibus contra hiſtoriæ fidem leones pro vrſis ſcriptum fuiſſet. In eodem denario ad indicandum Aedilitatis honorem ſpica adiecta eſt, quod ſcilicet Aediles annonam curarent, Lib. 3. de Legibus. vt ſcribit Cicero. Septimus & octauus huius tabellæ denarius pertinent ad 7.
CN. DOMITIVM AHENOBARBVM, qui fuit Neronis Imperatoris 8.
In Nerone cap. 3. proauus, de quo meminit Suetonius. Quia vero claſſi præfuit, nauis prora, & trophæum in altera ſeptimi denarij parte impreſſum eſt. Mentionem Lib. 48. etiam facit, Dio his verbis. Ἐκ τε οὖν τούτων, καὶ ἐκ τοῦ λιμοῦ (ὃς ἐπὶ τῆς θαλάσσης τῆς μὲν κατὰ Σικελίαν, ὑπὸ τοῦ Σέξτου, τῆς δὲ ἐν τῷ Ἰονίῳ κόλπῳ ὑπὸ Γναίου Δομιτίου Ἀηνοβάρβου κατεχομένης, δεινῶς αὐτοὺς ἐπίεσεν) ἐν πολλῇ ἀμηχανίᾳ ὁ Καῖσαρ ἐγένετο. ὁ γὰρ Δομίτιος οὗ μὲν τῶν σφαγέων, &c. Hoc eſt. His rebus ac fame qua ſumma premebantur (mare Siculum Sex. Pompeio, Ionium CN. DOMITIO AHENOBARBO obtinente, qui & ipſe vnus ex Cæſaris interfectoribus ex Philippenſi pugna effugerat, parataque claſſe aliqua Ionium mare aliquandiu iam tenebat, ac multa rebus hoſtium damna inferebat) effectum eſt vt Cæſar in ſummis difficultatibus hæreret. *In hoc fortaſſe rerum ſtatu percuſſus eſt ſeptimus denarius.* Idem quia M. Antonio claſſe tradita eius partes ſecutus eſt, octauum denarium cum Antonij effigie Dio lib. 48. ſignauit. Καῖσαρ δὲ ἐπειδὴ τά τε ἐν τῇ Ἰταλίᾳ κατειργάσατο, καὶ ὁ κόλπος ὁ Ἰόνιος ἠλευθέρωτο (ὁ γὰρ Δομίτιος ἀπογνοὺς μηκέτι καθ' ἑαυτὸν ἰσχύσειν, ἀπέπλευσε πρὸς τὸν Ἀντώνιον) παρεσκευάζετο μὲν ὡς ἐπὶ τὸν Σέξτον ὁρμήσων. Hoc eſt, Cæſar Italico negotio confecto, cum mare Ionium etiam liberatum iam eſſet, (nam Domitius ſuis viribus ad id tenendum diffidens, ad Antonium auectus erat) Appian. lib. 5. bel. ciuil. ad bellum Sexto Pompeio inferendum ſe parauit. Ἀσίνιος δὲ Ἀηνοβάρβῳ συνετίθετο φιλίαν ἔσεσθαι πρὸς Ἀντώνιον, καὶ ἐπέστελλον ἄμφω τάδε Ἀντωνίῳ; & paulo poſt: Ὁ δὲ Ἀντώνιος ἐς τὴν αὑτοῦ ναῦν τὸν Ἀηνόβαρβον ἀναδεξάμενος. Et paulo ſupra, Ἦν γὰρ Ἀηνόβαρβος τῶν κατεγνωσμένων τε ἐκ δίκης ἐπὶ Γαΐῳ Καίσαρι φόνου. Et Suetonius

in Nerone. Cn. Domitius inter conſcios Cæſarianæ necis, (quamquam inſons) damnatus lege Pedia, cum ad Caſſium Brutumque ſe propinqua ſibi cognatione coniunctos contuliſſet, poſt vtriuſque interitum claſſem olim commiſſam retinuit, auxit etiam, nec niſi partibus vbique profligatis, M. Antonio ſponte & ingentis meriti loco tradidit, ſoluſque omnium ex iis, qui pari lege damnati erant, reſtitutus in patriam, ampliſſimos honores percucurrit: ac ſubinde redintegrata diſſentione ciuili, eidem Antonio legatus, delatam ſibi ſummam imperij, ab iis, quos Cleopatræ pudebat, neque ſuſcipere, neque recuſare fidenter propter ſubitam valetudinem auſus, tranſiit ad Auguſtum, & in diebus paucis obiit, nonnulla & ipſe infamia aſperſus: nam Antonius eum deſiderio amicæ Seruiliæ Naïdis transfugiſſe iactauit. Cap. 3.




1. IN primo denario expreſſus fortaſſe eſt Cn. Domitii Ahenobarbi triumphus, quem egit Pro-Cos. ex Hiſpania anno DCCXXI. quamuis ad eum quoque Cn. Domitivm referri poſſit, qui anno DCXXXV.
2. Pro-Cos. de Galleis Aruerneis triumphauit. *Quod ad ſecundum ſpectat*, Cn. Domitivs, *inquit Velleius*, *qui ſolus Antonianarum partium nunquam Reginam niſi nomine ſalutauit, maximo & præcipiti periculo tranſmiſit ad Cæſarem Diui Filium, quem ſpectat auerſus nummus. Nam Siciliæ typus, tria crura in Triquetri formam diſpoſita. Capricornus autem quomodo ad Auguſtum pertineat, obiter dicendum exiſtimo. In ſeceſſu Apolloniæ, Theogenis Mathematici pergulam comite Agrippa aſcenderat. Cum Agrippæ, qui prior conſulebat, magna & pene incredibilia dicerentur, reticere ipſe genituram ſuam, ne inueniretur, qua tamen poſt multas adhortationes vix & cunctanter edita, exſiluit Theogenes, adorauitque eum. Tantam mox fiduciam fati Auguſtus habuit, vt thema ſuum vulgauerit,* Lib. 2. Suet. in Auguſt.

nummumque argenteum nota ſideris Capricorni, quo natus eſt, percuſſerit. PANHORMITANORVM *fortaſſe typum altera facies exhibet. Fortaſſis etiam Auguſti vel vtriuſque, nec enim deſunt exempla, quibus probatur Imperatorum facies Diis impoſitas, vel Deorum facies ad Imperatorum lineamenta paululum detortas fuiſſe. Certe Auguſtus cum Dominus appellaretur a plaudentibus Romanis, indecoram acclamationem, vt ait Suetonius, manu compreſſit. Panormus autem vrbs in ea Siciliæ ora quæ Italiam reſpicit.* Ad eundem CN. DOMITIVM
pertinere poteſt tertius aereus tabellæ nummus, in quo M. SILANVS, & 3.
Q. CVRTIVS, qui cum Domitio III-Viri fortaſſe fuerunt monetæ
cudendæ, notati ſunt. Non eſt dubium quin quartus tabellæ denarius ad 4.
CN. DOMITIVM CALVINVM pertineat, qui Conſul iterum anno DCCXIII. cum C. Aſinio Pollione fuit, & Imperator ex Hiſpania, de qua Pro-Cos. triumphauit, anno DCCVII. eſt appellatus. Inſtrumenta autem Pontificalia, vel Domitij ipſius Pontificatum deſignant, vel ad Domitiam legem reſpiciunt, quam tulit de ſacerdotio Cn. Domitius
Lib. 6. c. 1. Ahenobarbus Neronis Atauus: de qua Suetonius ita ſcribit, Atauus eius
„ Cn. Domitius in Tribunatu Pontificibus offenſior, quod alium, quam ſe
„ in patris ſui locum cooptaſſent, ius Sacerdotum ſubrogandorum a collegiis
Lib. 37. „ ad populum tranſtulit. Meminerunt huius legis cum alij, tum Dio, qui
Cæſarem hac lege Pontificatum Maximum adeptum fuiſſe ſcribit. De Oſca
Lib. 2. Hiſpaniæ vrbe videndus Plinius, Ptolemæus, Plutarchus in Sertorio, &
Lib. 4.
Lib. 1. Cæſar de bello ciuili.



NEQVE DVRMIAE Gentis, neque DVRMII huius, qui ſub Auguſto Trium-Vir monetæ cudendæ huius tabellæ denarios ſignauit, mentio aliqua apud Scriptores, quos ego viderim reperitur. Quæ vero in
altera parte primi denarij impreſſa ſunt, ad Auguſtum ſine dubio pertinent, 1.
& fortaſſe ad eius ludos ſæculares, qui apri & cerui ſignis propter Dianam in 2.
cuius honorem celebrabantur, notati ſunt. De honoris ſimulacro in Lollij 3.
Palikani denario dicetur. *Pagurus autem brachiis expanſis euolantem papilionem acetabulis apprehendens indicat conſideratam cunctationem temeræ feſtinationi præſtare.*

ac ſæpe impetum ratione carentem id tantum præſtare, vt in aduerſariorum laqueos maturius incidamus. Quam quidem ſententiam Auguſto cordi fuiſſe indicat Suetonius. Nihil autem, inquit, minus in perfecto Duce quam feſtinationem temeritatemque conuenire arbitrabatur, crebro itaque illa iactabat, Σπεῦδε βραδέως· ἀσφαλὴς γὰρ ἐσ' ἀμείνων ἢ θρασὺς στρατηλάτης. *Feſtina lente, cautus enim temerario milite melior, & ſat celeriter fieri quidquid fiat ſatis bene.*



EGNATIAE Gentis plebeiæ, & C. EGNATII MAXSVMI, ad quem ſpectant huius tabellæ nummi, facit mentionem Cicero. Ep. ad At. *Is fortaſſe Filius aut Nepos fuit* CN. *illius* EGNATII *qui res Romanas ſcripſit, ex quo Sex. Aurelius Victor nonnulla ad originem Gentis Romanæ inueſtigandam ſe teſtatur excerpſiſſe.* Epiſt. ad Memmium, meminit L. Egnatij Rufi, Lib. 3.
4. cuius fortaſſe filius fuit M. EGNATIVS is, qui eſt in quarto aereo nummo Ep. 43. 45. & 47.
notatus, quem in Auguſtum conſpiraſſe ſcribit Suetonius, & Velleius, his c. 19. lib. 2.
verbis: Neque multo poſt RVFVS EGNATIVS per omnia gladiatori quam Senatori propior, collecto in Aedilitate fauore populi quem extinguendis priuata Familia incendiis in dies auxerat, in tantum quidem vt ei Præturam continuaret, mox etiam Conſulatum petere auſus, cum eſſet omnium flagitiorum, ſcelerumque conſcientia merſus, nec melior illi res familiaris, quam mens foret, aggregatis ſimillimis ſibi, interimere Cæſarem ſtatuit, vt quo ſaluo, ſaluus eſſe non poterat; eo ſublato moreretur. Quippe ita ſe mores habent, vt publica quiſque ruina malit occidere, quam ſua proteri, & idem paſſurus minus conſpici. Neque hic prioribus in occultando felicior fuit: abditusque carceri, cum conſciis facinoris mortem digniſſimam vita ſua obiit. Dio quoque huius in Auguſtum conſpi- Lib. 53.
rationis meminit, his verbis, Ὥστε καὶ τότε ΜΑΡΚΟΣ ὁ ΕΓΝΑΤΙΟΣ

ΡΟΥΦΟΣ ἀγορανομήσας, καὶ ἄλλα τε πολλὰ καλῶς πράξας, καὶ ταῖς οἰκίαις ταῖς ἐν τῷ ἔτει ἐκείνῳ ἐμπρησθείσαις ἐπικουρίαν μετὰ τῶν ἑαυτοῦ δούλων, καὶ μεθ᾽ ἑτέρων τινῶν μισθωτῶν ποιησάμενος, καὶ διὰ τοῦτο τά τε ἀναλώματα τὰ τῇ ἀρχῇ αὐτοῦ προσήκοντα παρὰ τοῦ δήμου λαβὼν, καὶ στρατηγὸς παρανόμως ἀποδειχθεὶς ἐπήρθη τε ὑπ᾽ αὐτῶν τούτων, καὶ τὸν Αὔγουστον ὑπερεφρόνησεν, ὥστε καὶ προγράψαι ὅτι ἄθραυστον καὶ ὁλόκληρον τῷ διαδόχῳ τὴν πόλιν παρέδωκεν. ἐπ᾽ οὖν τούτῳ εἴτε ἄλλοι πάντες οἱ πρῶτοι, καὶ αὐτὸς ὅτι μάλιστα ὁ Αὔγουστος ὀργὴν ἔσχε. καὶ ἐκεῖνον μὲν ἐκδιδάξειν οὐκ ἐς μακρὰν ἔμελλε, „ τὸ μὴ ὑπὲρ τοὺς πολλοὺς φρονεῖν. Hoc eſt vt tum temporis etiam M. Egnativs „ Rvfvs, qui cum Aedilis plebis fuiſſet, eoque in magiſtratu præter alia „ multa recte facta; ædificiis quoque ſuo anno incendio correptis, ſeruorum „ ſuorum, aliorumque mercede conductorum ſuccurriſſet, ideoque ei a „ populo ſumptus in eum magiſtratum dati, & ipſe præter leges Prætor „ creatus eſſet, animo propter hæc ſublato, Auguſtum deſpexerit, ac publice „ ſcriptum propoſuerit ſeſe illæſam integramque ſucceſſori vrbem tradidiſſe, „ id iram cum aliorum in Rep. principum, tam ipſius Auguſti mouit, qui „ paulo poſt Egnatium, ne quid præter cæteros ſibi ſumeret edocturus erat. Egnatiæ Gentis mentio eſt in antiqua hac Inſcriptione,


Honoris
Imp. Caesaris Divi F.
Avgvsti Pont. Maxim.
Patr. Patriae et Mvnicip.
Magistri Avgvstales
C. Egnativs C. L. Mvsicvs
C. Ivlivs Caesar Lisochrysvs
Q. Florinivs Q. L. Princeps
Viam Avgvstam ab via
Annia extra portam ad
Cereris silice sternendam
Cvrarvnt pecvnia sva
Pro lvdis.

Elegans eſt iocus apud Catullum de Egnatio quodam,

Egnativs *quod candidos habet dentes*
Renidet vſquequaque &c.


Quibus nihil eſt feſtiuius: ſed quod hunc Celtiberum dicit fuiſſe vrinæ potatorem vix credam ad hanc Familiam pertinere.

Egnatvleia



EGNATVLEIAE Gentis, vnus quod ſciam, Cicero facit mentionem, Lib. 3. Philipp.
qui nominat L. Egnatuleium quemdam, filium fortaſſe C. EGNATVLEI
huius, qui Victoriatum nummum percuſſit. Ciceronis verba ſunt hæc. “
Huiuſce legionis virtutem imitata quarta legio, duce L. Egnatuleio “
Quæſtore, ciue optimo & fortiſſimo, C. Cæſaris auctoritatem, atque “
exercitum perſecuta eſt. & alibi: Nec vero de Lucio Egnatuleio, fortiſſimo Lib. 5.
& conſtantiſſimo Ciue, amiciſſimoque Reipub. ſilendum arbitror: ſed “
tribuendum teſtimonium virtutis egregiæ, quod is legionem quartam ad “
Cæſarem adduxerit, quæ præſidio Conſulibus, Senatui, Populoque Romano, “
Reique publicæ eſſet: ob eam cauſſam placere, vti L. Egnatuleio triennio “
ante legitimum tempus magiſtratus petere, capere, gerere liceat. In quo “
P. C. non tantum commodum tribuitur Lucio Egnatuleio, quantus honos. In tali enim re ſatis eſt nominari. Exſtat Cordubæ, quæ fuit Lucani & Senecæ patria in Hiſpania, fragmentum quodam Inſcriptionis antiquæ, in qua fit mentio C. EGNATVLEIAE C. F. quæ fortaſſe EGNATVLEI huius filia fuit. In Inſcriptione quoque baſis ſtatuæ Veſpaſiano Imperatore dedicatæ, nominatur C. quidam EGNATVLEIVS LAVRVS. *Alicuius fortaſſis eiuſdem Familiæ meminit Inſcriptio Tarracone in turri ad portam vrbis ſeruata.*

C. EGNATVLEIO
C. F. GAL.
SENECAE TARR.
AED. Q. II-VIR FLAM.
DIVI TITI EQVO PVB.
DONATO PRAEF.
COH. IV. THRAC. EQ.
FLAMINI P. H. C.
EGNATVLEIA SIGE
PATRONO INDVL
GENTISSIMO.




EPPIA Gens in Tribu Cornelia cenſebatur & Fabia, vt ex antiquis Inſcriptionibus intelligere poſſumus, quarum exempla ſubiecimus.

Q. EPPIVS Q. F. COR. RVF.
Θ. CLODIA C. L. SILENIO
Θ. EPPIA L. F. PAVLLA VOTE
NNIANA MATER
EPPIA M. F. POLLA.

P. EPPIVS P. F. FAB. RVFVS
MIL. COHOR. II. PRAET.
T. F. I. ARBITR. &c.

Lib. 5. de bel. Afric. EPPII huius, Scipionis in Africa Legati, mentionem facit Hirtius, his verbis. Deinde eodem die Adrumeto egreſſus, Liuineio Regulo, ibi
" cum legione relicto, Vticam ire contendit, cui in itinere fit obuius L.
" Cæſar, ſubitoque ſe ad genua proiecit, vitamque ſibi, nec amplius quicquam
" deprecatur: cui Cæſar facile, & pro ſua natura, & inſtituto conceſſit. Item
" Cæcinæ, C. Ateio, P. Atrio, L. Cellæ patri & filio, M. Eppio, M. Aquinio,
" Catonis filio, Damaſippique liberis ex ſua conſuetudine tribuit. Fuit
Ep. 13. ad Att. " autem M. Eppius ex Ordine Equeſtri, vt colligitur ex Cicerone. Nemo
" enim, inquit, noſtri ordinis in his locis eſt, præter M. Eppium, quem ego
" Minturnis eſſe volui, vigilantem hominem & induſtrium. Quia vero M.
" Eppius Scipionis in Africa Legatus fuit vt ex ipſa denarij Inſcriptione apparet, in altera eius parte Africæ imaginem ſignauit, qualem ab antiquis fictam fuiſſe ſupra in Scipionis denario ex Claudiani auctoritate demonſtrauimus: in altera autem Herculis ſimulacrum, quod in Africa
Lib. 2. colebatur, vt ſcribit Herodotus.



FABIA *Gens Patricia fuit, maiorum, vt credibile eſt, Gentium; adeo vetus vt a Fabio Herculis Filio ortam fuiſſe ſcribat Plutarchus in quam rem Iuuenalis,* *Natus in Herculeo* FABIVS *lare;* In Fabio.

Quamquam non ita vetuſtam ſcribit Ouidius in Faſtis, Lib. 2.


Riſit & indoluit Fabios potuiſſe Remumque
Vincere, Quinctilios non potuiſſe ſuos.

Hæc, cum quinque familias comprehendat; LABEONES, MAXIMOS, *&* PICTORES *habet in denariis quos nobis videre licuit ſuperſtites.* Q. FABIVS
1. LABEO qui in primo tabellæ denario notatus eſt, Prætor anno DLXIV. ex Creta Inſula naualem egit: ad quam rem indicandam, nauis proram in altera denarij parte impreſſit. Idem anno DLXX. Conſul fuit cum M. Claudio Marcello, & anno DLXXIV. Pontifex factus eſt: *De hoc ita ſcribit Cicero, Nec noſter quidem probandus, ſi verum eſt Q. Fabium Labeonem, ſeu quem alium (nihil enim habeo præter auditum) arbitrum Nolanis & Neapolit. de finibus agrum a Senatu datum cum ad locum veniſſet, cum vtriſque ſeparatim locutum ne cupide quid agerent nec appeterent, atque vt regredi quam progredi mallent, id cum vtrique feciſſent aliquantum agri in medio relictum eſt, itaque illorum fines ſicut ipſi dixerant terminauit in medio relictum quod erat P. R. adiudicauit:* Lib. 1. de Officiis.
2. *decipere hoc quidem non iudicare eſt.* Secundus denarius cum omnes fere


Maximi, Quinti prænomine vſi ſint, ad quem pertineat, diuinare non licet: poteſt autem referri ad Q. FABIVM MAXIMVM, qui anno DCCVIII. Conſul fuit cum C. Trebonio, tribus menſibus vno aut altero minus die, nam III. Kal. Ian. mortuus eſt, eique Caninius Rebilus in vnum diem ſuffectus fuit: *In quem Cicero apud Macrobium: Vigilantem habemus Conſulem qui toto ſuo Conſulatu ſomnum non vidit. Tertius denarius cum ſecundo auerſus quidem idem eſt, nempe rectum cornucopiæ tranſuerſumque fulmen & coronam ſpicarum cum culmo continet, quæ vbertatis ſimul & vaſtitatis, ſeu potius belli paciſque notas inter ſe coniunctas referunt, ſed hoc quo pertineat in hoc viro nondum aſſequutus ſum: vt neque quid ſibi Clio velit quam aduerſus denarius cum cythara repræſentat.* Quintus denarius ſpectat, vt opinor, ad N. FABIVM PICTOREM Flaminem Quirinalem, qui Caio Sulpicio Galo, Marco Claudio Marcello Coſſ. anno DLXXXVII. mortuus eſt, vt ſcribit Liuius, apud quem male, pro Numerius prænominatur Marcus, errore (vt puto) Librariorum; quibuſdam tamen magis placet referri denarium ad Q. FABIVM PICTOREM, qui Prætor fuit cum Q. Fabio Labeone anno DLXIIII. quo, vt ſcribit Liuius, Flamen Quirinalis inauguratus fuit, ab eoque in N. FABII PICTORIS memoriam, qui Conſul de Saſſinatibus triumphauerat anno CDLXXXII. denarium huiuſmodi cuſum eſſe. Sed ab vtrouis horum fuerit denarius ſignatus, Quirini certe imago Flaminis apicem manu tenentis, ad id ſacerdotium indicandum in eo impreſſa eſt. Sextus denarius ſine dubio ad C. FABIVM C. F. PICTOREM pertinet, qui cum Q. Ogulnio Gallo Conſul fuit anno CDLXXXIIII. quo quidem anno argento ſignato populus Romanus ex S. C. primum vti cœpit: ob quam rem in altera denarij parte Inſcriptionem adiectam eſſe opinor EX A. PV. hoc eſt. Ex Argento Pvblico. Cum autem C. hic Fabius ex Pictorum Familia fuerit, non video quam ob cauſam buteonem auem in denario ſignarit, a qua Buteonum alia Fabiæ Gentis Familia cognomen duxit, vt ſcribit Plinius. *Cum tamen nota ea in hoc nummo perpetua non ſit, ſed ciconia etiam occurrat, cuius figura multum a buteone diſtat, qui accipitris quædam ſpecies eſt, non video cur hoc nobis vllam dubitationem afferre poſſit.* Septimo denario aliquem Fabiorum, Cai quoque & ipſum prænomine vſum, qui cum L. ROSCIO, vel L. RVBRIO, & Q. MARCIO Trium-Vir fuerit monetæ cudendæ, deſignari opinor. Octauum denarium ad LVCIVM FABIVM HISPANIENSEM, qui Sertorianarum partium fuit, contra quem a Sulla C. Annius miſſus eſt, vt ſcribit Plutarchus, ſpectare arbitror. Eius autem mentio eſt in fragmento Hiſtoriarum Salluſtij apud Seruium quod ſubiecimus. » Igitur diſcubuere, Sertorius inferior in medio, ſuper eum Lucius » Fabius Hiſpanienſis Senator ex proſcriptis, in ſummo Antonius, & infra » Scriba Sertorij Verſius; alter Scriba Mæcenas in imo, medius inter Tarqui- » tium & Dominum Perpennam. Plutarchus autem ſcribit conuiuium illud, quo Sertorius interemptus eſt, a Perpenna datum eſſe, ideoque Dominum appellari a Salluſtio, vt in hunc locum notat Nonius

Margin notes: 3. 5. Lib. 45. Lib. 38. 6. lib. 10. cap. 8. 7. 8. Æneid. l. 1.

Marcellus. Lucium autem Fabium hunc, Quæſtorem fuiſſe intelligimus ex nota illa Q. qua Magiſtratus hic notari ſolet: nam alius argenteus denarius huic ſimilis ita plane inſcriptus eſt. L. FABI. L. F. HISP. Q. eratque fortaſſe tunc Quæſtor Fabius hic, quando ad Sertorium in Hiſpaniam tranſiuit.



FABRINIAE Gentis, niſi ſit erratum ab eo, qui nummos aereos cuſit, nulla apud veteres Scriptores mentio reperitur. Neque vero M. hic FABRINIVS qui fuerit, quo-ve tempore vixerit, inuenire adhuc potui.



FANNIAM Gentem plebeiam fuiſſe, vel hoc vno Ciceronis teſtimonio conſtat. In præſentia, inquit, mihi velim ſcribas quibus Cenſoribus « C. FANNIVS M. F. Tribunus Pl. fuerit, videor mihi audiſſe P. Africano L. « Memmio Cenſoribus. Opinor autem M. FANNIVM hunc C. F. cuius eſt primus tabellæ denarius, apud quem Prætorem Cicero Sex. Roſcium parricidij reum anno DCLXXIII. L. Sulla, Q. Metello Coſſ. defendit, filium fuiſſe C. Fannij Oratoris, de quo meminit Cicero, his verbis. Itaque Scæuola cum in « eam ipſam mentionem incidiſſet, expoſuit ſermonem Lælij de Amicitia, « habitum ab illo ſecum, & cum altero genero C. Fannio M. F. & in Bruto. « Horum ætatibus adiuncti duo C. Fannij, C. & M. filij fuerunt: quorum C. « Filius, qui Conſul cum Domitio fuit &c. Eodem tractu temporum (inquit « Velleius) nituerunt oratores Scipio Æmilianus, Læliuſque Ser. Galba, duo Gracchi, C. Fannius, Carbo Papirius, &c. Poteſt etiam denarius ad oratoris patrem M. FANNIVM pertinere, qui filius fuit C. Fannij Tribuni plebis

Lib. 16. ad Att. ep. 13.

In Catone.

Lib. 2.


1.

anno D L X V I. Ad eundem fortaſſe ſecundus quoque denarius ſpectat 2. quem Aedilem plebis fuiſſe ex ipſa denarij Inſcriptione apparet. Scribit autem Dio, Cæſare v. & M. Antonio Coſſ. anno D C C I X. Aediles Cereales duo ex patriciis, quatuor ex plebeis primum creari cœptos fuiſſe: eius verba ſunt, Καὶ ἐς μὲν τὸ πρῶτον ἔτος πρότερον καὶ ἀγορανόμοι τότε πρῶτον δύο μὲν ἐξ εὐπατριδῶν, τέσσαρες δ' ἐκ τοῦ πλήθους, ὧν οἱ δύο τὴν ἀπὸ τῆς Δήμητρος ἐπίκλησιν φέρουσιν. Hoc eſt, Eodem anno primum ſex Aediles ſunt conſtituti, duo patricij, quatuor plebeij quorum duo Cereris Aediles vocarentur. Aedilium autem plebis Cerealium mentio eſt in antiquis his Inſcriptionibus, quorum vnius deſideratur principium.


IIII. VIRO VIARVM CVRANDARVM
TRIB. MIL. LEG. V. MACED. Q. VRBANO
AEDILI PLEB. CERIAL. PRAET. LEGATO
PROVINCIAR. SICILIAE ET ASIAE
PRO-COS. PROV. GALLIA E NARBONENS.
LEGATO LEGIONIS VIII. AVGVSTAE
L. VETTIVS FELIX ET P. NOVELLIVS ATTICVS,
AMICI
&
L. NERATIO C. F. VOL. PROCVLO
X. VIR STILITIBVS IVDICAN.
TRIB. MILITVM LEGION.
VII. GEMIN. FELIC. ET LEG.
VIIII. AVG. QVAEST. AEDIL.
PLEB. CEREAL. PRAET. LEG.
LEG. XVI. FLAVIAE FIDEI
ITEM MISSO AB IMP.
ANTONINO AVG. PIO AD DEDVCEN
DAS VEXILLATIONES IN SYRIAM.
OB BELLVM PARTHICVM PRAEF. AERARI
MILITARIS
COS.
MVNICIPES SAEPINAT.

Niſi vero obſcura illa nota, qua Fannij Collega L. C R T. ſignificatur, quaque Piſonis nomen indicari nullo modo poteſt, obſtaret: crederem denarium cum Inſcriptione P I S O C AE P I O, cuius ſupra in Calpurnia Familia meminimus, ad eundem hunc Fannium pertinere, propterea quod Cæpio Fanniæ quoque Familiæ cognomen ſit apud Velleium lib. II. & Suetonium, & in eodem denario Duo-Viri cum ſpicis adiecto titulo ad frumentum emundum ex S. C. Saturnique imago, vt in hoc Cereris, ſignata ſit: quos vt rei frumentariæ præſides Deos antiqui coluerunt.

In Auguſto cap. 19.



FARSVLEIAE Gentis mentio exſtat in antiqua Inſcriptione Sutrina, in qua PONTIFICES A COLONIA CONIVNC. IVLIA SVTRIN. IN ORD. RELAT... inter eos autem numeratur M. VALERIVS FEROX in locum L. FARSVLEI RVFI. Q. etiam FARSVLEIVS quidam VESPER nominatur in baſi ſtatuæ Veſpaſiani Imperatoris in qua inciſa ſunt nomina eorum, qui ad eam dedicandam Imperatori ſtatuam, pecuniam contulerunt, Lucio Annio Baſſo, C. Cæcina Pæto Coſſ. L. vero FARSVLEI huius MENSORIS, qui argenteum denarium ſignauit, nullam in veteribus nec Scriptorum nec lapidum monumentis reperire mentionem potui.



FLAMINIAE Gentis plebeiæ meminerunt Cicero, Liuius & alij. L. autem FLAMINIVS CHILO ſiue CILO (vtroque enim modo cum in eius denariis, tum in veteribus quoque lapidibus, & Scriptorum codicibus, notatum hoc cognomen reperitur: vt Semproniæ Gentis cognomen, in aliis cum aſpiratione GRACCHVS, in aliis vero ſine aſpirationis nota GRACCVS) IIII-Vir auro, argento, ære flando, feriundo ſub Cæſare Dictatore, ac eiuſdem fortaſſe primus Flamen fuit. Nam C. Iulio Cæſari Dictatori inter alios honores, quos ei viuenti Senatus tribuit, Flaminem quoque, qui Diui Iulij Flamen dictus eſt, decretum fuiſſe,

In Brut. & ad Att. ep. 14. & 15. l. 14. & ep. 1. & 2. l. 15. lib. 21


In Cæſare tradit Suetonius, his verbis: Non enim honores modo nimios recepit, vt continuum Conſulatum, perpetuum Dictaturam, Præfecturamque morum, inſuper prænomen Imperatoris, cognomen Patris patriæ, ſtatuam inter Reges, ſuggeſtum in Orcheſtra: ſed & ampliora humano faſtigio decerni ſibi paſſus eſt, ſedem auream in Curia, & pro Tribunali thenſam, & ferculum Circenſi pompa, Templa, Aras, Simulacra iuxta Deos, puluinar, Flaminem, Lupercos, appellationem menſis e ſuo nomine. Huius Flaminis mentio quoque exſtat in antiquis Inſcriptionibus, quarum exempla ſunt huiuſmodi.

M. POBLICIO
M. F. SAB. SEXTIO
CALPVRNIANO
EQVO PVBLICO
FLAM. DIVI IVLI
PRAEF. AEDIL. POT.
QVAESTOR AERAR.
SACERD. IVVEN. BRIX.
COLLEGIA
CENTON. ET FABROR.

L. ACVTIO
L. F.
FAB. PRIMO
EQVO PVB.
II-VIR I. D.
AEDIL. Q. ALIM.
FLAM. DIVI IVLI.

Poſſunt enim notæ illæ, PR. FL. interpretari PREIMVS FLAVIT, ſenſu non ex hiſtoria, quæ non exſtat, ſed ex coniectura ducto; quod ſcilicet C. Flaminius fuerit vnus ex primis Quatuor-Viris a Cæſare (vt opinor aucto Trium-Virorum monetalium numero) creatis, auro argento ære publico flando, feriundo: cuius collegæ in nummis aureis & argenteis reperiuntur, L. AEMILIVS BVCA, L. MVSSIDIVS LONGVS, & Cap. 41. C. VIBIVS VARVS. Nam Cæſarem auxiſſe numerum minorum " magiſtratuum tradit Suetonius, Senatum, inquit, ſuppleuit, Patricios " allegit, Prætorum, Aedilium, Quæſtorum, minorum etiam magiſtratuum " numerum ampliauit, &c. Atque ita recte & vere locutus erit Dio, qui dixit Lib. 54. Trium-Viros Monetales ab Auguſto inſtitutos fuiſſe, hoc eſt, eorum numerum a Cæſare auctum, & Quatuor-Viros pro Trium-Viris factos, ad Trium-Viros rurſus, vt primum erant, reductos. CILO autem hic, cuius Lib. 6. ad Torquat. Ep. 20. meminit, vt opinor, Cicero, & Appianus ad Cæſarem ſine dubio reſpexit, cum Veneris caput, à qua Iulia Gens originem duxit, in altera ſecundi Lib. 4. bel. ciuil. denarij parte ſignauit. *Cilones quorum capita oblonga & compreſſa ſunt, vt ait Cariſius, ſeu quorum frons eſt eminentior, vt ait Feſtus, Chilones autem quorum labia protuberant iidem ac Labeones,* ἀπὸ τῶν χειλῶν.

FLAVIAE



FLAVIAE Gentis plebeiæ frequens eſt mentio apud veteres Scriptores.
1. Litteras autem FLAVS, quæ in primo tabellæ denario notatæ ſunt, exiſtimarim cognomen potius FLAVVS (quod FLAVOS, & FLAVS, antiqui vocali non geminata ſcribebant) indicari, quam FLAVIVS nomen. Eſt autem FLAVOS, ſiue FLAVS Largiæ Familiæ cognomen apud Dionyſium. Decimiæ apud Liuium, Cæſeciæ in Epitoma, Sulpiciæ apud Suetonium, Octauiæ in antiqua, quæ Tiburi exſtat, Inſcriptione, & Lucretiæ, in aereo Auguſti Numiſmate. C. FLAVIVS HEMIS, qui in Lib. 5. Lib. 27. Lib. 116. In Claudio cap. 41.
2. ſecundo denario Bruti Legatus pro-Prætore deſcribitur, is eſt, cuius meminit Cornelius Nepos. Itaque appellatus eſt, inquit, a C. Flauio Bruti familiari Atticus, vt eius rei Princeps eſſe vellet, &c. Appianus inter Cæſaris inimicos, Caium hunc Flauium cum Canutio & Clodio Bithynico numerat. Καὶ ἦσαν, inquit, *οἱ μάλιστα* Καίσαρος ἐχθροὶ Κανούτιος τε καὶ Γ. Φλάβιος, καὶ Κλώδιος ὁ Βιθυνικός. Plutarchus etiam meminit huius Flauij, quem Præfectum Fabrum Bruti fuiſſe ſcribit: *cuius memoriæ ingemuiſſe, ait.* Μάλιστα τῇ Φλαβίου μνήμῃ καὶ τῇ Λαβεῶνος ἐπεστέναζεν· ὧν δ' αὐτοῦ πρεσβευτὴς ὁ Λαβεών, ὁ δὲ Φλάβιος ὕπαρχος τῶν τεχνιτῶν. Cætera quæ in hoc denario ſignata ſunt, ad M. Brutum pertinent, & in Gente Iunia explicabuntur. In vita Pomp. Att. Lib. 5. In Bruto.



FONTEIAM Gentem plebeiam fuiſſe, vel ex hoc intelligere poſſumus, quod P. Clodius Ciceronis inimicus, qui vt Tribunus Plebis fieret, ad plebem traduci volebat, P. Fonteio plebeio homini adoptandum ſe dedit: de qua adoptione Suetonius in Tiberio ita ſcribit; P. Clodius ad
" expellendum vrbe Ciceronem plebeio homini atque etiam natu minori in
Lib. 1. ep. 17. & 18. " adoptionem ſe dedit. Meminit etiam Cicero pro Domo ſua, & ad Atticum. Primus autem huius tabellæ denarius pertinet, vt opinor, ad C. FONTEIVM 1.
CAPITONEM Conſulem ſuffectum ex Kal. Iul. anno DCCXX. Secundus 2.
& tertius ad huius, vt videtur, patrem M'. FONTEIVM, qui fortaſſe is 3.
eſt, pro quo repetundarum reo Cicero dixit, accuſante M. Plætorio, quod eo per triennium Galliæ Prætore, aere alieno prouincia fuiſſet. Nec enim dubito quin apud Ciceronem M'. pro M. ſit ſcribendum, quod hoc prænomine hæc Familia frequentius vſa ſit, & paſſim in eo librarij errarint, omiſſa virgula, quæ M litteræ obducenda erit. Fonteij autem denariorum alter habet triremem cum Pollucis & Caſtoris imaginibus, quod hæ ſtellæ
L.1.Carm. ſint nauigantibus propitiæ. Horatius,


> Sic te Diua potens Cypri,
> Sic fratres Helenæ lucida ſidera,
> Ventorumque regat pater.

Alter habet Cupidinem hirco inſidentem, quod id animal maxime ſit procliue ad libidinem. Ve-Iouis vero ſimulacrum, & pilei Caſtorum ſtellis

ſuperimpoſitis quo pertineant, mihi quidem obſcurum eſt. P. FONTEIVS
4. P. F. CAPITO qui quartum denarium & quintum Trium-Vir ſignauit,
5. poteſt nepos eſſe Publij Fonteij Capitonis, qui Prætor, vt ſcribit Liuius, Lib. 45.
Sardiniam Prouinciam obtinuit anno DLXXXIV. Q. Marcio Philippo II. & Cn. Seruilio Cæpione Coſſ. atque idem fortaſſe Antonianæ claſſi pro-Pr. præfuit, vt coniicere poſſumus ex mutila aerei nummi Inſcriptione. De eo dixit Horatius, Lib. 1. Sat.


——— Capitoque ſimul FONTEIVS ad vnguem
Factus homo, &c.

7. *Ad hunc etiam fortaſſe refertur ſeptimus nummus vel ad Caium Fonteium Capitonem qui Conſul fuit cum Germanico Cæſare anno* V. C. DCCLXIV. *vteruis horum Duum-Vir fuit iterum cum Cytheronte, quem Siculum fuiſſe coniectura eſt, an ad frumentum emundum an Nauales fuerint dubitatio eſt. Inclinat tamen aliquo momento ad Naualem II-Viratum quod in altera facie* VICTORIA AVG. *ſignata ſit, hæc autem commode referri poteſt ad victoriam quam ad Mylas de Sex. Pompeio reportauit Auguſtus* M'. autem FONTEIVS, qui in quarto denario notatur, fortaſſe is eſt, qui Legatus Q. Seruilij Cæpionis bello Appianus lib. 1. bel. ciuil.
4. Italico, cum aliis qui in Aſculo erant, interfectus ab Italicis fuit. Eius vero factum aliquod, cum Tribunus militum eſſet, quod nobis ignotum eſt, altera denarij parte ſignificatur: nec enim ad A. Fonteium id ſpectare arbitror Tribunum militum, quem, quod ſeditioſus, & malus ciuis eſſet, à Cæſare ab exercitu dimiſſum ſcribit Hirtius. Lib. 5. de bel. Afric.




FVFIA Gens fuit plebeia, ex qua Q. FVFIVS KALENVS originem duxit, cuius denarius in hac tabella expreſſus eſt, quique Trib. Plebis fuit anno DCXCI. D. Iunio Silano, L. Licinio, Murena Coſſ. atque idem Conſul cum P. Vatinio anno DCCVI. In bello autem ciuili Pompeiano Cæſaris partes ſecutus eſt Dio. Κοΐντου δὲ δὴ Φουφίου Καλήνου μετὰ τῶν ἐπιστρατευόντων σφίσιν ἐξαναχωρήσαντος Πετρήιος, καὶ Φαῦστος. Cum Antonio ſtuderet Cicero grauiter Lib. 42. Philipp. 8.
in eum inuectus eſt: ipſius vero in Ciceronem maledica reſponſio recitatur a Dione. De templo Virtutis & Honoris quod erat fortaſſe Kaleni curationis, Lib. 46.
ita ſcribit Liuius. Marcellum aliæ obiectæ animo religiones tenebant, in " Lib. 27.
quibus quod cum bello Gallico ad Claſtidium ædem Honori & Virtuti "
vouiſſet, dedicatio eius à Pontificibus impediebatur, quod negabant vnam "

lib. 1. c. 1. " cellam duobus Deis recte dedicari. Videndus de hac dedicatione Valerius
lib. 7. Max. & Vitruuius: De Cordo dicetur in gente Mucia. *Hunc autem ex Vitruuij loco conſtat induſtriam ſuam in hoc ædificium contuliſſe. Duæ perſonæ ſtantes, contracta ſcriptura, altera Italiam ſignificat, quæ in gratiam pacis quam à Romanis acceperat (hanc enim indicat Caduceus) videtur illi ſuas omnes opes offerre, quas vltro amice accipi a Romanis innuit δεξίωσις illa, ſeu dextrarum coniunctio. Altera enim perſona Roma eſt, altero pede orbem calcans, quem vel iam ſuperauerat, vel ſuperaturam ſe ſperabat.*




FVLVIAE Gentis plebeiæ in multas diuiſæ familias, vnius tantum CN. FVLVII in argenteis denariis memoria reperitur; quis tamen hic Fuluius fuerit, quibus-ve temporibus vixerit, quod multi ex ea gente hoc prænomine vſi ſint, nihil certi afferre poſſum: quia tamen cum Q. Metello, & M. Calidio M. Tullij coætaneo Trium-Vir Monetæ cudendæ fuit, Ciceronis ipſius temporibus floruiſſe poſſumus ſuſpicari. FOVLVIVS autem veteres ſcribebant, vt FOVRIVS & multa huiuſmodi Græcam Scripturam imitati.



FVNDANIAM quoque Gentem plebeiam fuiſſe; cum ex aliis, tum ex
Lib. 35. Liuio conſtat, qui M. FVNDANI facit mentionem Ædilis plebeij. In tabula etiam ænea apud Alexandrum Farneſium Cardinalem, in qua Plebiſcitum pro THERMESIBVS MAIORIBVS PISIDIS perſcriptum eſt, mentio fit C. FVNDANI C.F. TR. PL. DES. QVI PLEBEM PREIMVS SCIVIT: qui quidem Fundanius (quando a temporum ratione non abhorret, quibus id plebiſcitum perſcriptum eſt, poſt annum ſcilicet DLXXXI. quo


L. Gellius Cn. Cornelius Conſules fuerunt) poteſt is eſſe, quem M. Varro Lib. 1. de
ſocerum ſuum appellat: ad eum autem referendos eſſe opinor huius tabellæ re ruſtica.
denarios, licet alij C. FVNDANIO tribuerint ei, qui cum C. Sulpicio Conſul
fuit anno DX. *Ex ea Familia fuit ille de quo Horatius,* Sat.1. l.01.

Arguta meretrice potes Dauoque Chremeta
Eludente ſenem comis garrire libellos.
Vnus viuorum FVNDANI, *&c.*



FVRIA Gens in patricias diuiſa fuit Familias & plebeias, vt ex Liuio Lib. 9.
colligimus, qui L. Furij Tr. Pl. facit mentionem, & alibi M. Furij Luſci Lib. 39.
Aedilis, a quo Ludi Plebeij diem vnum inſtaurati ſunt. Nobis, patriciæ PVRPVREONVM, CRASSIPEDVM, & PHILORVM denarios videre licuit: nam FVRIVS BROCCHVS incertum eſt, patricius-ne an plebeius
1. fuerit. Primus tabellæ denarius ad L. FVRIVM PVRPVREONEM pertinet, qui Prætor de Galleis triumphauit anno DLIV. & DLVII. P. autem FOVRIVS CRASSIPES qui ſecundum denarium cuſit, & cognominis originem, pedis nota; & Aedilitatis honorem, ſella Curuli, indicare voluit. Primus vero ex ea Familia qui CRASSIPES dictus fuit, Græcum nomen οἰδίπους imitatus eſt; quem ἀπὸ τοῦ οἰδήματος τῶν ποδῶν, hoc eſt a tumore pedum Oedipodem appellatum fuiſſe Græci Poetæ tradunt. De P. FOVRIO CRASSIPEDE Aedile Curule nulla exſtat mentio apud Scriptores. Liuius M. Furium Craſſipedem Trium-Virum deducendæ anno DLIX. & Prætorem anno LXVI. nominat. Fortaſſe autem denarius a Furio Craſſipede Ciceronis
3. genero ſignatus eſt. Tertius denarius cuſus a M. FVRIO L. F. PHILO fuit, in memoriam ſine dubio eius triumphi, quem egit P. Furius Philus anno DXXX. de Galleis Liguribus. M. autem Furium, qui L. F. in eo denario deſcribitur, opinor filium fuiſſe L. Furij Phili Prætoris anno DLXXXII.
cuius meminit Liuius. De CN. FVRIO BROCCHO nullam apud veteres Lib. 42. Lib.6. c.1.
Scriptores, præterquam apud Valerium Max. reperio mentionem; is enim meminit Cn. Furij, qui a Broccho in adulterio deprehenſus, Familiæ ſtuprandus obiectus eſt: opinor autem corruptum eſſe Valerij locum, atque


„ ex huius denarij autoritate ita corrigendum eſſe. Cn. Furium Brocchum,
„ quem (deeſt nomen) deprehenderat, Familiæ ſtuprandum obiecit &c.
Lib. 3 In Verrem. „ T. Brocchum quemdam nominat Cicero pro Q. Ligario : & Anneum Brocchum, alibi. Aedilem Curulem fuiſſe Brocchum hunc, qui Trium-Vir denarium cuſit, ex ſella Curuli intelligere poſſumus, & imagine Cereris, quæ rei frumentariæ præeſſe putabatur, quam curabant Aediles. *Brocchus autem is dicebatur apud veteres, cuius dentes eminebant; vt ex Varrone, Plinio, Nonio ſatis intelligitur.*




Lib. 5. GALLIA Gens inter Patricias-ne, an plebeias numeranda ſit, ex iis Scriptoribus, qui circumferuntur, elici non poteſt. Cicero in Verrem, C. Gallium Senatorem hominem Equeſtrem appellat; patrem fortaſſe C. GALLII huius qui nummos aereos ſignauit, cum eſſet Trium-Vir ſub Auguſto. Idem Cicero meminit Q. Gallij Prætoris anno DCLXXXVIII. L. Cotta & L. Torquato Coſſ. quemque anno ſequenti de ambitu accuſatum
Lib. 3. defendit ea oratione, quæ non exſtat. Ipſe in Bruto, Aſconius in Corneliana, Valerius Maximus lib. VIII. cap. X. Quinctilianus lib. II. cap. III. Ἔδοξε δὲ, inquit Appianus, τῆς δὲ τῆς ἡμέρας Κοΐντος Γάλλιος ἀδελφὸς Μάρκου Γαλλίου συνιόντος Ἀντωνίῳ τὴν πολιτικὴν στρατηγίαν ἄρχων, &c. Ex quibus verbis colligimus Q.
Cap. 6. Gallium Prætorem Vrbanum fuiſſe, & M. Gallij fratrem, de quo ita ſcribit Suetonius in Tiberio. Poſt reditum in vrbem a M. Gallio Senatore teſtamento adoptatus hereditate adita, mox nomine abſtinuit, quod Gallius
Lib. 6. c. 1. aduerſarum Auguſto partium fuiſſet. C. GALLII apud Valerium Maximum mentio etiam exſtat.



GELLIAE Gentis duos tantum denarios, qui in hac tabella expreſſi
1. ſunt, nobis videre licuit. Eorum primus ad GELLIVM fortaſſe pertinet Cn. Pompeij Legatum in bello maritimo contra Piratas, cuius
2. meminit Florus. Secundus ſine dubio ad L. GELLIVM POBLICOLAM Lib. 3.
ſpectat, qui denarium ſignauit, cum eſſet Antonij Quæſtor Pro-Prætore: poſtea cum M. Cocceio Nerua Conſulatum geſſit anno DCCXVII. de eo Lib. 67.
ita ſcribit Dio, Ὁ δ' δὴ Γέλλιος ἐφωράθη μὲν, ἔπαθε δ' δεινὸν οὐδέν. ὁ γὰρ Βροῦτος ἐχθρόν τε ἐν τοῖς φιλτάτοις ἀεὶ νομίσας εἶ), καὶ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ Μάρκον Μεσσάλλαν πάνυ τῷ Κασσίῳ προσκείμενον εἰδώς, ἀφῆκεν αὐτόν. καὶ ὃς ἐπέθετο μὲν καὶ τῷ Κασσίῳ, οὐδὲν δ' τότε κακὸν ἔπαθεν. αἴτιον δ', ὅτι ἡ μήτηρ αὐτοῦ Πάλλα προμαθοῦσα τὴν ἐπιβουλὴν, δείσασα περί τε τῷ Κασσίῳ μὴ προκαταληφθῇ (σφόδρα γὰρ αὐτὸν ἠγάπα) καὶ περὶ τῷ υἱῷ μὴ καταφωραθῇ, τότε ἐπιβούλευμα αὐτὴ ἑκοῦσα τῷ Κασσίῳ προεμήνυσε, καὶ τὴν σωτηρίαν τοῦ παιδὸς ἀντέλαβεν, οὐ μέντοι καὶ βελτίω αὐτὸν ἐποίησε, πρός τε γὰρ τὸν Καίσαρα, καὶ πρὸς τὸν Ἀντώνιον ἀπὸ τῶν εὐεργετῶν ἀπηυτομόλησεν; hoc eſt; Gellius autem « inſidiarum conuictus, nullo ſupplicio eſt affectus: nam eum cum ſemper « inter primos amicos ſibi Brutus duxiſſet, ac M. Meſſalam fratrem eius Caſſio « coniunctiſſimum videret, miſſum fecit. Sed idem Gellius poſt Caſſio » quoque perniciem machinatus eſt, iterum quidem impune, cum mater eius « Palla mature cognitis inſidiis, Caſſio metuens ne iis opprimeretur (vehementer « autem eum diligebat) filio vero ne deprehenderetur, ipſa vltro inſidias Caſſio « detexiſſet: ac filij ſalutem præmium habuit, ne ſic quidem meliorem factum, « nam a ſuis benefactoribus ad Cæſarem & Antonium transfugit. Huius « pater L. GELLIVS Conſul fuit cum Cn. Lentulo Clodiano anno DCLXXXI. Cicero in Piſonem & in oratione ad Quirites poſt reditum.




HELIVS TVBERO, *qui in hoc nummo cernitur, is eſt de quo*
» *Suetonius hæc habet. Q. inquit,* TVBERO *tradit hæredem ab Iul.*
» *Cæſ. ſcribi ſolitum ex Conſulatu ipſius primo vſque ad initium ciuilis*
Lib. 1. » *belli Cn. Pompeium idque militibus pro concione recitatum. Qui locus tametſi nomen omittat eſt tamen vnde ſupplere facile poſſimus, M. Cicero, inquit A. Gellius, in libro qui inſcriptus eſt de Iure Ciuili in artem redigendo, verba hæc poſuit. Nec vero ſcientia Iuris maioribus ſuis* Q. HELIVS TVBERO *defuit doctrina etiam ſuperfuit; diſciplinas enim inquit A. Gellius Stoicas & Dialecticas percalluerat.* HELIAE *Familiæ vnum illud veſtigium apparet, quapropter fuerit-ne plebeia an patricia, neſcio, niſi ad* AELIAM *Gentem referatur: hæc enim ſcripturæ varietas in aliis etiam animaduertitur; etenim Enna ciuitas Siciliæ cum aſpirationis nota H. in nummis reperitur, & Hegeſtani pro Segeſtanis, & certe* TVBERO *Æliorum cognomen eſt, vt ex Dione conſtat, qui Q. Ælium, Q. F. Tuberonem Conſulem in annum* DCCXLII. *coniecit.*



Ep. 12. l. 10. ad Planc. HERENNIA Gens plebeia in Balborum Familias & Gallorum diuiſa fuit. L. Herennij Balbi meminit Pædianus in Miloniana: Galli Aſinius Pollio, C. Herennij Tribuni Pl. qui P. Clodium ad plebem traduxit, facit mentionem Cicero. M. autem HERENNIVS hic, qui denarium cum ſigno pietatis cuſit, Cos. fuit ex Kal. Nou. anno DCCXX. filius fortaſſe M. Herennij eius, qui Conſulatum geſſit cum C. Valerio Flacco anno DCLX. de quo Cicero ita ſcribit. M. Herennius in mediocribus oratoribus latine & diligenter loquentibus numeratus eſt: qui tamen ſumma nobilitate hominem

(Margin: Ep. 15. & 17. lib. 1. ad Att. — In Bruto.)


hominem cognatione, ſodalitate, collegio, ſumma etiam eloquentia L. «
Philippum in Conſulatus petitione ſuperauit, &c. Æneas autem Anchiſem «
humeris ferens, Pietatis ſymbolum antiquis fuit, quod in aliis etiam
vetuſtatis monumentis reperitur.



HIRTIA Gens, incertum patricia-ne an plebeia fuerit. Eius exſtat mentio in antiqua Inſcriptione, cuius exemplum ſubiecimus.


A. HIRTIVS A. F. M. LOLLIVS M. F.
FVNDAMENTA FORNICIS FACIVNDA COERAVERE
EIDEMQVE PROBAVERE.

Ex aureo autem nummo, quem A. HIRTIVS Cæſare tertium Conſule ſignauit, Prætorem eum fuiſſe anno DCCVII. intelligimus, & fortaſſe cum in Prouincia eſſet, nummum huiuſmodi cuſiſſe: licebat enim Prætoribus, & eorum Quæſtoribus, Legatis-ve, cum ad alios, tum ad militarem præcipue vſum, quo ſtipendio militibus commodius perſoluerentur, aurum argentum-ve in Prouinciis ſignare. A. autem HIRTIVS triennio poſt Præturam Conſul factus, cum C. Vibio Panſa, in prœlio contra M. Antonium ad Mutinam dimicans, occiſus eſt. Eiuſque corpus Romam perlatum, in Campo Martio publica ſepultura conditum fuit. Liuius in Epitoma, & alij. Lib. 119.




HORATIAE Gentis patriciæ vnus tantum reperitur denarius ab aliquo ex ea Gente in Horatij Coclitis memoriam primum ſignatus, deinde a Traiano Imp. reſtitutus, vt ex denarij in hac tabella impreſſi Inſcriptione

intelligere poſſumus. De Horatio Coclite, ad quem nummus
Lib. 2. hic pertinet ita ſcribit Liuius; Pons ſublicius iter pæne hoſtibus dedit, ni
„ vnus vir fuiſſet Horatius Cocles. Id munimentum illo die fortuna Vrbis
„ Romanæ habuit. Qui poſitus forte in ſtatione pontis, cum captum
„ repentino impetu Ianiculum, atque inde citatos decurrere hoſtes vidiſſet,
„ trepidamque turbam ſuorum arma, ordineſque relinquere; reprehenſans
„ ſingulos, obſiſtens, obteſtanſque Deum & hominum fidem teſtabatur,
„ nequicquam deſerto præſidio eos fugere, ſi tranſitum pontem a tergo
„ reliquiſſent. (paulo poſt) Tum Cocles. Tiberine, inquit, pater Te ſancte
„ precor, hæc arma, & hunc militem propitio flumine accipias ita ſic armatus
„ in Tiberim deſiliuit: multiſque deſuper incidentibus telis, incolumis ad
„ ſuos tranauit: rem auſus plus famæ habituram apud poſteros, quam fidei.
Lib. 4. Eadem de Coclite narrant Dionyſius, Valerius Maximus & alij, eique
Lib. 3. c. 1. ſtatuam æneam ob hoc factum decretam in foro Romano fuiſſe, præter
Lib. 5. Lib. 2. Dionyſium ſcribit Liuius & Plutarchus in Poblicola.




Hosidia Gens ab Appiano quidem & Dione nominatur, & Tertulliano, qui meminit Hosidii Getae Poetæ, non tamen ex eorum verbis elici quicquam poteſt, vnde plebeia-ne an patricia fuerit ſcire poſſimus.
Lib. 3. de bello ciuili. Lib. 47. Appianus & Dio faciunt mentionem Hosidii Getae proſcripti à Trium-Viris & a filio ſeruati. Male tamen apud Dionem, Ὀσαῖον δὲ δὴ Γέταν, pro Ὀσίδιον Γέταν, in vulgatis libris ſcriptum eſt. Fuit is fortaſſe pater Hosidii huius, qui argenteos denarios cuſit. Idem Dio meminit C. Hoſidij Getæ, qui Trium-Vir huius, vt opinor, filius fuit: ſed eodem librariorum errore, Σίδιον Γέταν appellat pro Ὀσίδιον Γέταν; eius verba ſunt hæc. πρὶν δὲ δὴ Γάϊος Ὀσίδιος Γέτας κινδυνεύσας ἁλῶναι, ἔπειθ' οὕτως ἐκράτησεν, ὥστε καὶ τιμὰς ἐπινικίους καί-
„ περ οὐχ ὑπατευκὼς, λαβεῖν. Hoc eſt, donec C. Hosidivs Geta cum prope
„ in hoſtium poteſtatem veniſſet, ita eos vicit, vt ei propterea honores
„ triumphales, quamquam Conſul non fuiſſet, dati ſint. Sed poſterior hic Hoſidius floruit Claudio iam imperante: Hoſidiæ Familiæ mentio eſt in baſi marmorea ita inſcripta,

C. Hosidivs Mar
cianvs cvm svis
Pantheo
Sacrvm.



HOSTILIAE Gentis, quæ ab Hoſto quodam Hoſtilio Medullino, vt creditur, originemduxit, qui Romulo regnante Romanam Ciuitatem adeptus fuit, crebra eſt mentio apud Scriptores: Eius autem Gentis, Familiæ reperiuntur in monumentis Capitolinis, Tulli Regis, & Mancinorum, apud Liuium Tubulorum & Catonum. SASERNAE pater & filius, qui de agricultura ſcripſerunt, nominantur a Varrone: quia vero Tullus Hoſtilius Rex Pauori, Pallorique, vt idem Liuius ſcribit, fanum vouit, exiſtimabat Lib. 17. In lib. de re Ruſtic. Lib. 1.
1. amicus meus horum Deorum imagines in primo & ſecundo huius tabellæ
2. denario, ab Hoſtilio Saſerna ad progenitoris illuſtranda monumenta expreſſas eſſe. Quem ego SASERNAM opinor eum eſſe, qui a Cæſare, Lepti cum præſidio relictus eſt, vt ſcribit Hirtius. Dianæ Epheſiæ & Lib. 5. de bel. Afric.
3. Victoriæ ſimulacra in altera ſecundi denarij & tertij cur ab Hoſtilio ſignata ſint, quærendum eſt. Fortaſſe autem Epheſia Diana ad eius Præturam refertur, in qua Prouinciam Aſiam obtinuerit: Victoria vero, ad Tulli Regis de Albanis triumphos, quos egit Alba diruta, ſpectare poterit.




ITIAE Gentis vnus tantum denarius reperitur, atque is quidem a L. ITIO ſignatus, vt opinor, ad quem Horatij exſtat ode XXIX. inſcripta ad L. ITIVM: ſic enim in vetuſtiſſimis codicibus pro Lib. 1. ICCIVM, ſcriptum reperiri, admonuit me vir eruditiſſimus, idemque

humaniſſimus Carolus Langius, qui denarij huius exemplum ad me Leodio perhumaniter miſit: Horatij verſus ſunt hi,

Iti beatis Arabum inuides
Gazis: &c.

Lib. 5. Philipp. Cicero nominat M. quemdam Iccium, corrupte, vt opinor pro M. Itium: qui quidem error in Atiæ quoque Familiæ nomen irrepſit, in quo ab imperitis librariis, qui pro Atio, Accium ſcripſerunt, peccatum paſſim fuit. Lib. 5. de bel. Gall. Portum etiam Itium pro Iccium, vt erat in vulgatis, ex vetuſtiſſimo exemplari apud Cæſarem iam pridem repoſuimus. *Quæquidem coniectura ſi locum habet,* Ep. 2. l. 1. *erit quod ſuſpicemur hunc eſſe ad quem Horatius,*

Fructibus Agrippæ Siculis quos colligis Icci,
Si rectè frueris non eſt vt copia maior
Ab Ioue donari poſſit Tibi. &c.




Ivliam Gentem Familias habuiſſe patricias, & plebeias inter Scriptores ſatis conſtat. Patriciæ Caesares tantum in denariis qui circumferuntur, habemus: Bvrsionvm enim nulla apud Scriptores exſtat mentio, vnde patricij-ne an plebeij fuerint ſcire poſſimus. Sextvs Ivlivs Caesar 1. qui in primo tabellæ denario deſcriptus eſt, cum multi ex Cæſarum Familia eo prænomine vſi ſint, difficile eſt quis fuerit, affirmare. Poteſt tamen is eſſe, qui anno dclx. cum L. Marcio Philippo Conſul fuit:

quibus Coſſ. ſociale bellum initum eſt. CAISAR autem, COILIVS, AIMILIVS, & alia eiuſmodi Græco diphthongo protulerunt antiqui,
2. Græcam ſcribendi rationem ſecuti. Secundus & tertius denarius ad L.
3. IVLIVM CAESAREM qui cum P. Rutilio Lupo Conſul fuit anno DCLXIII. referri poſſunt. *Ab eo lex Iulia appellata eſt, qua ciuitas data eſt ſociis qui in officio remanſerant, aut cito redierant.* In eo autem adiectus eſt numerus XVI. ob eam cauſam, quod eo anno quo denarius huiuſmodi ſignatus eſt, preſſus ære alieno populus Romanus fecerat, vt denarius ſexdecim aſſibus permutaretur, quinarius octonis, ſerſtertius quaternis: quod primo bello Punico a Q. Fabio Maximo Dictatore primum, mox ab aliis quoque in maxima aeris penuria factum fuiſſe, & Plinius ſcribit, vt in denariorum Inſcriptionibus Lib. 33. c. 3. ipſi obſeruauimus. Tertius quidem denarius ad L. IVLIVM huius filium poteſt pertinere, qui Conſul fuit cum L. Marcio Figulo anno DCLXXXIX. quemque Ædilem fuiſſe, ex ſymbolo ſpicæ, quo Ædiles vtebantur, intelligere poſſumus.
4. Quartus denarius cuſus eſt, vt opinor, a L. Iulio ſuperioris Iulij filio, qui in Africa Catoni Pro-Quæſtore fuit bello Cæſariano: eius meminerunt plurimi ſcriptores. Ad eandem vero Gentis originem indicandam, Venus Cæſar, lib. 1. & 2. de bel. ciuil. curru Cupidinum vecta in hoc denario expreſſa eſt. *Quintus & ſextus denarius ad C. Iul. Cæſ. Dictatorem pertinere videntur cuius monumenta priuſquam* Cicero, l. 6. ad Att. *ſingulatim attingamus, operæ pretium eſt rationem reddere, cur in hunc ordinem ea* Hirtius, lib. 5. de bel. Africo. *a nobis digeſta ſint, ac primum hi collocandi primi mihi viſi ſunt, qui Gentis originem celebrant, deinde qui eius magiſtratus indicant, vt Conſulatus & Dictaturas, in* Dio, lib. 43. *quibus ea diſpoſuimus, quæ ad vnumquemque pertinerent. Ita qui victorias indicant in tertium Conſulatum coniecimus, quem inniit* A. V. DCCVII. *quamquam enim ante ſecundum Conſulatum Gallias ſubegerit, poſtmodum Iubam, Ægyptum, Pharnacem, tamen quoniam nulla eſt nota, qua trophæa in his nummis ſignata inter ſe diſtingui poſſint, omnia ſimul coniunximus, & ad hunc annum retulimus, quo de Galleis ſimul, de Ponto, de Ægypto, de Africa, triumphum egit. Imperatoriam dignitatem quo applicem, neſcio: nam cum Pro-Coſ. Gallias ſortitus eſt, idoneam, vt loquitur Suetonius, triumphorum materiam, iam inde* IMPERATORIS *appellationem accepit, vt ante ſecundum Conſulatum ea collocanda ſint. Sed cum Suetonius Imperatorem appellatum fuiſſe ait, quod inter ſummos & prope diuinos honores enumerat, veriſimile eſt, prouecta iam ad ſummum fortuna hunc titulum illi delatum eſſe. Niſi concilianda hæc ita ſunt, vt Imperatoris dignitatem tanquam temporariam primum acceperit quam indicant hi denarij, cum Imperatoris prænomen tanquam perpetuum & addictum honorem poſtea retinuerit. Itaque hi denarij, quibus Imperator tanquam dignitatis nomen inſcribitur primi collocati ſunt. Is vero qui Imper. prænomen habet inter vltimos reiectus eſt. Sequuntur ea quæ huius* ἀποθέωσιν *indicant, & honores poſtmodum decretos. Vltimo quæ Colonias deductas exhibent. Pontificatus Conſulatui præmittendus erat, ſed nullus apparet denarius, qui hunc ſolum indicet, itaque potior Conſulatuum & Dictaturæ viſa eſt habenda ratio.*
5. Quintus itaque denarius Iuliæ Gentis originem à Venere indicat, de qua Cæſar ipſe gloriatur in oratione, quam habuit pro roſtris in funere Iuliæ. Amitæ, inquit, meæ Iuliæ maternum genus ab Regibus ortum: «

„ paternum cum Diis immortalibus coniunctum eſt. Nam ab Anco Marcio
„ ſunt Marcij Reges, qno nomine fuit mater: a Venere Iulij, cuius Gentis
Lib. 2. Familia eſt noſtra. Ἐκ γὰρ Αἰνείου, inquit Appianus, καὶ Ἰούλου τοῦ Αἰνείου τὸ τῶν Ἰουλίων γένος, &c. hoc eſt Ab Ænea enim & Iulo Iulia gens, &c.


Iulius a magno deductum nomen Iulo,

inquit Virgilius. Huc igitur ſine dubio reſpiciens is, qui denarium cuſit, Veneris caput in vna parte, in altera Æneam ſublato humeris Anchiſe manu Palladium geſtantem ſignauit. *Quodquidem tanquam perfidiæ & proditæ patriæ pretium, vt liceret illi per Agamemnonem permiſſum fuerat vt humeris auferret quod potiſſimum putaret: quoniam autem conceſſam licentiam non ad diuitias reti-*
De Orig. Gentis Romanæ. *nendas, ſed ad Parentis & Filij & Penatium ſalutem conuerterat, hac pietate permoti Principes Achiuorum remiſere, vt reuerteretur domum atque inde omnia ſecum quæ vellet auferret, vt ait Lucatius apud Sex. Aurel. Victorem. Eandem*
Triſtanus a S. Amante. *Cæſaris originem celebrat ſextus denarius, quem quidem interpretatus eſt diligenter &* 6.
acute Nobilis Antiquarius. Videtur illi, nec abſurde, Venus ad Anchiſen in Ida monte iacentem deduci a genio Gentis Romanæ cuius interuentu compreſſa Venus ſobolem
Ludouicus Nonnius. *edidit eorum qui ab Ænea per Iulum editi leges Orbi dederunt. Falſitatis ſuſpectum habet hunc denarium author antiquitatis intelligentiſſimus. Apud nos non reperitur.* 7.
Septimum denarium cuius in vna parte Veneris caput, in altera copiæ cornu ſignatum eſt, opinor in dedicatione Templi Veneris Genetricis, vel Felicitatis Deæ ex S. C. cuſum fuiſſe: atque ex eo genere nummorum eſſe, qui in huiuſmodi dedicationibus & ludis, velut miſſilia quædam ſpargi populo ſolebant. Sparſa & populo miſſilia, inquit Suetonius, omnium rerum per omnes dies ſingula quotidie millia: auium cuiuſque generis multiplex penus, teſſeræ
Lib. 43. frumentariæ, veſtis, aurum, argentum, gemmæ, margaritæ &c. De Templo Veneris a Cæſare dedicato, ita ſcribit Dio. Ταύτην δὲ οὖν καὶ τὸν νεὼν τὸν τῆς Ἀφροδίτης, ὡς καὶ ἀρχηγέτιδος τοῦ γένους αὐτοῦ οὔσης ποιήσας, καθιέρωσεν εὐθὺς τότε καὶ
„ πολλούς γ' ἐπ' αὐτοῖς καὶ παντοδαποὺς ἀγῶνας ἔθηκεν. Hoc eſt, Forum vero &
„ Templum Veneris Genetricis (quam ſui generis autorem ferebat) a ſe
„ condita Cæſar ſtatim tunc conſecrauit, multaque ibidem & varia ſpectacula
Lib. 44. edidit. Idem quoque Dio de Felicitatis item Templo meminit quod Cæſar exſtruxit. Venerem autem ita coluit vt eius typo epiſtolas & diplomata
Dio lib. 43. obſignare ſit ſolitus.




1. *DE primo denario, quod quidem ad M.Mettium attinet, & cæteris in quibus idem Quartum-Vir, vt opinor, cudendæ monetæ ſignatus eſt, in Gente*
2. METTIA *dicetur.* Secundus & tertius huius tabellæ denarij ab LVCIO
3. AEMILIO BVCA Quartum-Viro cum imagine Cæſaris ſignati ſunt. Atque in primi altera parte Veneris Genetricis ſiue Victricis ſimulacrum ſtans, a qua per Æneam trahebat originem Cæſar, expreſſum eſt. In ſecundo vero ad indicandam concordiam, manus iunctæ cum Inſcriptione L. AEMILIVS BVCA IIII-VIR. Supra enim diximus Cæſarem cum antea tres tantum viri cudendæ monetæ præfuiſſent, eorum numerum auxiſſe, & vt eſſent pro tribus quatuor, feciſſe; quod cum ex ipſis denariorum Inſcriptionibus conſtat, tum ex iis Suetonij verbis, quæ in Flaminia gente Cap. 47. protulimus. Senatum, inquit Suetonius, ſuppleuit, patricios allegit. Prætorum, Ædilium, Quæſtorum, minorum etiam magiſtratuum numerum « ampliauit, &c. Auguſtus deinde, vt Treuiri rurſus eſſent inſtituit. Vnde « opinor Dionem ſcripſiſſe Trium-Viros monetales ab Auguſto inſtitutos eſſe, cum Quartum-Viros, ad Treuiros reductos fuiſſe, dicere debuiſſet.
4. Quartus denarius a P. SEPVLLIO MACRO cuſus eſt, quem propter adiectum cometem mortuo iam Cæſare *ſignatum eſſe exiſtimamus, niſi forte*
5. *ſidus Veneris indicat.* In quinto nihil eſt quod ſit magnopere notatu dignum,
6. præter Cæſaris Pontificatum qui noto vaſis typo ſignificatur. ***Sextus a*** C.

MARIDIANO *in honorem Iulij percuſſus eſt, de quo infra dicetur.* Septimus & 7.
octauus denarius vt apparet, a L. Æmilio Buca Quartum-Viro cuſi ſunt, eo 8.
anno, quo Cæſar Dictaturam in perpetuum accepit, qui fuit Vrbis conditæ
DCCVIII. quo quidem anno inter cæteros honores Cæſari decretos,
hic quoque tributus eſt, vt nummi cum eius imagine ſignarentur. Quæ in
Dio lib. 44 ſeptimo denario notata ſunt, Orbis quidem, imperium totius orbis terrarum
Cæſari delatum; Faſces, Iuſtitiam; Manus, Concordiam; Caduceus, Pacem;
In Orat. ad Senat. Securis, Religionem ſignificare videntur: quæ Cæſar, vt eſt apud Dionem,
populo Romano in Reipublicæ gubernatione ſe præſtiturum pollicitus
fuerat.



PRIORES tres huius tabellæ denarij ab eodem L. AEMILIO BVCA 1.
Quartum-Viro cum imagine Cæſaris ſignati ſunt, atque in eorum 2.
primi & tertij altera parte, Veneris Genetricis ſiue Victricis ſimulacrum 3.
ſtans, a qua per Æneam trahebat originem Cæſar, expreſſum eſt. Secundus
in ſuperioris tabellæ commentariis explicatus eſt. Quartus denarius ab 4.
ALLIENO Prætore, qui Siciliam Pro-Conſulari poteſtate obtinebat,
Hirtius l. 5. ſignatus eſt, Cæſare II. Conſule cum P. Seruilio Iſaurico anno DCCV. quo
quidem anno in Africam traiecit. Ex quinti tabellæ denarij Inſcriptione, 5.
atque ex impreſſa in eo Cereris imagine, ſpicis coronata, coniicimus
Cæſare Conſule, & Dictatore vtrumque tertium, anno DCCVII. Africa
deuicta,

deuicta, ex eaque magna frumenti copia relata, monetam huiuſmodi cuſam eſſe: quibus accedit Dionis autoritas, & Plutarchi in Cæſare. In Lib. 42
6. ſexto aureo nummo Iulij Cæſaris Pontificatus, Auguratuſque inſtrumenta
7. expreſſa ſunt, de quibus abunde diximus ſupra. Septimus ad Sepullium Macrum refertur, cum Cæſaris habitu Pontificali, viuente adhuc Cæſare
8. percuſſum eſſe opinor. De octauo in ſequenti tabella dicetur.




PRIMVS, ſecundus, tertius, quartus & quintus huius tabellæ denarij
1. referunt, vt opinor, victorias ac trophæa de Galleis & Germaneis,
2. aliiſque Gentibus a Cæſare deuictis. Atque de trophæo quidem, quod
3. Cæſar Dictator iterum ſuperato Pharnace erexit, meminit Dio his verbis. Lib. 42
4. Καῖσαρ δὲ ἐπὶ τῇ νίκῃ καίπερ οὐ πάνυ διαπρεπεῖ γενομένῃ, πολὺ δὴ ὅσον ἐπ' οὐδεμιᾷ ἄλλῃ
5. ἐφρόνησεν, ὅτι ἔντε τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, καὶ ἐν τῇ αὐτῇ ὥρᾳ καὶ ἦλθε πρὸς τὸν πολέμιον, καὶ εἶδεν αὐτὸν, καὶ ἐνίκησε καὶ τά τε λάφυρα πάντα, καί τοι πλεῖστα γενόμενα, τοῖς στρατιώταις ἐδωρήσατο, καὶ τὸ τρόπαιον ἐπειδήπερ ὁ Μιθριδάτης ἀπὸ τοῦ Τριαρίου ἐνταῦθά που ἐγηγέρκει, ἀντανέστησε. Hoc eſt, ea victoria, quamuis non ſplendidiſſima, Cæſar magnopere ſe iactauit, vt nulla alia magis, quod eadem die, & perueniſſet ad hoſtem, & vidiſſet eum & viciſſet: manubias omnes, quamuis plurimæ erant, militibus donauit. Cumque trophæum eo in loco Mithridates de Triario ſtatuiſſet, *ipſe ne religione ſe obſtringeret ſi trophæa, rem Marti ſacram, demolitus fuiſſet ad delendam nominis Romani contumeliam ſuum de Pharnace oppoſuit*, &c. Huiuſmodi trophæum deſcripſit Virgilius, his verſibus, Æneid. l.

R

Ingentem quercum deciſis vndique ramis
Conſtituit tumulo : fulgentiaque induit arma
Mezenti, Diuis exuuias; tibi magne trophæum
Armipotens : aptat rorantes ſanguine criſtas,
Telaque trunca viri, & bis ſex thoraca petitum;
Perfoſſumque locis : clypeumque ex aere ſiniſtræ
Subligat : atque enſem collo ſuſpendit eburnum.


Veneris imago, ad quam Iuliæ Familiæ origo refertur, lituus, & ſecuris Cæſaris ſacerdotiorum inſignia, in his denariis adiecta ſunt ob ea, quæ ſupra diximus. *Iiſdem victoriis adſtipulatur ſextus nummus quem Traianus reſtituit.* 6.
Venerem victricem (cuius nomine tamquam ſigno in Pharſalico prelio vſus eſt Cæſar) figura ſtans exhibet columna innixa cum caſſide, iaculo, & clypeo. Ad victoriam ex Africa de Iuba Rege indicandam, Elephantem in altera ſeptimi denarij parte 7.
expreſſum eſſe opinor: licet ad Elephantum quoque ſpectaculum in harena
Lib. 8. c. 7. a Cæſare editum referri poſſit, de quo meminit Plinius. *Poteſt etiam ad nomen Cæſarum referri, Auus autem Cæſaris, inquit Seruius, in Africa manu propria occidit Elephantum qui Cæſar, dicitur Pœnorum lingua. Solitos autem eſſe cum Draconibus internecino bello pugnare Elephantos, ait Plinius.* De Cæſaris Auguratu & Pontificatu Maximo, quorum inſignia in quinto tertiæ tabellæ denario notata
Cap. 13. ſunt meminerunt Cicero in Ep. ad P. Seruilium, Suetonius, Plutarchus in
Lib. 37. Cæſare, Antonio, & in Apophthegmatis, & Dio. De Pontificatu hæc
Lib. 2. » inſuper addit Velleius, Ante Præturam victus Maximi Pontificatus petitione
» Q. Catulus omnium confeſſione Senatus Princeps, &c. Factus eſt autem
Suet. in Iulio c. 13. Cæſar Pontifex Maximus in locum Metelli Pij, ſuperatis, *profuſiſſima largitione*, competitoribus nobiliſſimis Q. Lutatio Catulo, & P. Seruilio Iſaurico.
Octauus æreus nummus a C. Clovio Vrbis Præfecto anno DCCVII. 8.
Cæſare Dictatore III. cuſus eſt, impreſſa in eo Victoriæ imagine, & ſpoliis de Iuba Rege ac Scipione, confecto bello Africo relatis : nec enim dubitandum eſt, quin ad res proſpere a Cæſare in Africa geſtas reſpexerit Clovivs; de quibus eodem quoque anno, quo nummus huiuſmodi percuſſus eſt, triumphum egiſſe Cæſarem conſtat. Simulacrum Mineruæ in altera nummi parte cum angue, quale a Græcis Poëtis fingitur, expreſſum eſt : nec abs re hoſtium ſpoliis onuſtum, quando Victoriam Mineruæ, πάρεδρον, hoc eſt, adſiſtricem antiquos appellaſſe ſcribit in Fabulis Pharnutus.



1. PRIMVS nummus aureus à L. MVNATIO PLANCO Præfecto Vrbis cuſus eſt, cum vaſe Pontificatus Maximi inſigni & Victoriæ imagine, quam de Iuba Rege ex Africa Cæſar Dictator III. retulerat. De M. Mettio
2. qui ſecundum tabellæ denarium cuſit dicetur in Gente METTIA. *Dictatura quarta quam reponit inſcriptio conuenit in annum* V. C. DCCIX. *quo ouans*
3. *ex monte Albano* VII. *Kalend. Febr. Vrbem iniit.* Tertius aureus nummus pertinet ad id quod de Cæſare Dictatore tradunt Appianus, Dio, & Lib. 2. bel. ciuil.
Suetonius, ei ſcilicet, cum Dictator quartum eſſet, ius laureæ perpetuo Lib. 43. Cap. 45.
geſtandæ conceſſum fuiſſe. Suetonij verba ſunt hæc: « Ex omnibus decretis ſibi a Senatu populoque honoribus, non aliud aut recepit, aut vſurpauit « libentius, quam ius laureæ coronæ perpetuo geſtandæ. «
4. Quartus huius tabellæ denarius a L. MVSSIDIO LONGO IIII. Viro monetæ cudendæ ſignatus eſt. In eius autem vna parte Cæſaris imago, in altera Dearum ſymbola expreſſa ſunt, quibus Senatus in Cæſaris honorem templa tum dedicauerat:
5. eæ vero ſunt, CLEMENTIA, ÆQVITAS, LIBERTAS PVBLICA, Plutarchus in Cæſare.
CONCORDIA NOVA ET FELICITAS. Dio lib. 48. Fælicitatis & Concordiæ Symbola ſunt cornucopiæ & caduceus: nauis gubernaculum, & pila ad Orbis terrarum imperium refertur, cuius gubernatio clementiæ & æquitati Cæſaris commiſſa erat: his autem adiectus eſt apex, cum ad indicandum Cæſaris Sacerdotium (fuit enim, vt diximus, Flamen Dialis) tum vt eo

notaretur religio principis, & pietas erga Deos immortales. *Quintus denarius* 5.
Imperatoris prænomen indicat, quod tantam illi conflauit inuidiam vt inter cauſas
necis à Suetonio recenſeatur. In altera ſexti denarij parte (quem a Sepullio 6.
Macro cuſum fuiſſe Inſcriptio docet) Clementiæ templum ſignatum eſt,
de quo Plutarchus, Dio & alij meminerunt. Plutarchi verba in Cæſare ſunt
hæc. Καὶ τότε τῆς ἐπιεικείας ἱερὸν οὐκ ἀπὸ τρόπου δοκοῦσιν χαριστήριον ἐπὶ τῇ πρᾳότητι
ψηφίσασθαι, ὁ γὰρ ἀφῆκε πολλοὺς τῶν πεπολεμηκότων πρὸς αὐτὸν, ἐνίοις δὲ καὶ τιμάς, ὁ
” ἀρχάς, ὡς Βρούτῳ, καὶ Κασίῳ προσέθηκεν. Hoc eſt, Ac Clementiæ quidem ædem
” tunc non immerito ad honorandam lenitatem Cæſaris decreuiſſe eos dicas.
” Quippe hoſtibus ſuis multis ſalutem dedit, nonnullis honores & magiſtratus,
” velut Bruto & Caſſio addidit. Septimus denarius a C. COSSVTIO 7.
MARIDIANO Quartum-Viro, vt opinor, percuſſus eſt. Cæſaris effigies
cum habitu Pontificali refertur cum hac Inſcriptione, CAESAR PARENS
Lib. 116. in Epitom. In Cæſ. 76. PATRIAE. Quamuis autem Liuius ſcribat, PATRIS PATRIAE titulum
viuenti Cæſari tributum fuiſſe, *in qua etiam ſententia eſt Sueton.* Ciceronis tamen
autoritas me magis mouet, qui occiſo iam a coniuratis, decretum ei hunc
honorem tradit: niſi forte viuentem Cæſarem PATREM PATRIAE appellatum
fuiſſe credamus, mortuum vero PARENTEM; quod mihi inſigniter
frigidum videtur, *aut eumdem mortuo iteratum honorem qui viuo delatus fuerat.*
Ep. 3. ad Caſſium lib. 12. ” Scriptorum loca ſuper ea re ſunt hæc. Auget, inquit Cicero, tuus amicus
” furorem in dies. Primum in ſtatua, quam poſuit in roſtris, inſcripſit PARENTI
” OPTIME MERITO: vt non modo ſicarij, ſed iam etiam parricidæ iudicemini
&c. Ex quibus verbis ſatis conſtat, mortuo Cæſari hunc honorem ab Antonio
tributum fuiſſe, quo grauiori pœna, id eſt parricidij damnaret, qui eum
Philipp. lib. 13. interfecerant. Antonius in ep. ad Hirtium quæ a Cicerone profertur:
” Hoſtem, inquit, iudicatum hoc tempore Dolabellam, eo quod ſicarium
” occiderit, & videri cariorem populo Romano filium ſcurræ, quam C.
Cap. 85. ” Cæſarem Patriæ Parentem ingemiſcendum eſt. Plebs, inquit Suetonius,
” ſtatim a funere ad domum Bruti & Caſſij cum facibus tetendit; atque ægre
” repulſa, obuium ſibi Heluium Cinnam, per errorem nominis, quaſi
” Cornelius eſſet is, quem grauiter pridie concionatum de Cæſare requirebat,
” occidit: caputque eius præfixum haſtæ circumtulit; poſtea ſolidam columnam
” prope viginti pedum lapidis Numidici in foro ſtatuit; ſcripſitque PARENTI
Lib. 116. ” PATRIAE. Cæſar, inquit Liuius, ex Hiſpania quintum triumphum egit,
” & cum multi maximique honores ei a Senatu decreti eſſent, inter quos, vt
” PATER PATRIAE appellaretur, & Sacroſanctus ac Dictator in perpetuum
Lib. 44. ” eſſet, &c. Dio aſſentiri videtur Liuio, his verbis. Πρός τε τούτοις τοιούτοις οὖσι,
Πατέρα τε αὐτὸν τῆς πατρίδος ἐπωνόμασαν, καὶ ἐς τὰ νομίσματα ἐνεχάραξαν. Hoc eſt,
” Præter hæc PATREM PATRIAE eum appellauerunt, idque nomen 8.
” denariis inſcripſerunt. Octauus tabellæ denarius Cæſare occiſo iam a
coniuratis, & inter Diuos relato, cuſus eſt a Q. VOCONIO VITVLO
Quæſtore Deſignato. Nihil autem in eo eſt notatu magnopere dignum,
Cap. 88. ” præter inſcriptionem DIVI IVLI: de qua ita ſcibit Suetonius, Periit
” ſexto & quinquageſimo ætatis anno, atque in Deorum numerum relatus eſt,

non ore modo decernentium, ſed & perſuaſione vulgi. Siquidem ludis, quos primo conſecratos ei heres Auguſtus edebat, ſtella crinita per ſeptem dies continuos fulſit exoriens circam vndecimam horam. creditumque eſt animam eſſe Cæſaris in cælum recepti, & hac de cauſa ſimulacro eius in vertice additur ſtella, &c. Vitulus in altera denarij parte impreſſus, pertinet ad VOCONII cognomen de quo in VOCONIA Familia dicetur.



1. PRIMVS tabellæ denarius ad Q. VOCONIVM VITVLVM Quæſtorem Deſignatum vt & ſuperioris vltimus pertinet de quo ſupra dictum
2. eſt, & fuſius in Gente VOCONIA. In ſecundo denario qui a L. FLAMINIO, Quartum-Viro, vt ex Inſcriptione apparet, ſignatus fuit, nihil eſt magnopere notandum, niſi quod in altera eius parte vel Pacis ſignum expreſſum eſt, *vel, quod magis credam Veneris felicis, hoc enim nomen inter Hadriani & Antonini Nomiſmata occurrit. Caduceus autem tam felicitatis quam Pacis eſt Symbolum. An IIII-Vir monetarius ac quinquennalis, hoc eſt quinquennalibus ludis Præfectus, fuerit Flaminius dubitari poteſt.* Tertium denarium a L. LIVINEIO REGVLO
3. L. F. cuſum eſſe poſt Cæſaris mortem, duobus argumentis adducor vt credam. Primum quia lauri ramus imaginis occipitio adiectus eſt, quem Auguſto miſſum e cælo fuiſſe tradit Plinius, quamuis Dio non Auguſto, Lib. 15. cap. vii. ſed Liuiæ, nec de cælo ſed ab aue in eius ſinum iniectum dicat, cuius verba ex libro XLVIII. infra ſubiiciam. Deinde quia hic idem Liuineius

ſub C. Cæſare Trium-Viro R. P. C. cudendæ monetæ præfuit, vt ex Auguſti denario, in quo Liuineij ipſius nomen inſcriptum eſt, colligi poteſt. Dionis verba de ramo lauri ſunt hæc. Τό τε τῇ Λιουΐᾳ συμβὰν, ἐκείνῃ μὲν καθ' ἡδονὴν ἐγένετο, τοῖς δὲ ἄλλοις δέος ἐνεποίησε. Λευκὴν γὰρ ὄρνιθα κλώνιον δάφνης ἐγκάρπου φέρουσαν ἀετὸς εἰς τὸν κόλπον αὐτῆς ἐνέβαλε, καὶ (ἐδόκει γὰρ οὐ σμικρὸν τὸ σημεῖον εἶναι)
,, τήν τε ὄρνιθα ἐν ἐπιμελείᾳ ἦγε, καὶ τὴν δάφνην ἐφύτευσε. καὶ ἡ μὲν ῥιζωθεῖσα ηὔξησεν,
,, ὥστε καὶ τοῖς τὰ ἐπινίκια μετὰ τοῦτο πέμψασιν ἐπὶ πλεῖστον ἐξαρκέσαι. Hoc eſt, Liuiæ
,, autem huiuſmodi prodigium euenit, quod ei voluptatem, aliis metum
,, attulit. Aquila gallinam albam in gremium eius abiecit, quæ ramum lauri
,, fructum ſecum gerentis geſtabat; Liuia quod id oſtentum haud exiguum
,, duceret, gallinam adſeruauit diligenter: lauri autem ramum ſeuit, atque
,, is radicibus auctis adoleuit, ita vt poſtea temporis frondes triumphantibus diu admodum ſuppeditauerit. Ad hanc autem laurum reſpexit P. Petronius Turpilianus, cum in aureo Auguſti nummo quernam coronam inter duos lauri ramos impreſſit cum hac Inſcriptione, O. C. S. vel vt eſt in argenteo denario Ob Civis Servatos. de qua quidem corona & lauro Ouidius mentionem his verſibus facit,

Lib. 1. Met.

> Poſtibus Auguſtis quercus fidiſſima cuſtos
> Ante fores ſtabis, mediamque tuebere quercum.


Lib. 54.

Ὁ δ' οὖν Καῖσαρ, inquit Dio, πολλὰ μὲν καὶ πρότερον, ὅτε τὰ περὶ τῆς ἐξωμοσίας τῆς μοναρχίας, καὶ τὰ περὶ τῆς τῶν ἐθνῶν διανομῆς διελέχθη, ἔλαβε. Καὶ γὰρ τὸ, τε τὰς δάφνας
,, πρὸ τῶν βασιλείων αὐτοῦ προτίθεσθαι, καὶ τὸ τὸν στέφανον τὸν δρύϊνον ὑπὲρ αὐτῶν ἀρτᾶσθαι,
,, τότε οἱ, ὡς καὶ ἀεὶ τούς τε πολεμίους νικῶντι, καὶ τοὺς πολίτας σώζοντι ἐψηφίσθη. Hoc eſt,
,, Cæſari cum orationem de eiurando Regno, ac diuidendis Prouinciis habuiſſet,
,, multi erant honores delati, nempe vt ante ipſius domum in Palatio lauri
,, ponerentur, ac ſuper eas coronæ quernæ ſuſpenderentur; nimirum quod perpetuus hoſtium victor, ac Ciuium eſſet ſeruator. Itaque in argenteis quibuſdam Auguſti denariis corona & veſtis triumphalis cum huiuſmodi titulo ſignata eſt, S. P. Q. R. Parent. Cons. svo. Hoc eſt, Parenti Conſeruatori Suo. De triumphali quidem veſte idem Dio meminit, his verbis: Καὶ ἐξουσία, inquit, ἐδόθη τοῦ τῇ πρώτῃ τοῦ ἔτους ἡμέρᾳ καὶ τῷ στεφάνῳ, καὶ τῇ ἐσθῆτι τῇ νικητηρίῳ χρῆσθαι. Hoc eſt, dataque poteſtas Kal. Ian. ſingulis, coronæ & veſtis triumphalis geſtandæ. De titulo vero Parentis ſiue Patris Patriae, mentio eſt in fragmento quodam Kalendarij, quod exſtat Præneſte.

Lib. 53.

Non N. Concordiae
in arce Feriae ex
S. C. qvod eo die
Imperator Caesar
Avgvstvs Pontifex
Maximvs Trib. potest.
xxi. Cos. xiii. a Senatv
Popvloqve Romano Pater
Patriae appellatvs.

In altera vero eiuſdem denarij parte taurus expreſſus eſt, qui quonam pertineat, a multis quidem quæſitum eſt, nihil tamen a quoquam quod magnopere probandum ſit, in medium prolatum adhuc eſt. Ego autem opinor, tauri huius imagine ſpectaculum a Cæſare Dictatore anno DCCVIII. ipſo & Lepido Coſſ. editum ſignificari: de quo his verbis meminit Plinius Lib. 8. c. 45.
" Theſſalorum inuentum eſt, equo iuxta quadrupedante cornu intorta
" ceruice tauros necare primus id ſpectaculum dedit Romæ Cæſar Dictator, &c. Eo autem anno, quo Cæſar ludos fecit, L. Liuineium cum Ædilis Curulis eſſet vt ex eius denariis in Liuineia Familia notatis colligitur, his ludis præfuiſſe credendum eſt. Liuineium vero Ædilis filium, vt ſpectaculum magnificentiſſimum celebraret, in quo nouæ taurorum venationes exhibitæ fuiſſent, patriſque Ædilicium honorem illuſtraret, non hunc modo denarium, ſed alterum etiam, qui eſt inter Liuineiæ Familiæ denarios impreſſus, in quo Cæſaris hæc venatio, & alia paternæ Ædilitatis monu-
4. menta expreſſa ſunt, cuſiſſe veriſimile eſt. Quartus denarius a TI. SEMPRONIO GRACCO Quæſtore Deſignato cuſus, pertinet ad Caſilinum Coloniam, quæ anno DCXCIV. a Cæſare & Bibulo Coſſ. ex S. C. deducta eſt: cuius deductionis Symbola in altera denarij parte notata ſunt, ſignum cohortis, aquila legionis, aratrum & ſceptrum. Opinor autem denarium huiuſmodi aliquot poſt annis, non eo, quo Colonia deducta eſt, in eius rei memoriam ſignatum a Gracco fuiſſe. *Valentiam cuius ſignum duplex Cornu* Lib. 3. c. 3.
5. *copiæ in quinto nummo cernitur, Coloniam eſſe ex Plinio conſtat: hanc Cæſari tribuere videtur nota ſyderis, ſeu ſtella crinita. Quod Romanos ita contempſerint Corinthij vt Legatos Romanorum luto aſpergere auſi ſint, Lucius Mummius eo cum validiſſimo exercitu miſſus, vrbem deleuit, inquit Strabo.* Πολὺν δὲ χρόνον ἐρήμη μείνασα ἡ Κόρινθος ἀνελήφθη πάλιν ὑπὸ Καίσαρος τοῦ Θεοῦ διὰ τὴν εὐφυΐαν ἐποίκους τοῦ ἀπελευθερικοῦ γένους πλείστους. *Hoc eſt, Sed Corinthus cum diu iacuiſſet, inſtaurata, eſt a Diuo Cæſare propter loci opportunitatem, miſſis eo libertinis plurimis, quapropter non Colonia tantum Iulia, ſed etiam* LAVS IVLIA *in his nummis dicitur quemadmodum in Inſubribus,* LAVS POMPEIA, *quod perpetuam laudem Cæſar*
6. *inſtauranda ciuitate celeberrima meruiſſet. Bellerophon & chimæra quæ in ſexto &*
7. *ſeptimo nummo ſignantur, quo pertineant manifeſtum eſt.*



IVLII *II-Viri cuius nomen in vltimo ſuperioris & primo huiuſce tabulæ* 1.
cernitur frequens alias a nobis mentio habita eſt vt & de II-Viratu. L. IVLIVS
BVRSIO, qui in ſecundo huius tabellæ denario deſcriptus eſt, alicuius 2.
fortaſſe ex Familia Burſionum victoriam aliquam in altera denarij parte
expreſſit, quæ ignoratur. Exſtant autem alij eius denarij huic ſimiles, in
quibus pone caput Mercurij, ſignum quoddam adiectum eſt, quod ad
indicandum Burſionum cognomen, vnde dictum fuerit, oppoſitum eſſe
facile dixeris. Tertius denarius ſub C. Cæſare Trium-Viro R. P. C. 3.
Lib. 44. percuſſus, ſellam habet Cæſari decretam, de qua meminit Dio, his verbis:
Καὶ ἐπειδὴ καὶ τούτοις ἠρέσκετο, οὕτω δὴ ἔς τε τὰ θέατρα, τόν τε δίφρον αὐτοῦ τὸν ἐπίχρυσον
καὶ τὸν στέφανον τὸν διάλιθον καὶ διάχρυσον ἐξ ἴσου τοῖς τῶν θεῶν ἐσκομίζεσθαι κἀν ταῖς
„ Ἱπποδρομίαις ὄχλον ἐσάγεσθαι ἐψηφίσαντο. Hoc eſt, Cum hæc etiam Cæſari
„ placuiſſent, iam in theatra ſellam eius auream, coronamque gemmis
„ auroque prætioſam, (qui honor alias Diis tribui ſolebat) inferri atque
Lib. 45. in Circum etiam introduci a multitudine iuſſerunt. Et alibi: Καὶ τότε μὲν
οὔτε τὸν δίφρον τὸν τοῦ Καίσαρος τὸν ἐπίχρυσον, οὔτε τὸν στέφανον τὸν διάλιθον ἐς τὸν θέατρον
„ ἐσήγαγεν, ὥσπερ ἐψήφιστο, φοβηθεὶς τὸν Ἀντώνιον. Hoc eſt, Sellam tum Cæſaris
„ auream, coronamque tum gemmis ornatam in theatris, quamuis ita fuerat
Cap. 76 „ conſtitutum, Antonij metu non intulit. Decerni, inquit Suetonius, ſibi
„ paſſus eſt ſedem auream, &c. Eiuſdem ſellæ Cæſari decretæ meminit
Lib. 3. Appianus, ad quamquidem ſellam quin reſpexerit is qui denarium cuſit,
non eſt aliquo modo dubitandum; adiecit enim Inſcriptionem CAES.
DIC. PER. De corona tantum dubitari poteſt, propterea quod aurea
dicitur de gemmis ornata fuiſſe ea quæ Cæſari decreta fuit. Quæ vero
ſellæ in denario ſuper impoſita eſt, laureæ ſimilis videtur; vt referendam
potius


potius putem ad coronam illam, cuius ius perpetuo geſtandæ Cæſari Cap. 45.
conceſſum fuiſſe ſcribit Suetonius & Dio. Nec vero ſum neſcius, Principibus Lib. 43.
viris in funerum pompa, ſellas curules, ſuperque eas quernas coronas ab antiquis poni ſolitas fuiſſe; eius enim moris meminit Corn. Tacitus, his Lib. 2.
verbis: Honores vt quis amore in Germanicum aut ingenio validus, reperti, decretique: vt nomen eius ſaliari carmine caneretur, ſedes Curules ſacerdotum Auguſtalium locis, ſuperque eas querceæ coronæ ſtatuerentur, ludos Circenſes eburna effigies præiret, &c. Huiuſmodi autem coronas Curulibus ſellis ſuper impoſitas in aliis nos etiam denariis obſeruauimus.

4. In quarto aereo nummo nihil eſt magnopere notandum præter ἀποθέωσιν, quæ Inſcriptione Divos Ivlivs indicatur. Eandem conſecrationem
5. indicat cometes, in quinto denario ſignatus, ſeu ſtella crinita quæ Cæſare in Deorum numerum relato, per ſeptem, vt Suetonius inquit, continuos dies fulſit. De ea ſic cecinit Maro,


Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum, In Bucol.
Aſtrum quo ſegetes gauderent frugibus, & quo
Duceret apricis in collibus vua colorem.

Ἐπεὶ μὲν τοι ἄστρον τι παρὰ πάσας τὰς ἡμέρας ἐκείνας ἐκ τῆς ἄρκτου πρὸς ἑσπέραν Lib. 45.
ἀνεφάνη, καὶ αὐτὸ κομήτην τέ τινων καλούντων, καὶ προσημαίνειν οἷά που εἴωθε λεγόντων, οἱ πολλοὶ τοῦτο μὲν ἐπίστευον, τῷ δὲ δὴ Καίσαρι αὐτὸ, ὡς καὶ ἀπαθανατισμένῳ, καὶ ἐς τὸν τῶν ἄστρων ἀριθμὸν συγκατειλεγμένῳ ἀνετίθεσαν, θαρσήσας χαλκοῦν αὐτὸν ἐς τὸ ἀφροδίσιον, ἀστέρα ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς ἔχοντα, ἔστησεν. Hoc eſt, Ceterum ſtella quædam quotidie inter Septentrionem & Occaſum apparuit, eamque Cometem vocantes nonnulli ea portendere dicebant, quæ alias huiuſmodi ſignum ſequi conſueſſent: creditum quidem hoc a plebe eſt, ſed tamen Cæſari eam immortalitatem nimirum iam adepto, inque ſiderum numerum allecto ſacram eſſe dixerunt. Ea re Cæſar animo confirmato, ſtatuam patris aeream
6. cum ſtella ſupra caput in Veneris templo poſuit. In ſexto autem tabellæ denario hoc ipſum Veneris templum impreſſum eſt, cum ſtella & Cæſaris ſtatua habitu Augurali, adiecta Inſcriptione Divo Ivl. & ara apud quam plebs Romana (vt Suetonius inquit) ſacrificare, vota ſuſcipere, & controuerſias quaſdam interpoſito per Cæſarem iureiurando diſtrahere, longo tempore conſueuit. De ſtella quidem, quæ in templi faſtigio impreſſa eſt, meminit Plinius, qui verba quædam ex Auguſti epiſtola Lib. 2. c. 25.
adducit, quæ multum faciunt ad eorum intelligentiam, quæ in hoc denario ſignata ſunt. Cometes, inquit, in vno totius orbis loco colitur in templo Romæ admodum fauſtus diuo Auguſto iudicatus ab ipſo, qui incipiente eo apparuit ludis quos faciebat Veneri Genetrici, non multo poſt obitum patris Cæſaris, in collegio ab eo inſtituto: Namque his verbis id gaudium prodidit: Iis ipſis ludorum eorum diebus ſidus crinitum per ſeptem dies in regione cæli, quæ ſub Septentrionibus eſt, conſpectum. Id oriebatur circa vndecimam horam diei, clarumque & omnibus terris conſpicuum fuit. Eo ſidere ſignificari vulgus credidit Cæſaris animam inter Deorum immortalium numina receptam: quo nomine id inſigne ſimulacro capitis eius, quod mox

in foro conſecrauimus, adiectum eſt; &c. Ex huius vero denarij Inſcriptione Lib. 52. I MP. CAESAR. &c. Intelligimus falſum eſſe quod ſcribit Dio, Auguſtum anno DCCXXIV. cum Sex. Appuleio quintum Cõſulatum gerentem, Imperatorem appellatum eſſe: conſtat enim ex veteribus monumentis multo ante, hoc eſt ſecundo Trium-Viratus quinquennio, hunc titulum accepiſſe. Dionis verba ſunt hæc. Ταῦτα τε ὁ Καῖσαρ καὶ ὅσα μοι ἄλλα τοῦ λόγου εἴρηται, ἔπραξεν ἐν τῷ ἔτει ἐκείνῳ, ἐν ᾧ τὸ πέμπτον ὑπάτευσε, καὶ τὴν τοῦ Αὐτοκράτορος ἐπίκλησιν ἐπέθετο. Λέγω δὲ οὐ τὴν ἐπὶ τῆς νίκης κατὰ τὸ ἀρχαῖον διδομένης τισὶν (ἐκείνην γὰρ πολλάκι μὲν καὶ πρότερον, πολλάκις δὲ καὶ ὕστερον ἀπ' αὐτῶν τῶν ἔργων ἔλαβεν, ὥστε καὶ ἐν εἰκόσιν, ὄνομα αὐτοκράτορος σχεῖν) ἀλλὰ τὴν ἑτέραν τὴν τὸ κράτος διασημαίνουσαν, ὥσπερ τῷ πατρὶ αὐτοῦ τῷ Καίσαρι, καὶ τοῖς ἐγγόνοις ἐψήφιστο. Hoc eſt, Hæc ſunt & ea quæ ante has orationes retuli, quæ Cæſar egit eo anno quo Conſul quintum fuit. Eodem anno etiam Imperatoris nomen accepit, non quale propter victoriam tribui vetuſto more ſolebat (id enim ſæpius & antea & poſtmodo ex ipſis actionibus reportauit, in ſtatuarum etiam Inſcriptionibus Imper. appellatus) ſed quo ſumma imperij demonſtraretur, quod patri quoque eius Iulio & eius filiis fuerat decretum.



QVAMNAM *ex victoriis Auguſti primus huius tabulæ denarius indicet igno-* 1.
raretur, niſi non alij nummi docerent. Martis vltoris faciem eſſe hanc quæ galeata hic occcurit. Nulla ergo aut vix vlla dubitatio eſt, quin ad Philippenſem victoriam pertineat. Ait enim Suetonius, Auguſtum ædem Marti vltori pro vltione paterna vouiſſe. Naualem victoriam ſecundus arguit. Poteſt ad Actiacam referri, vel ad eam qua Sex. Pompeius fuſus eſt. Tertius eo fortaſſe tempore percuſſus eſt, 2.
quo Auguſtus victo Antonio, & Cleopatra, Alexandriam venit per idem tempus, 3.
inquit Suetonius, conditorium & corpus Magni Alexandri cum prolatum e penetrali ſubieciſſet oculis, corona aurea impoſita & floribus aſperſis veneratus eſt: conſultuſque num & Ptolemæum inſpicere vellet: Regem ſe voluiſſe ait videre, non mortuos; Ægyptum in Prouinciæ formam redactam, &c. Iouis autem Ammonis percelebris erat cultus apud Ægyptios.




IVNIAE Gentis (*quæ a Iunio Comite Æneæ ſic dicta eſt*) cum multæ a
Scriptoribus Familiæ nominentur, BRVTORVM tantum & SILANORVM,
in denariis reperiuntur. BRVTORVM autem Familiam duplicem fuiſſe,
patriciam vnam, ex qua L. Brutus qui Reges eiecit, ortus ſit; alteram
plebeiam multiplicem, cuius Princeps L. Brutus primus Tr. pl. exſtiterit,
1. ſcribit Dionyſius. Primus tabellæ denarius & ſecundus pertinent ad eum Lib. 5.
2. BRVTVM, qui Patricius fuit, & eiectis Regibus libertatis Romanæ
autor, primuſque Conſul: cuius ænea ſtatua in Capitolio inter Reges
ſtricto enſe poſita erat, vt tradit Plutarchus. *Et a quo Iunium Menſem dictum* In Bruto.
fuiſſe ait Macrobius, propterea quod eo Menſe Kal. Ian. pulſo Tarquinio ſacrum Saturn. l. 1.
Carnæ Deæ in Cœlio monte voti reus fecerit. Eius meminit Cicero, his verbis: Lib. 2. Phil.
Etenim ſi autores ad liberandam patriam deſiderarentur, illis autoribus, "
Brutos ego impellerem, quorum vterque L. Bruti imaginem quotidie "
videret, alter etiam Ahalæ. Subſcripſere, inquit Suetonius, quidam L. "
Bruti ſtatuæ, Vtinam viueres. Ex hac igitur ſtatua Bruti imaginem quam In Cæſare Cap. 80.
in denariis habemus, expreſſam eſſe credendum eſt: quos quidem dena-
rios a M. Bruto Cæſaris interfectore, quod ab eo genus ſuum duceret, Lib. 1. Phil.
cuſos eſſe opinor: Nam L. Brutus, inquit Cicero, qui & ipſe Regio "
dominatu Remp. liberauit, ad ſimilem virtutem, & ſimile factum, ſtirpem "
iam prope in quingenteſimum annum propagauit. Idem cum Cicerone de "

Lib. 4. M. Bruti genere ſentit Plutarchus in Bruto, licet Dio commentum id fuiſſe Populum Romanum tradat, vt ad liberandam patriam veteris Bruti exemplo illum incitaret. *Rumorem hunc in vulgus diſſeminauere qui ob Cæſaris necem Brutum oderant, ſed Plebeium eſſe aiebant ex diſpenſatore quodam illius Bruti tyrannicidæ genus traxiſſe qui paulatim in huius Familiæ inſignia & nomen irrepſerit; neque enim veriſimile eſt eius ſupereſſe ſobolem qui filios ſecuri percuſſerit. Poſidonius* In Bruto. *autem apud Plutarchum ait, vnum adhuc puerum ſuperſtitem relictum fuiſſe, qui genus fecerit, vnde etiam aliquam huius ſtatuæ ſimilitudinem præ ſe ferre Brutos.* Ad ſecundum tabellæ denarium, in quo L. BRVTVS Conſul ſiue Prætor (ſic enim a præeundo dicebatur) & lictores cum faſcibus impreſſi ſunt, reſpexiſſe videtur Virgilius,

Lib. 6. Æneid.

> Conſulis imperium hic primus ſæuaſque ſecures
> Accipiet, &c.

Quem quidem denarium a Traiano Imp. Optimo Principe, multis poſt annis reſtitutum fuiſſe ex titulo IMP. CAESAR TRAIANVS AVG. DACICVS REST. qui in alio huic ſimili denario inſcriptus eſt, intelligimus. De SERVILIO AHALA, cuius eſt altera effigies, in primo denario ſignata, in gente Seruilia, vnde Bruti mater Seruilia orta fuit, ſuo loco dicetur. *Quoniam autem in eundem ordinem cogi ſolet nummus ille aureus quem hic ſeorſim excudi curauimus, & cum ſuperiori ab rei antiquæ ſtudioſis in ſcriniis recondi: rationem reddam, cur a me e Familia Iunia Brutorum eiectus eſt. Scilicet eo induxerat typi ſimilitudo, quæquidem cum inſcriptione vacet quæ hunc Iuniis addicat ſufficere mihi non videtur, præſertim quum aliis argumentis veri-ſimilioribus alio traduci facile poſſit.* COSSA, *inquit* Lib. 3. hiſt. nat. cap. 5. *Plinius, Colonia Volcientium (alij legunt Volſinienſium) a populo Romano deducta eſt. Hanc vrbem Virgilius* COSAS *vocat, cum quo conuenit nummi titulus*



Lib. 2. ΚΟΣΩΝ. *Ad mare Etruſcum, deducta eſt, vt ait Velleius, C. Fabio Dorſuone, C. Claudio Canina Coſſ. hoc eſt anno* V. C. CDXC. *aucta vero L. Furio Purpureone,* Lib. 27. *M. Claudio Marcello Coſſ. vt ait Liuius hoc eſt ſub annum* V. C. DLVII. *Sita erat non longe a portu Herculis qui etiam hodie nomen retinet.* COSANOS *recenſet Liuius inter eos Colonos qui bello Punico in fide manſerunt. Eius coloniæ deductionem aut inſtaurationem innuit III-Virorum typus, quibus id muneris datum fuerat. Alij addunt ad calamitatem agri Coſani referri poſſe, qui cum a ſoricibus, vt refert Volaterranus, deuaſtatus fuiſſet, nec colonos alere poſſet, ij ſedibus ſuis excedere coacti ſunt, quem diſceſſum vel potius reditum exhiberi putant. Sed Rutilius* In itinerario. *Numacianus hanc fictæ migrationis cauſam irridet. Quod aquilam ſpectat, quæ ſiniſtro pede ſceptro innititur, dextro coronam lauream attollit, ad Iouem Vicilinum eſt referenda; Liuius dum ea prodigia recenſet, quæ Q. Fabio Maximi Filio & T. Sempronio iterum Coſſ. nuntiata fuerant, ait, Arma quæ in Iouis Vicilini templo in agro Coſano*


poſita fuerant crepuiſſe hoc eſt anno v. c. dxxxviii. *quæquidem obiter dicta ſunto.*
3. Tertio tabellæ denario, quamuis multi ex gente Iunia Marci cognomen habuerint, opinor tamen deſignari M. Ivnivm Silanvm eum, qui
4. Auguſti collega in nono Conſulatu fuit anno dccxxviii. Quarto &
5. quinto, C. Ivnivm C. F. Silanvm, qui Conſul fuit cum C. Furnio anno dccxxxvi. quo quidem anno ludi Sæculares quinti ex S. C. facti ſunt.
6. Sextum, ſeptimum, & octauum denarium pertinere arbitror ad D. Ivnivm
7. Silanvm fratrem fortaſſe M. Silani Conſulis anno dcxliv. qui L. F.
8. in Faſtis deſcriptus eſt. Quemque Sigonius putat de Luſitaneis anno dcliii. triumphaſſe: in vtroque autem denario impreſſus eſt torques, a quo Manlia Torquatorum Familia cognomen inuenit: qui certe torques, quo ſpectet, quærendum eſt: ſpectat autem vt arbitror, ad indicandam adoptionem qua D. hic Silanvs, qui denarios cuſit ex Manlia Torquatorum Gente in Iuniam Familiam adoptatus fuit. Eius cum alij meminerunt, tum Cicero, his Lib. 1. de Finibus. verbis, Quid T. Torquatus is, qui Conſul cum Cn. Octauio fuit, anno dlxxxviii. Cum illam ſeueritatem in eo filio adhibuit, quem in adoptionem D. Silano emancipauerat, vt eum Macedonum Legatis accuſantibus, quod pecunias Prætorem in Prouincia cepiſſe arguerent, cauſam apud ſe dicere iuberet, reque ex vtraque parte audita, pronuntiaret eum non talem fuiſſe videri in imperio, quales maiores eius fuiſſent, & in conſpectum ſuum venire vetuit, &c. Fuit autem Prætor D. Silanus Torquati filius anno dcxii. Cum Macedonum, inquit Liuius, Legati conqueſtum Lib. 54. veniſſent de Iunio Silano Prætore, quod acceptis pecuniis Prouinciam, ſpoliaſſet: & Senatus de querelis eorum vellet cognoſcere, T. Manlius Torquatus Silani pater, petiit, impetrauitque, vt ſibi huiuſmodi cognitio mandaretur, & domi cauſa cognita filium condemnauit, abdicauitque, ac ne funeri quidem eius, cum ſuſpendio vitam finiſſet, interfuit: ſedenſque domi poteſtatem conſultantibus ex inſtituto fecit. His addi poſſunt illa Valerij Maximi. T. autem Manlius Torquatus cum ad Senatum Lib. 5. c. 8 Macedonia de filio eius D. Silano, qui eam Prouinciam obtinuerat, querelas per Legatos detuliſſet, &c. Ex antiquis etiam inſcriptionibus quarum exempla infra ſubiecimus, Manlium aliquem per adoptionem in Iuniam Familiam inſertum aliquando fuiſſe intelligere poſſumus.

Ivnoni
Ivniae C. Silani F.
Torqvatae
Sacerdoti Vestali
annis lxiv.
Caelesti Patronae
Activs L.

Ivniae C. Silani F.
Torqvatae Vir. Vest.
Maximae
Ivvenio L.


Huius autem Torquatæ mentio exſtat apud Tacitum his verbis, Id ſororem Lib. 3 quoque Silani Torquatam priſcæ ſanctimoniæ virginem expetere. Salutis imago in ſeptimo denario expreſſa ad C. Ivnivm Bvbvlcvm Brvtvm pertinet, qui eius Deæ ædem quam Conſul vouerat, Cenſor locauerat,

Liuius lib. 9. & 10. Dictator dedicauit. *Conſul autem fuit tertium anno* V.C. CCCCXLII. *quo anno de Samnitibus triumphum egit, Magiſter Equitum anno* CCCCXLIV. *Cenſor anno* CCCCXLVI. *Dictator* CCCCLI. *quo de Equis triumphauit. Qui ſequitur nummus aut ad eumdem pertinet aut ad eum qui in Capitol. marm.* C. IVNIVS C. F. C. N. BRVTVS BVBVLCVS *dicitur qui Cos.* II. *de Lucanis & Bruttieis triumphauit anno* CDLXXVI. *Non. Ian.*



PRIMI duo huius tabellæ nummi ad eumdem, vt opinor, D. 1.
SILANVM: tertius vero ad eius fratrem M. SILANVM L. F. ſpectat, 2.
quem ſupra diximus Conſulem fuiſſe anno DCXLIIII. cum Q. Cæcilio 3.
Metello, qui Numidicus appellatus eſt. In nummo etiam æreo Cn. Domitij,
M. hic SILANVS notatus eſt in ea tabella, in qua Gentis Domitiæ denarij
inciſi ſunt. Quartus denarius pertinet ad M. BRVTVM Cæſaris inter- 4.
Plutarch. fectorem, qui fuit filius M. Bruti eius qui Mutinæ a Pompeio Magno
occiſus eſt. In huius autem denarij vna parte effigies ipſius Bruti expreſſa
eſt, in altera pileus & pugiones: Bruti quidem effigiem his verbis deſcripſit
Lib. 14. ad Atticum. Cicero, Non te Bruti vulticulus ab iſta oratione deterret, &c. Pugiones
vero cum titulo EID. MAR. adiecti in ea ſunt, quod eo teli genere
Sueton. & alij. » Cæſar a Bruto & aliis coniuratis interfectus Idibus Martiis fuit. Inde etiam
Lib. 2. Philip. » Cicero dixit, Cæſare ſtatim interfecto cruentum alte extollens M. Brutus
» pugionem, Ciceronem nominatim exclamauit, &c. Pileum autem libertatis
» ſymbolum fuiſſe, omnibus notum eſſe opinor. De hac Cæſaris nece ſic

ait Appianus, καὶ πῖλεόν τις ἐπὶ δόρατος ἔφερεν σύμβολον ἐλευθερώσεως. Hoc eſt, Lib. 2.
pileum alius haſtæ fixum ferebat ſymbolum libertatis. Denarius autem a
L. PLAETORIO CESTIANO cuſus, vt videtur, fuit, cum Brutus deuictis
Beſſis Imperator appellatus, reuerſus in Aſiam eſſet: de qua quidem Imp. In Bruto.
appellatione, Plutarchus quoque mentionem fecit. Huius vero Numiſmatis Lib. 47.
vel huic ſimilis alicuius meminiſſe videtur Dio, cum inquit, Βροῦτος μὲν
ταῦτά τε ἔπραττεν, καὶ ἐς τὰ νομίσματα ἃ ἐκόπτετο, εἰκόνα τε αὐτοῦ, καὶ πῖλεον ξιφίδιά τε
δύο ἐνετύπου, δηλῶν ἔκ τε τούτου, καὶ διὰ τῶν γραμμάτων, ὅτι τὴν πατρίδα μετὰ τοῦ
Κασίου ἠλευθερωκὼς εἴη. Hoc eſt, hæc Brutus egit, qui etiam Numiſmati
quod cudebat ſuam imaginem cum pileo ac duobus pugionibus incidit,
eo & Inſcriptione declarans, patriam a ſe & Caſſio in libertatem vindicatam,
&c. Sed cum nulla Caſſij mentio in eo denario facta ſit, credi poteſt vel
alium ad Dionis manus perueniſſe denarium, ab hoc aliqua in parte diſſi-
milem, qui non exſtet; vel memoria lapſum Dionem, pro Idibus Martiis
5. μετὰ Κασίου ſcripſiſſe. Quintus ab eodem L. PLAETORIO cuſus eſt, cum
eadem BRVT. IMP. inſcriptione. Fuit autem Brutus, vt opinor Pontifex,
vel XV Vir ſacris faciundis, ſiue alio ſacerdotio præditus, vt ex iis quæ in
6. ſexto & ſequentibus denariis ad rem ſacram faciendam inſtrumenta impreſſa
7. ſunt coniicere licet. Septimus huius tabellæ denarius nihil habet aliud,
quod ad Brutum pertineat, præter IMP. Inſcriptionem, de qua ſupra
dictum eſt. Reliqua ſpectant ad C. CASSIVM LONGVM, & M.
SERVILIVM CASCAM, Cæſaris & ipſos percuſſores; quamuis Victoria
nauis proræ inſiſtens ad Brutum etiam poſſit aliquo modo referri: qui
claſſe, quam bello ciuili parauerat, mediterraneum mare ſubiecerat. Ἐν δὲ
τῇ Σμύρνῃ, inquit Plutarchus, τότε τῶν χρημάτων ἃ πολλὰ συνειλόχει Κάσιος, ἠξίου In Bruto.
ὁ Βροῦτος μεταλαβεῖν· τὰ γὰρ ὄντα κατανηλωκέναι ναυπηγούμενος στόλον τοσοῦτον, ᾧ πᾶσαν ὑφ'
ἑαυτοῖς ἕξουσι τὴν θάλασσαν. Hoc eſt, Smirnæ tum poſtulauit a Caſſio Brutus,
vt is ſecum pecunias, quas multas collegerat, communicaret: ſuas enim
ſe conſumpſiſſe fabricanda ea claſſe, qua obtinere totum mediterraneum
8. mare poſſent. Octauus denarius à PEDANIO COSTA Bruti Legato
cuſus, nihil habet aliud notatu dignum, præter eandem de Subactis Beſſis,
Imperatoris appellationem, de quibus trophæum quoque, vt apparet, erexit
Brutus.



AD primi denarij Inſcriptionem mirifice faciunt ea, quæ in Cicerone de Quinto Cæpione Bruto Pro-Cos. ſcripta leguntur. Ex illo enim Senatus conſulto, quod in Ciceronis ſententiam factum eſt, & ex hoc denario intelligimus, M. Brutum a Q. Seruilio Cæpione auunculo adoptatum, ex vſitata adoptionis formula Q. CAEPIONEM BRVTVM appellatum fuiſſe, quod Plutarchus quoque teſtatur. Ciceronis autem verba ſunt hæc. Quæ cum ita ſint, quod C. Panſa Conſul verba fecit de litteris, quæ a Q. Cæpione Bruto Pro-Cos. allatæ & in hoc ordine recitatæ ſunt, de ea re ita cenſeo. Cum Q. Cæpionis Bruti Pro-Cos. opera, conſilio, induſtria, virtute, difficillimo Reip. tempore, Prouincia Macedonia, Illyricum, & cuncta Græcia, & Legiones, exercitus, equitatus, in Conſulum, Senatus, populique Romani poteſtate ſint: id Q. Cæpionem Brutum Pro-Cos. bene & e Rep. & pro ſua maiorumque ſuorum dignitate conſuetudineque Reip. bene gerendæ feciſſe: eamque rem Senatui populoque Romano gratam eſſe & fore: vtique Q. Cæpio Brutus Pro-Cos. Prouinciam Macedoniam, Illyricum, cunctamque Græciam tueatur, defendat, cuſtodiat, incolumemque conſeruet; eique exercitui, quem ipſe conſtituit, comparauit, præſit, &c. His addenda Dionis etiam illa, quæ denarij huius titulum maxime illuſtrant. Βροῦτος δὲ πράξας ταῦτα, καὶ τήν τε Μακεδονίαν μετὰ τοῦτο πᾶσαν, καὶ τὴν Ἤπειρον προσλαβών, ἐπέστειλε τῇ γερουσίᾳ τά τε πραχθέντα οἱ δηλῶν, καὶ ἑαυτὸν, τά τε

Lib. 10. Philipp.


In Catone Vticenſe.

Lib. 47.

ἔθνη, καὶ τοὺς στρατιώτας ἐπ' αὐτῇ ποιούμενος. οἱ δ' (ἔτυχον γὰρ ὑπόπτως ἤδη πρὸς τὸν
Καίσαρα ἔχοντες) ἰσχυρῶς τε αὐτὸν ἐπῄνεσαν, καὶ πάντων τῶν ἐκεῖ χωρίων ἄρχειν ἐκέλευσαν.
ὡς οὖν καὶ ἐκ τοῦ δόγματος τὴν ἡγεμονίαν ἐβεβαιώσατο. Hoc eſt, His rebus geſtis, "
cum totam Macedoniam, Epirumque cepiſſet, litteris ad Senatum datis, "
ei quæ geſſiſſet, expoſuit, ſeque & milites ac Prouincias in eius poteſtate "
tradidit. Senatus quod iam tum ſuſpectum haberet Cæſarem, ſummopere "
eum laudatum omnibus illis regionibus præeſſe iuſſit. Quo S. C. confirmato "
ſibi imperio Brutus maiora iam conari cœpit, &c. Idem Dio Macedoniam " Lib. 46
Prouinciam Bruto fuiſſe decretam ſcribit, hunc ipſum Brutum, M. Cæpionem
Brutum appellat, quippe natum Seruilia Q. Cæpionis filia. Libertatis imago
in hoc denario adiecta eſt, ad indicandam interfecto Cæſare reſtitutam
patriæ libertatem, cum aliorum, qui conſpirauerant, tum Bruti maxime
opera, qui princeps eius conſpirationis fuerat. Lauri vero ramus & cithara,
quæ in altera eiuſdem denarij parte notata ſunt, quo referantur, dicendum
nunc eſt. M. Brutus & C. Caſſius quando Cæſarem interfecerunt, Prætores Cicero in
erant Vrbani, a Prætoribus autem Vrbanis Apollinares ludos celebrari ſolitos Philipp. Velleius
fuiſſe docet his verbis Liuius lib. xxv. S. C. factum eſt, vt x. Viri libros de ludis lib. 2. "Plutarch.
Apollini, reque diuina facienda inſpicerent: ea cum inſpecta, relataque in Bruto.
ad Senatum eſſent, cenſuerunt Patres, Apollini ludos vouendos faciendoſque, "Dio l. 47.
& quando ludi facti eſſent, XII. millia æris Prætori ad rem diuinam & duas "
hoſtias maiores dandas. Ludos Prætor in Circo Maximo cum facturus eſſet, "
edicit, vt populus per eos ludos ſtipem Apollini quantum commodum eſſet "
conferret. Et alibi, Ludi Apollinares, inquit, & priore anno fuerant, & eo anno " Lib. 26.
vt fierent, referente Calpurnio Prætore, Senatus decreuit vt in perpetuum " Lib. 27.
vouerentur. Et alibi, Decretum vt C. Hoſtilius Prætor ludos Apollini ſicut "
his annis voti, factique erant, roueret, faceretque. Et paulo poſt, ludi " Lib. 39.
Apollinares Q. Fuluio, Ap. Claudio Coſſ. a P. Cornelio Sulla Prætore Vrbis "
primum facti erant, vnde omnes deinceps Prætores Vrbani fecerunt. Et alibi, "
Senatus à Conſule eſt habitus, decretumque ſatis Prætorum eſſe. P. Cornelius
vtramque in Vrbe iuriſdictionem haberet, Apollinique ludos faceret, &c. Lib. 48.
De ludis Apollinaribus a M. Agrippa Prætore factis, videndus Dio. M.
autem Brutus & C. Caſſius Prætorio, quo ſumptu qua-ve magnificentia, per
alios cum ipſi abeſſent ludos Apollinares fieri curarint, ſcribit Plutarchus In Bruto.
his verbis, Ἤδη δὲ καὶ ὁ δῆμος ἀχθόμενος Ἀντωνίῳ σχεδὸν εἰς μοναρχίαν καθισταμένῳ.
Βροῦτον ἐπόθει. καὶ προσεδόκα τὰς θέας ἄξειν παρὼν αὐτὸς ἃς ὤφειλε στρατηγῶν παρέχειν.
αἰσθόμενος δὲ πολλοὺς τῶν ὑπὸ Καίσαρος ἐστρατευμένων, καὶ γῆν καὶ πόλεις παρ' ἐκείνου
λαβόντων, ἐπιβουλεύοντας αὐτῷ καὶ κατ' ὀλίγους παρεισρέοντας εἰς τὴν πόλιν οὐκ ἐθάρρησεν
ἐλθεῖν, ἀλλ' ὁ δῆμος ἐθεᾶτο, μὴ παρόντος ἐκείνου τὰς θέας ἀφειδῶς πάνυ χορηγουμένας
καὶ περιττῶς. θηρία τε γὰρ παμπόλλα συνεωνημένος, ἐκέλευσε μηδὲν ἀποδόσθαι, μηδὲ
ὑπολιπεῖν, ἀλλὰ πᾶσι καταχρήσασθαι. καὶ τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν αὐτὸς εἰς
νέαν πόλιν καταβὰς, ἐνέτυχε πλείστοις. περὶ δὲ Κανυτίου τινὸς εὐημεροῦντος ἐν τοῖς
θεάτροις ἔγραφε πρὸς τοὺς φίλους ὅπως πείσαντες αὐτὸν, εἰσαγάγωσιν. Ἑλλήνων οὐδένα
βιασθῆναι προσῆκεν. ἔγραφε καὶ Κικέρωνι πάντως παρατυχεῖν ταῖς θέαις δεόμενος. "
Hoc eſt, iam & populus Antonium prope regnum inſtituentem moleſte "
ferens Brutum deſiderabat: videbaturque ipſe præſens ludos, quos ob "

„ Præturam debebat, editurus. Sed cum ſentiret multos eorum, qui ſub
„ Cæſare ſtipendia fecerant, ab eoque erant agris & vrbibus donati, inſidias
„ ſibi ſtatuere, & ſenſim Romam intrare, venire eo non eſt auſus. ſpectauit
„ autem populus eos magnificentiſſime, abſente ipſo, apparatos. Nam &
„ beſtias cum coëmiſſet plurimas, nullam earum relinqui, aut vendi,
„ ſed abuti omnibus ad ſpectacula iuſſit: & ipſe Neapolim profectus cum
„ pleriſque hiſtrionibus locutus eſt: & de Canutio quodam, qui theatrali
„ arte nobilis erat, ad amicos ſcripſit, vt perſuaderent ipſi, vt operam ludis
Lib. 10. Philipp. „ ſuis nauaret. Non enim conueniebat quemquam Græcum cogere.
„ Ciceronem quoque per litteras orauit, vt omnino ſpectaculis iſtis intereſſet,
„ &c. Itaque Cicero de his ludis ita ſcripſit. Qui ne Apollinares quidem
„ ludos pro ſua populique Romani dignitate apparatos præſens fecit, ne
„ quam viam pateſaceret ſceleratiſſimorum hominum audaciæ. quanquam
Lib. 1. qui vnquam aut ludi, aut dies lætiores fuerunt, quam tum? &c. Et alibi,
„ Quid? Apollinaribus ludis plauſus vel teſtimonia potius & iudicia populi
„ Romani parum magna vobis videbantur? O beatos illos, qui cum
„ adeſſe ipſis propter vim armorum non licebat, aderant tamen, & in
„ medullis populi Romani ac viſceribus hærebant. Niſi forte Accio tum
„ plaudi & ſexageſimo tum anno palmam dari, non Bruto putabatis, qui ludis
„ ſuis ita caruit, vt in illo apparatiſſimo ſpectaculo ſtudium populus Romanus
„ tribuerit abſenti, vt deſiderium liberatoris ſui perpetuo plauſu & clamore
„ lenierit. Et alibi, Cur ludi Apollinares increduli M. Bruti honore celebrati?
Lib. 2. Ad hos igitur Apollinares ludos indicandos, quos in Prætura Brutus præſens
vouerat, abſens fecerat, in primo tabellæ denario laurus & cithara, quæ 3.
Apollini tributa ſunt in tertio & quarto tripos eidem Deo ſacer ſignatus 4.
eſt. Inſtrumenta quoque quibus ad rem diuinam faciendam vtebantur,
ſimpulum ſeu capedo, ſecuris & culter adiecta in eo ſunt, vel quod
Prætores Vrbani peractis ludis, Apollini duas hoſtias maiores, vt ſupra ex
Liuio docuimus, mactare ſoliti erant, vel quod Brutus aliquo ſacerdotio
præditus fuerit, ad quod notandum albogalerus etiam in quarto denario
Lib. 2. Philipp. impreſſus eſt. De C. Flavio Bruti Legato Pro-Quæſtore dictum eſt in
Gente Flauia. De L. autem Sestio item Pro-Quæſtore, dicetur in Seſtia. Eos
„ autem fortaſſe deſignat Cicero, cum inquit, cur Prouinciæ Bruto & Caſſio
„ datæ? Cur Quæſtores additi? Cur Legatorum numerus auctus. Quatuor poſte-
riores denarij pertinent ad D. Ivnivm Brvtvm Cæſaris & ipſum percuſſorem,
M. Bruti propinquum, qui ab A. Poſtumio adoptatus, A. Postvmivs
In Cæſare. Brvti F. Albinvs dictus eſt, de hoc ita ſcribit Plutarchus. Τὸν θ' ἕτερον
Βροῦτον, ἐπίκλησιν Ἀλβῖνον, ἄλλως μὲν οὐκ ὄντα ῥέκτην, οὐδὲ θαρραλέον, ἐρρωμένον δὲ
πλήθει μονομάχων, οὓς ἐπὶ θέα Ῥωμαίων ἔτρεφεν, καὶ παρὰ Καίσαρι πιστευόμενον, ἐδόκει
„ προσαγαγέσθαι. Hoc eſt, Viſum deinde Brutum Albinum etiam adiungere,
„ virum neque ſtrenuum ſane neque audacem, ſed gladiatorum manu, quos
„ ad exhibendos Romanis ludos alebat, munitum, & cui fidem Cæſar haberet.
Eundem in Antonio & in Cæſare appellat Δέκιμον Βροῦτον ἐπίκλησιν Ἀλβῖνον.
Ἐν δὲ τούτῳ, inquit, Δέκιμος Βροῦτος ἐπίκλησιν Ἀλβῖνος, πιστευόμενος μὲν ὑπὸ Καίσαρος
ὥς τε καὶ δεύτερον ὑπ' αὐτοῦ κληρονόμοι γεγράφθαι. τοῖς δὲ περὶ Βροῦτον τὸν ἕτερον καὶ

Κάσσιον μετέχων τῆς συνωμοσίας. Hoc eſt, Interim D. Brutus cognomento Albinus aduenit, cui Cæſar tantum tribuebat, vt eum in teſtamento ſuo ſecundum heredem ſcripſerit: is M. Bruti & Caſſij coniurationis ſocius, &c. Τὸν δὲ Lib. 44.
Τρεβώνιον, inquit Dio, τὸν Βροῦτον, τὸν Δέκιμον, ὃν καὶ Ἰούνιον, Ἀλβῖνόν τε ἐπεκάλουν οὐ δύναμαι παραλιπεῖν. Hoc eſt, Neque vero pretereundus eſt Trebonius, & D. Brutus, quem Iunium & Albinum appellabant. Τῶν δ' αὐτῷ Καίσαρι, ſcribit Appianus, φιλτάτων Δέκιμος Βροῦτος Ἀλβῖνος, &c. & alibi, Δέκιμον Βροῦτον Ἀλβῖνον Lib. 2.
eundem nominat. ALBINV autem pro ALBINVS, antiqua ſcribendi Lib. 3.
ratio fuit, qua LICINIV, & NASIDIV, pro LICINIVS & NASIDIVS in denariis notatum reperitur: idem obſeruauimus in M. littera in fine nominis poſita, vt PREIVER. CAPTV, pro CAPTVM in denario Hupſaei. A. autem hic POSTVMIVS BRVTI F. cum eſſet Conſul deſignatus in annum DCCXI. damnatus lege Pedia non iniit, ſed Mutinæ a M. Antonio obſeſſus, ab eodem poſtea ſuperatus eſt. Quo anno, inquit Velleius, id Lib. 2.
patrauere facinus, Brutus & C. Caſſius Prætores erant, D. Brutus Coſ. deſignatus. Paulo poſt. Plancus deinde dubia, id eſt, ſua fide, diu quarum eſſet partium ſecum luctatus, ac ſibi difficile conſentiens, & nunc adiutor D. Bruti deſignati Conſulis Collegæ ſui, Senatuique ſe litteris venditans, mox eiuſdem proditor. Aſinius autem Pollio firmus propoſito, & Iulianis partibus fidus, Pompeianis aduerſus; vterque exercitus tradidere Antonio. D. Brutus deſertus primo a Planco, poſtea etiam inſidiis eiuſdem petitus, paulatim relinquente eum exercitu, fugiens, in hoſpitis cuiuſdam nobilis viri
5. nomine Cameli domo, ab iis, quos miſerat Antonius iugulatus eſt. Spicea corona in altera quinti denarij parte adiecta fortaſſe fuit, quod ea D. Brutus donatus ſit, ob frumentum in annonæ caritate populo Romano ſuppeditatum, ædilitatis ſuæ tempore. Caduceus, & manus iunctæ (Concordiæ
7. ſymbolum) ad indicandam, vt arbitror, Cæſaris percuſſorum conſpiratio-
8. nem in ſeptimo & octauo denario ſignatæ ſunt.



PRIMVS denarius ad M. Brutum coniurationis principem pertinet, in 1.
cuius altera parte pila, caduceus, & nauis gubernaculum, orbis terrarum pacem, vt opinor, ſignificat; ac fortaſſe ἀμνηστίας Ciceronianæ tempore denarius hic cuſus fuit, quem ſuadente Cicerone, coniurati cum Lepido & Antonio rerum præteritarum obliuione inducta, pacem fecerunt; qua rurſus ciuilibus turbata diſſenſionibus, terrarum orbis domina Romana Reſp. nullo clauum tenente, fluctuare ceperat. Secundus denarius 2.
a M. IVNIO SILANO Antonij Quæſtore percuſſus eſt: quem quidem SILANVM Augurem fuiſſe, & prouinciam Pro-Conſulari poteſtate adminiſtraſſe, ex ipſa denarij Inſcriptione intelligimus. Antonij vero partes bello ciuili Mutinenſi ſecutum eſſe ex Dionis verbis colligere poſſumus.
Lib. 46. Ὁ μὲν Καῖσαρ ὅ τε Ἵρτιος ἐπηγέρθησάν τε ἐπὶ τούτοις, καὶ πρὸς τὸ ἔρυμα τοῦ Ἀντωνίου προσιόντες προεκαλοῦντο αὐτὸν ἐς χεῖρας. ἐκεῖνος δὲ τέως μὲν κατέπληκτο, καὶ ἡσύχαζεν. ἔπειτα ἐπειδὴ δύναμίς τε αὐτῷ παρὰ τοῦ Λεπίδου πεμφθεῖσα ἦλθεν, ἀνεθάρσησεν. αὐτὸς μὲν γὰρ ὁ Λέπιδος οὐκ ἀπεσάφησεν ὁποτέροις τὸ στράτευμα πέμψειε. τόν τε γὰρ Ἀντώνιον συγγενῆ ὄντα ἠγάπα, καὶ ὑπὸ τῆς βουλῆς ἐπ' αὐτὸν ἐκέκλητο. καὶ διά τε ταῦτα, καὶ ἅμα ἀναχώρησιν ἑαυτῷ πρὸς ἀμφοτέρους σφᾶς παρεσκεύαζεν, οὐδὲν σαφὲς Μάρκῳ Σιλανῷ τῷ στρατιάρχῳ ἐνετείλατο. ἐκεῖνος δὲ ἀκριβῶς που τὴν γνώμην αὐτοῦ εἰδὼς, πρὸς τὸν
„ Ἀντώνιον αὐτοκέλευστος ἀφίκετο. Hoc eſt, his ſucceſſibus acceſſit animus Cæſari
„ Hirtioque; ita vt ad caſtra Antonij progreſſi, eum ad pugnam prouocarent:
„ Antonius aliquandiu metu percuſſus quieuit, ſed copiis a Lepido ſibi auxilio
„ miſſis auctus, animum recollegit. Nam is quidem Lepidus Antonium
„ neceſſarium ſuum amabat, a Senatu autem contra eum euocatus erat;
„ itaque vt receptum ad vtramque partem ſibi pararet, M. Silano Tribuno
„ militum, exercitum ſuum ducendum dederat, ita vt expreſſe ei non mandaret,
„ vtri parti eum adiungeret, neque manifeſtum fecerat, vtri auxilium id
„ mitteret: ſed Silanus ſententiam Lepidi ſatis exploratam habens, ad Anto-
„ nium ſua ſponte ſeſe adiunxerat, paulo poſt. Ἀμέλει τόν τε Σιλανὸν ὁ Λέπιδος ἐπὶ τῇ τοῦ Ἀντωνίου συμμαχίᾳ διεμέμψατο, καὶ αὐτῷ ἐκείνῳ ἐλθόντι οὐκ εὐθὺς ἐς λόγους ἀφίκετο, ἀλλὰ καὶ τῇ γερουσίᾳ προσκατηγορῶν αὐτοῦ ἐπέστελλεν, ὥς τι καὶ ἐπαίνους ἐκ τούτου καὶ τὴν

ἡγεμονίαν τοῦ πρὸς αὐτὸν πολέμου λαβεῖν. Hoc eſt, certe Silanum Lepidus ob «
initam cum Antonio ſocietatem culpauit, neque eum ad ſe venientem «
continuo ad colloquium admiſit: quin immo apud Senatum quoque per «
litteras eum accuſauit, ita vt laudatus ob hæc, bellumque ei contra Silanum «
iniunctum ſit, &c. M. SILANI huius meminit Plutarchus in Antonio «
cui amiciſſimum fuiſſe dicit, ſed Cleopatræ adulatorum ſcurrilia ſcommata
3. non ferentem, poſtea reliquiſſe. *Hunc autem qui in tertio denario ſignatus eſt, quod Antonio coniunctiſſimus, fuerit probabile eſt cum Pro-Cos. eſſet tantum gratiæ & autoritatis habuiſſe, vt Antiochia in eius honorem nummos cudi curauerit quorum exemplum hic ſubiicitur. Quid veruex currens ſibi velit, ignoro. Stella ſane apud Antiquarios, vt alibi dixiſſe memini, earum regionum typus eſt, quæ ad Orientem ſitæ ſunt.*

LABIENA *refertur in gente* ATIA.




LICINIAE Gentis plebeiæ, MVRENAE tantum CRASSI, NERVAE, & STOLONES in nummis quos ipſi vidimus, reperiuntur. Quatuor
1. primi tabellæ aerei nummi cuſi ſunt, vt opinor a L. MVRENA eo, qui
2. Conſul fuit cum D. Iunio Silano anno DCXCI. pro quo Ciceronis exſtat oratio.
3. Eius cognomen cum a piſce nobiliſſimo, quem Græci Μύραιναν appellant,
4. deductum eſſe Varro dicat, miror cur non MVRAENA potius ſeruata Græcæ vocis orthographia ſcriptum ab antiquis fuerit, cum SCAENA pro SCENA, quæ Græcis eſt σκηνή, contra Græcam ſcribendi rationem notatum in

Lib.3 c.3.de re Ruſtica. veteribus cum libris, tum lapidibus reperiatur. Varronis verba ſunt hæc. Sic „ noſtra ætas, inquam, luxurioſa propagauit leporaria, ac piſcinas protulit „ ad mare, & in eas Pelagios greges piſcium reuocauit. Non propter hos „ appellati Sergius Orata, & Licinius Murena? quis enim propter nobilitatem „ ignorat piſcinas Philippi, Hortenſij & Lucullorum. Quintus tabellæ denarius 5. poteſt ad eundem L. LICINIVM pertinere qui cum Cn. Domitio, & C. Malleolo vt ex Inſcriptione intelligitur, cudendæ monetæ Trium-Vir fuit. De Sexto in Gente Porcia dicetur. Septimus ſine dubio ſpectat ad P. LICINIVM 6. Lib. 1. CRASSVM M. F. quem Cæſar in bello contra Gallos præfecit equitatui. 7. Cæſar de bello Gallico P. Craſſum, inquit, cum cohortibus legionariis XII. & magno numero equitatus in Aquitaniam proficiſci iubet, ne ex his nationibus auxilia in Galliam mittantur, ac tantæ nationes coniungantur, &c. P. hic CRASSVS Prætor fuit anno DCXCVI. P. Lentulo, Q. Metello Coſſ. Cicero poſt reditum in Senatu. Et anno DCC. Cn. Domitio Caluino, M. Valerio Coſſ. contra Parthos dimicans, Marco patre fuſo fugatoque, exercitu deleto, interfectus eſt; & in eius locum Cicero Augur factus eſt, vt ſcribit Plutarchus. Octauus denarius, cum NERVA Liciniæ Familiæ 8. cognomen ſit, & Siliæ incertum mihi, ad P. ne SILIVM NERVAM referendus ſit qui anno DCCXXXIV. cum M. Appuleio conſulatum geſſit; an ad P. LICINIVM NERVAM de quo nulla exſtat mentio apud Scriptores. Illud certe conſtat, quicunque is fuerit, qui monetam huiuſmodi cuſit, legem ipſum vel ex eius Familia aliquem, de ſuffragiis tuliſſe, cuiuſmodi fuit illa, quam tulit C. Marius Tr. Pl. anno DCXXXIIII. vt pontes per quos ſuffragia in comitijs ferebantur, anguſtiores fierent, Lib. 3. de leg. cuius meminit Cicero & Plutarchus in Mario. In huius autem denarij altera parte expreſſa ſunt SEPTA ſiue cancelli comitiorum, quibus populus ſuffragium laturus includebatur: PONTES, quos C. Marius lege ſua anguſtiores fecit, ne quis illic præter eum, qui ſuffragium ferret, conſiſtere poſſet ad appellandum rogandumque: CISTA præterea, in quam ſuffragia coniiciebantur, & DIRIBITOR, qui tabellas populo miniſtrabat. De cancellis ſiue ſeptis, quæ Lucanus appellauit ouilia, illo verſu,

——— & miſeræ maculauit ouilia Romæ.

Lib. 10. meminit Dionyſius, & Plutarchus in vita Marij, in qua ſcribit Marium in petitione Præturæ ambitus ſuſpicionem dediſſe, quod ſui cuiuſdam amici ſeruus intra cancellos viſus fuiſſet, dum populus ſuffragium dicebat, in eis enim præter ſuffragatores & miniſtros Comitiorum, non licebat cuiquam „ conſiſtere: de his locutus eſt Seruius cum inquit, Septa in campo Martio „ incluſa tabulatis, in quibus ſtans populus ſuffragium ferret. Pontes autem Lib. 1. ad Att. in ſeptis multos fuiſſe, ex Ciceronis verbis, intelligi poteſt. Operæ Claudianæ pontes occuparant, tabellæ miniſtrabantur. Et ad Herenn. Lib. 1. „ Cæpio, vt illum contra S. C. intercedentibus collegis aduerſus Remp. vidit „ ferre, cum bonis viris impetum facit, pontes diſturbat, ciſtas deiicit. Sed vnde ſuffragatores venirent, & quo per illos pontes abſcederent, docet Nicolaus Grucchius in ſuo de comitiis Romanorum libro; in quo ex ſupra

adducto Ciceronis loco, exiſtimat ſubitario opere ponticulos illos ad eum vſum fieri ſolitos, aut ſane non admodum firmo & ſtabili factos fuiſſe, quos Cæpio non confregiſſe, ſed diſturbaſſe dicitur. De ciſtis (quas qui deferebat colligendis per Tribus ſuffragiis Rogator dicebatur) meminit, Lib. 1. ad Herenn. Cicero Saturninus, inquit, ferre cœpit, collegæ eius intercedere: Ille " nihilominus ciſtellam detulit, &c. Ciſtarum huiuſmodi in comitiis cuſtodes " nongentos ſelectos fuiſſe ſcribit Plinius. De Diribitoribus, qui tabellas populo Lib. 33. c. 1. per centurias miniſtrabant, qui ſunt à diribendis, hoc eſt, diſtribuendis In Orat. tabellis appellati, facit mentionem Cicero. Quando, inquit, illa dignitate poſt redit. in Senatu. Rogatores, Diribitores, Cuſtodeſque vidiſtis? In oratione autem in Piſonem " Diſtributores eoſdem vocauit, his verbis. Hoc certe video, quod indicant " tabulæ publicæ, vos Rogatores, vos Diſtributores, vos Cuſtodes fuiſſe. "



PRIMVS huius tabellæ denarius ſecundus & tertius poteſt ad A.
1. LICINIVM NERVAM eum pertinere, qui anno DLXXXII. in
2. Cretam primo, deinde triennio poſt in Macedoniam ad exercitus viſendos
3. Legatus miſſus eſt. Quidam ad A. LICINIVM NERVAM SILIANVM Liuius lib. 42. & 43.
referunt, qui Cos. fuit cum Q. Cæcilio Metello Cretico Silano anno DCCLIX. qui cum P. Silij filius eſſet, ab A. Licinio Nerua adoptatus, A. Licinius Nerua Silianus dictus eſt. De eo meminit Velleius his verbis. Et A. Licinius Lib. 2. " Nerua Silianus P. Silij filius, quem virum ne qui intellexit quidem, abunde "

„ miratus eſt, ne nihil optimo ciui, ſimpliciſſimo duci periiſſet, præreptus
„ immature, & fructu ampliſſimæ principis amicitiæ, & conſummatione
„ euectæ in altiſſimum paternumque faſtigium imaginis defectus eſt. Apollinis
caput, & deſultorius eques in altera primi ſeſtertij nummi parte notatus,
Apollinares ludos ab aliquo ex Licinia Gente, cum Prætor eſſet, in Circo
factos, ſine dubio deſignant; in altera etiam ſecundi & tertij denarij parte
inſigne aliquod eiuſdem Gentis factum expreſſum eſt, quod mihi diuinare
non licet. De fidei vero ſimulacro quod albo panno velatum, aliter atque
Lib. 1. Ode 35. in his denariis, effingeretur, vel ex illo Horatij verſu conſtat.

——— & albo rara Fides colit
Velata panno.

Quinam ille ſit Nerua qui quarto & quinto denario celebratur ignoro: certe coniu- 4.
rationis in C. Iulium Cæſarem participem fuiſſe ſatis declarat D. Bruti nomen, vna 5.
cum fidei ſimulacro & ſymbolo, hoc eſt manibus iunctis. Nerua qui in quinto ſcribitur,
quoniam caret prænomine, quo pertineat dubium eſt. P. vero NERVAM *neminem* 6.
apud veteres reperio. A. LICINIVS NERVA SILIANVS qui Trium-Vir
ſub Auguſto ſeptimum huius tabellæ nummum aereum cuſit, is eſt quem 7.
ſupra diximus a P. Silio adoptatum, Conſulem fuiſſe anno DCCLIX.



P LICINIVM STOLONEM qui in vltimo prioris, & tribus primis 1.
huiuſce tabellæ nummis deſcriptus eſt, ex ipſis nummorum titulis 2.
Auguſti temporibus vixiſſe, & ſub eodem cudendæ monetæ Trium-Virum 3.
fuiſſe,

fuiſſe intelligimus. Poſſumus etiam ex iis, quæ in altera parte ſecundi & tertij denarij impreſſa ſunt, coniicere, vnum ex duodecim Saliis eum fuiſſe, vel maiorum ſuorum aliquem; propterea quod Saliorum ſunt ancylia, de quibus dixit Lucanus, Lib. 1.

Et Salius læto portans ancylia collo. "

Niſi ad Auguſtum & eius ludos ſæculares ancylia huiuſmodi referre malimus, quia Patricij erant Salij, STOLO vero plebeius. Cicero pro domo ſua, & Lucanus. Lib. 9.

———————ſic illa profecto "
Sacrificio cecidere Numæ, quæ lecta iuuentus "
Patricia ceruice mouet, &c. "


Quod autem apicem Salij ferre ſoliti eſſent, ſatis conſtat ex his Sex. Pompeij verbis. Salias, inquit, virgines Cincius ait eſſe conductitias, quæ ad Salios adhibeantur cum apicibus paludatæ, quas Ælius Stilo ſcripſit ſacrificium facere in Regia cum Pontifice Paludatas cum apicibus in modum Saliorum. Sex. idem Pompeius de ancylibus ita ſcribit. Numa Pompilio regnante " e cœlo cecidiſſe fertur ancyle, id eſt ſcutum breue, quod ideo ſic eſt " appellatum, quia ex vtroque latere erat reciſum: Vt ſummum infimum " eius latius medio pateret: vnaque edita vox, omnium potentiſſimam fore " ciuitatem, quamdiu id in ea manſiſſet. Itaque facta ſunt eiuſdem generis " plura, quibus id miſceretur, ne internoſci cœleſte poſſet. Probatum opus " eſt maxime Mamurij Veturij, qui præmij loco petiit, vt ſuum nomen inter " carmina Salij canerent, &c. Cum Feſti verbis de ancylium forma conuenit In Numa. Plutarchi locus. Αὐτὰς δὲ τὰς πέλτας, inquit, ἀγκύλια καλοῦσι διὰ τὸ σχῆμα, κύκλος γὰρ οὐκ ἔστιν, οὐδὲ ἀποδίδωσιν ὡς πέλτη τὴν περιφέρειαν, ἀλλ᾽ ἐκτομὴν ἔχει γραμμῆς ἑλικοειδοῦς, ἧς αἱ κεραῖαι καμπὰς ἔχουσαι, καὶ συνεπιστρέφουσαι τῇ πυκνότητι πρὸς ἀλλήλας, ἀγκύλον τὸ σχῆμα ποιοῦσιν. ἢ διὰ τὸν ἀγκῶνα, περὶ ὃν περιφέρονται. Ταῦτα γὰρ ὁ Ἰόβας εἴρηκε γλιχόμενος ἐξελληνίσαι. δύναιτο δ᾽ ἂν ἀπὸ τῆς ἀνέκαθεν φορᾶς πρῶτον ἐπώνυμον γεγονέναι, καὶ τῆς ἀκέσεως τῶν νοσούντων, καὶ τῆς τῶν αὐχμῶν λύσεως, ἔτι δὲ τῆς τῶν δεινῶν ἀνασχέσεως. Hoc eſt, Eas peltas ancylia ex figura vocant, neque enim circulus " eſt. Neque peltæ orbem, ſed habent inciſuram lineæ tortuoſæ, cuius reflexi " ſæpius apices, recurrenteſque in ſe mutuo ἀγκύλην, id eſt, curuam figuram " reddunt, aut à cubito, quem ἀγκῶνα Græci vocant, quo geſtant ancylia. Hæc " Iuba affectans a Græcis hoc nomen deriuatum, prædicat. Poteſt etiam ἀπὸ " τῆς ἀνέκαθεν φορᾶς, quod ſuperne demiſſum fuiſſet nomen eſſe inditum; vel " ab ægrorum medela, quam ἄκεσιν Græci, vel ab ſiccitatis liberatione, quos " αὐχμοὺς nominant; vel à malorum depulſione quæ ἀνάσχεσις dicitur, &c. In " numiſmate aereo Antonini Pij Imp. ancylia duo, cuiuſmodi in his denariis, impreſſa ſunt, quibus adiectus eſt titulus, ANCILIA: vt nihil dubij relinquatur, quin à Latina voce id nomen deductum ſit, non autem a Græca, vt Iuba volebat. Licinia Stolonum familia cognomen vnde duxerit, docet Lib. 1. de re ruſtica c. 2. Varro, his verbis. Nam Stolonis illa lex, quæ vetat plus quingenta iugera " habere ciuem Romanum, & qui propter diligentiam culturæ Stolonum " confirmauit cognomen, quod nullus in eius fundo reperiri poterat ſtolo, "

V


» quod effodiebat circum arbores e radicibus, quæ naſcerentur e ſolo, quos
» Stolones appellabant. Eiuſdem gentis C. Licinius Tr. Pl. cum eſſet poſt Reges
» exactos annis CCCLXV. primus populum ad leges accipiundas in ſeptem
» iugera forenſia e comitiis eduxit. Equeſtris ſtatua quæ in ſecundo denario
ſignata eſt, ad Auguſti victoriam aliquam, ob quam ei ſtatua huiuſmodi
decreta fuerit, ſine dubio pertinet. Quartus tabellæ denarius ſpectare 4.
videtur ad C. LICINIVM MACRVM qui fuit Licinij Calui Poetæ pater.
Eum Plutarchus in Cicerone ſcribit, cum de pecuniis repetundis apud
Ciceronem accuſatus eſſet, & Iudices ſententias ferrent, fretum ſua potentia
& ſtudio amicorum domum abiiſſe, & caput ſtatim totondiſſe, ſumptaque
veſte pura tanquam victorem in Forum reuertiſſe, ſed cum Craſſus in
veſtibulo occurrens, cum omnibus ſententiis damnatum eſſe dixiſſet,
reuerſum accubuiſſe, atque ita deceſſiſſe. Plutarchi verba ſunt hæc. Λέγεται
δὲ καὶ Λικίνιος Μάκερ, ἀνὴρ καὶ καθ' αὑτὸν ἰσχύων ἐν τῇ πόλει μέγα, καὶ Κράσσῳ χρώμενος
βοηθῷ, κρινόμενος κλοπῆς ἐπ' αὐτοῦ τῇ δυνάμει καὶ σπουδῇ πεποιθὼς, ἔτι τὴν ψῆφον τῶν
κριτῶν διαφερόντων, ἀπαλλαγεὶς οἴκαδε, κείρασθαί τε τὴν κεφαλὴν κατὰ τάχος, καὶ καθαρὸν
ἱμάτιον ὡς νενικηκὼς λαβὼν, αὖθις εἰς ἀγορὰν προσιέναι. Τοῦ δὲ Κράσσου περὶ τὴν
αὔλειον ἀπαντήσαντος αὐτῷ καὶ φράσαντος, ὅτι πάσαις ἑάλωκε ταῖς ψήφοις, ἀναστρέψας καὶ
κατακλιθεὶς ἀποθανεῖν. Valerius autem Maximus rem hanc, paulo aliter narrat: in
Lib. 9. c. 12. quo hunc ipſum C. Licinium Macrum virum Prætorium, Calui etiam patrem
appellat. Cicero ep. 11. l. 1. ad Att. quam Prætor ſcripſit anno DCLXXXVIII. Nos,
" inquit, incredibili ac ſingulari populi voluntate de C. Macro tranſegimus:
" cui cum æqui fuiſſemus, tamen multo maiorem fructum ex populi exiſti-
" matione illo damnato cepimus, quam ex ipſius, ſi abſolutus eſſet, gratia
" cepiſſemus. De Ve-Iouis ſimulacro, quod in altera parte huius denarij
notatum eſt, diximus ſupra in Familia Caſſia. Quintus, ſextus & ſeptimus 5.
denarius non eſt dubium quin a P. LICINIO CRASSO IVNIANO 6.
Ep. 8. lib. 3. ad Q. Fratr. ſignati in Africa ſint, cum eſſet in ea Scipionis Legatus Pro-Prætore. Cicero 7.
» facit de eo mentionem, cum inquit, Craſſum Iunianum hominem mihi
» deditum per me deterruit, &c. Videtur autem Craſſus hic, cum ex Iunia
Familia natus eſſet, a P. Licinio adoptatus, ex vſitata illa adoptionum
formula, Craſſus Iunianus appellatus eſſe. Ita T. Pomponius Atticus in Q.
Cæcilij auunculi ſui Familiam adoptionis iure inſertus, Quintus Cæcilius
Lib. 4. de bel. Alex. Pomponianus Atticus dictus eſt; & Vinicius apud Hirtium M. Cælium in ep.
Lib. 8. IV. ad Ciceronem, a Cælio quodam adoptatus, Cælius Vinicianus appellatus
fuit: ſic enim plane habent optimæ notæ exemplaria, vt de mendo ſuſpi-
cari aliquo modo non liceat. Quo magis minor quid impulerit doctiſſimum
virum Paulum Manutium, vt apud Ciceronem in ea, quam ſupra adduximus
epiſtola, Licinianum repoſuerit pro Iunianum. Eundem hunc eſſe arbitratus
cum eo, qui ab Hirtio & M. Cælio nominatur Cælius Vinicianus, ſiue vt
ipſe reſtituit, Licinianus. Quaſi vero, aut Viniciæ Familiæ mentio apud
Scriptores non exſtaret, aut Vinicianus cognomen a communi adoptionis
formula abhorreret. *Octauo nummo incertum eſt quiſnam indicetur. Certe cum* 8.
commune ſit cognomen CRASSVS, *veriſimilior mihi videtur coniectura, quæ hunc*

CANIDIO CRASSO M. Antonij Legato tribuit, viro apud eum gratioſo & præpotenti ἀνδρὶ παρὰ Ἀντωνίῳ δυναμένῳ μέγιστον, *inquit Plutarchus; hunc Antonius in hac altercatione, quæ libellis famoſis & habitis hinc inde orationibus Cæſarem inter & Antonium contigit, propter Octauiam & Cleopatram; cum ad arma rem ſpectare videret, ad mare iuſſit deſcendere cum ſexdecim legionibus. Hanc expeditionem fortaſſis indicat prora; quamquam enim terreſtrem exercitum poſtmodum duxit, tamen non abhorret huic commiſſam fuiſſe partem naualium copiarum in hac voluptuaria velificatione, quam in Samum cum Cleopatra obiit Antonius. Quod autem per Cleopatram, quam officiis omnibus demeruerat in Ægypto, plurimum poſſet, huius regni ſignum Crocodilus in altera nummi parte impreſſum eſt. Certe rudis hæc Crocodili figura mirifice Ægyptum ſapit & eius hieroglyphica.* Plutarch. in Anton.

LIVIA.



LIVIAE Gentis plebeiæ, vnius tantum SALINATORVM familiæ, in aereo nummo, cuius exemplum in hac tabella expreſſimus, mentio reperitur. Sed L. is SALINATOR, quis fuerit, quove tempore vixerit, non dum apud ſcriptores inuenire potui. Atqui nec alicuius ex ea familia, qui Lucij prænomine vſus fuerit, in antiquorum monumentis memoria extat. Liuius Lib. 39. facit mentionem eius Liuij, qui ob commentum in Cenſura ſalis vectigal, Salinatoris cognomen inuenit.




LIVINEIAE Gentis vna tantum REGVLORVM Familia, quæ in huius tabellæ denariis deſcripta eſt, apud ſcriptores reperitur. Nam L. Liuineius Trypho, qui nominatur a Cicerone libertus fuit L. REGVLI huius, quem in denariis habemus. Opinor autem in eis LIVINEIOS patrem & filium eodem affectos prænomine, & cognomine deſignari. L. REGVLI patris exſtat mentio apud Hirtium. Deinde, inquit, eodem die Adrumeto » egreſſus, Liuineio Regulo ibi cum Legione relicto, Vticam ire contendit, &c. Cicero quoque facit eiuſdem Reguli mentionem: quem Ædilem Curulem fuiſſe, ex iis quæ in altera parte primi, ſecundi, & ſexti denarij expreſſa ſunt, intelligere poſſumus. Eiuſdem Præturam ex tertij & quarti denarij inſcriptione, & Curuli ſella, quæ in quinto quoque denario addita eſt, cognoſcimus: ea enim Prætores vti ſolitos fuiſſe, ex veterum ſcriptorum auctoritate ſupra demonſtrauimus. Eundem autem Regulum Vrbis etiam Præfectum aliquando fuiſſe, ex tertij denarij inſcriptione apparet. Qui quidem omnes denarij, qui Liuineiæ Familiæ nomen præ ſe ferunt, quin à L. REGVLO filio, cum imagine patris ſignati fuerint, dubitandum non eſt.

Epiſt. 60. lib. 13.

Lib. 5. de bel. Afric. »

Lib. 3. ad Attic. & lib. 13. ad Memm.




HVIVS tabellæ nummi pertinent ad L. LIVINEIVM REGVLVM eius Reguli ,vt nos exiſtimamus, filium, qui in ſuperioris tabellæ denariis deſcriptus eſt. Eum autem, cum Trium-Vir fuiſſet cudendæ monetæ cum Siſenna & Pulchro ſub Auguſto, ab eodem poſtea Senatu motum fuiſſe, ſcribit Dio, Καὶ Λιουίνιος τέ τις Ῥήγουλος, inquit, ἀγανακτήσας ὅτι ὅ τε υἱέος, καὶ ἄλλων πολλῶν ὧν κρείσσων εἶναι ἠξίου διειλεγμένον ἀπηλήλιπτο, τήν τε ἐσθῆτα ἐν αὐτῷ τῷ βουλευτηρίῳ κατερρήξατο. καὶ τὸ σῶμα γυμνώσας, τάς τε στρατείας κατηριθμήσατο, καὶ τὰς οὐλὰς προσεπέδειξε σφίσιν. Hòc eſt, Et Liuineius quidem Regulus deletum « ſe ex albo patrum ægret ferens cum filius ipſius, & multi alij, quibus ſe « præſtantiorem eſſe iudicabat, in eo legerentur, in ipſa curia, veſte lacerata « corpus denudauit; enumeratiſque militiis ſuis, cicatrices oſtentauit. In « vulgatis autem ſcripturis pro Λιουίνιος mendoſe legitur Λικίνιος. Cornelius Tacitus Liuineium Regulum Piſoni, qui necis Germanici accuſabatur, adfuiſſe ſcribit, & alibi gladiatorum ſpectaculum ſub Nerone edidiſſe tradit. Sub idem, inquit, tempus leui contentione atrox cædes orta inter colonos Nucerinos Pompeianoſque gladiatorio ſpectaculo, quod Liuineius Regulus, quem motum Senatu retuli, edebat. Et paulo poſt, Liuineius & qui alij ſeditionem conciuerant, exilio mulctati ſunt, &c. Liuidineius pro Liuineius, male apud Tacitum librarij errore ſcriptum eſt. *Regulo alluſiſſe videtur ille qui ſceptrum retro caput primi denarij ſignauit vt Regis nomen effingeret.*

Lib. 3.

Lib. 3.

Lib. 14.



LOLLIAM Gentem plebeiam fuiſſe conſtat: ex ea enim ortus eſt M. LOLLIVS PALIKANVS Tr. pl. quem hominem ſeditioſum appellat

Lib.3.c.1. Valerius Maximus. Ad hunc ſpectant argentei denarij qui ſunt in hac tabella notati; in quorum primi altera parte Roſtra Populi Romani, in

Lib.8. altera LIBERTATIS caput expreſſum eſt. De Roſtris ita ſcribit Liuius.
„ Naues Antiatium paſſim in naualia Romæ ſubductæ, partimque incenſæ,
„ roſtriſque earum ſuggeſtum in foro exſtructum adornari placuit, Roſtraque

Lib.4. de lingua Latina. „ id templum appellatum. Ante Curiam, inquit Varro, Hoſtiliam Roſtra,
„ cuius id vocabulum ex hoſtibus capta fixa ſunt Roſtra. Cicero pro lege
„ Manilia. Et his temporibus non pudebat magiſtratus populi Romani in
„ hunc ipſum locum aſcendere, cum vobis maiores veſtri exuuiis nauticis
„ & claſſium ſpoliis ornatum reliquiſſent. Quia vero in Roſtris habebantur conciones a Tribunis plebis, vt ſcribit idem Cicero in Piſonem; & Tribunicia poteſtas a Sulla Tribunis adempta, Palikano autore, populo fuerat a Pompeio reſtituta, ob eam cauſam Palikanus qui fuit Tr. pl. anno DCLXXXI. Roſtra in hoc denario ſignauit. Eius rei meminit Aſconius in Diuinatione
„ his verbis: Primus Sicinius Tribunus plebis, nec multo poſt Quinctius,
„ & poſtremo PALIKANVS perfecerunt, vt Tribuniciam poteſtatem populo
„ darent Conſules Cn. Pompeius Magnus, & M. Licinius Craſſus. Et in

Lib. II. Verrem. Commentario. Pompeius autem Pro-Cos. de Hiſpania Sertorio victo nuper venerat, & ſtatim habuerat concionem de reſtituenda Tribunicia poteſtate


Lib. 2. Palikano Tribuno Pl. Hoc Conſulatu, inquit Velleius, Pompeius Tribuniciam poteſtatem reſtituit, cuius Sulla imaginem ſine corpore reliquerat. Hinc

Lib.36. Dio de Pompeio dixit, ἐπειδὴ γὰρ ἥ τε τῶν δημάρχων δυναστεία ἐς τὸ ἀρχαῖον ἐπανεληλύθει. Hoc eſt, Poſtea enim quam Tribunis plebis ſuum antiquum

ius reſtitutum fuerat, &c. Libertatis imago in hoc denario impreſſa eſt, quod Roſtra eſſent libertati ſacra. ἔν τε τῇ ἀγορᾷ τῇ Ρωμαίᾳ, καὶ πρὸς τῷ βήματι τῷ ἐλευθερείῳ. Hoc eſt, In foro Romano apud Roſtra libertati ſacra, &c. Secundus tabellæ denarius ad eundem pertinet M. LOLLIVM PALIKANVM, quem Ædilem Curulem fuiſſe, ex Curuli ſella & ſpicis in altera denarij parte expreſſis, facile intelligimus. *Tertius nummus hunc forte* M. LOLLIVM *indicat, qui ſub Auguſto Galatiam in Prouinciam redactam Pro-Prætore primus adminiſtrauit. Ad hunc fortaſſe ſcribit Horatius hac epiſtola quæ ſic incipit.*

Troiani belli ſcriptorem maxime LOLLI, *&c.*

4. *De* C. LOLLIO *II-Viro qui in quarto deſignatur & litteris P. S. tum de* L.
5. LOLLIO *quem quintus & ſextus nummus exhibet, quærendum. Certo quintus*
6. *Præturam indicat, vt hoc indicio appareat non vſquequaque plebeios Lollios fuiſſe. Dianæ autem caput & ceruus ſtans quid ſibi velint in hac Familia ignoro.*




LVCILIAE Gentis plebeiæ, Familiæ plures variis diſtinctæ cognominibus apud Scriptores reperiuntur. Balbi nominantur a Cicer. in Bruto: Baſſi in l. XII. ad Att. Longi & Capitones a Tacito, Blæſi l. XVII. RVFORVM autem nulla, quod ſciam, mentio exſtat: niſi forte M. LVCILIVS RVFVS, qui in hoc denario deſcriptus eſt, is fuit, quem Plurarchus in Pompeio ſcribit cum Tribunus plebis eſſet, de Pompeio Dictatore creando, multum repugnante Catone ad populum tuliſſe. Idem autem Plutarchus, in Bruto & Antonio, mentionem facit alterius Lucilij, qui adeo Brutum amauit, vt bello Philippenſi pro Bruto ſe hoſtibus interficiendum obiicerit. Notæ illæ A. PV. quæ ſunt in altera parte huius denarij notatæ, ſignificant ARGENTO PABLICO. *Lucilij Baſſi per Veſpaſiano Imp. meminit vetus inſcriptio Aquileiæ aſſeruata, cuius hic fragmentum repoſuimus.*

Lib. 4.
Lib. 17.


IMP. CAESAR VESPASIANVS AVG. &c.
VETERANIS QVI MILITAVERVNT IN CLASSE
RAVENATE SVB SEX. LVCILIO BASSO, &c.

Grutes.




LVCRETIA Gens in Familias diuiſa fuit patricias & plebeias. TRIONES
autem quorum denarij in hac tabella expreſſi ſunt, licet ex Scripto-
ribus non conſtet, plebeios tamen fuiſſe opinor. CN. LVCRETIVS
TRIO qui in primo tabellæ denario deſcriptus eſt, pater fortaſſe fuit L. 1.
LVCRETII TRIONIS, qui ſecundum & quartum denarium cuſit: nam
tertius ab Imp. Traiano multis poſt annis reſtitutus eſt: Opinor autem
L. Lucretium, notis his, quas in altera ſecundi denarij parte ſignauit,
Lib. 6. cognominis ſui originem indicare voluiſſe: de eo enim Varro de lingua
» Latina ita ſcribit. Arbitror antiquos ruſticos primum notaſſe quædam
» in cælo ſigna, quæ præter alia erant inſignia, atque ad aliquem vſum
» culturæ tempus deſignandum conuenire aduertebantur. E queis ſigna ſunt,
» quod has ſeptem ſtellas Græci, vt Homerus vocat ἅμαξαν, & propinquum
» eius ſignum βοώτην: noſtri eas ſeptem ſtellas; boues & triones, & prope eas
» axem. Triones enim & boues appellantur à bubulcis etiam nunc, maxime
» cum arant terram: e queis vt dicti valentes glebarij, qui facile proſcindunt
» glebas; ſic omnes, qui terram arabant, a terra teriones; vnde Triones vt
» dicerentur a detritu. Paulo poſt: Poſſunt triones dici ſeptem; quod ita ſitæ
Lib.1.c.21. ſtellæ terna trigona faciant. Vulgus, inquit Agellius, Grammaticorum
Septentrionem a ſolo numero ſtellarum dictum putant. Triones enim per
ſeſe nihil ſignificare aiunt, ſed vocabuli eſſe ſupplementum, ſicuti in eo
quod Quinquatrus dicamus, quod quinque ab Idibus dierum numerus, ſit
atius nihil. Sed ego quidem cum Lælio, & M. Varrone ſentio, qui Triones
ruſtico vocabulo boues appellatos ſcribunt, quaſi quoſdam teriones: hoc
eſt arandæ colendæque terræ idoneos. Itaque hoc ſidus quod a figura
poſituraque ipſa, quia ſimile plauſtri, antiqui Græcorum ἅμαξαν dixerunt,
noſtri quoque veteres a bubus iunctis Septentriones appellarunt, id eſt a
ſeptem ſtellis, ex quibus quaſi iuncti triones figurantur, &c. TRIO apud
Lib. 5. Dionem, & Tacitum, cognomen eſt Fulcinij Conſulis anno DCCLXXXIII.
Neptuni imago in quarto denario expreſſa, & Cupido Delfino inſidens, 4.
mihi

mihi quidem incertum quo ſpectent : ſed cum eadem hæc in M. quoque Cordii Rvfi denario, & aliorum nonnullis ſignata ſint, credi poteſt in Cæſaris gratiam, ad indicandam Iuliæ gentis originem, impreſſa à Triumviris monetalibus fuiſſe.




Lvriae Gentis Cornelius Tacitus meminit & Dio; qui M. hunc Lib. 123 Lib. 48
1. Lvrivm, qui Triumvir ſub Auguſto primum nummum aëreum cuſit, Sardiniæ Præfectum fuiſſe ſcribit. Καὶ ἐπὶ Σαρδῶ, inquit, πλεύσας συνέβαλε Μάρκῳ Λουρίῳ τῷ ἄρχοντι αὐτῆς. Velleius eundem vt arbitror ſignificauit, Lib. 2
cum in pugna nauali ad Actium, dextrum cornu nauium Iulianarum M. Lario commiſſum fuiſſe tradit, læuum Arruntio, Agrippæ omne claſſici certaminis arbitrium (pro M. Lario, M. Lurio reponendum opinor) M. Lvrivs Triarivs, & M. Lvrivs Treptvs nominantur in antiqua baſi marmorea, in qua deſcripta ſunt nomina eorum, qui ære conlato ſtatuam Veſpaſiano Imp. dedicauerunt, L. Annio Baſſo, C. Cæcina Pæto, Coſſ. In inſcriptione etiam baſis ſtatuæ a collegio Fabrum Tignariorum Caracallæ Imp. dedicatæ Lvrivs quidam Martialis numeratur inter eos, qui pecuniam ad ponendam
2. eam ſtatuam contulerunt. P. Lvrivs *qui in ſequentibus duobus nummis*
3. *ſignatus eſt quo pertineat, ignoro.*




Lvtatiae Gentis plebeiæ vnus tantum exſtat denarius, qui in hac tabella notatus eſt. Ad duos autem Lutatios fratres eum pertinere

amicus meus exiſtimabat, atque in altera eius parte, Q. LVTATIVM C. F. C. N. CERCONEM, qui Conſul de Faliſceis triumphauit, anno DXII. deſcriptum eſſe: in altera eius fratrem C. LVTATIVM C. F. C. N. CATVLVM, qui eodem anno, Pro-Coſ. de Pœnis & Sicilia naualem egit, Lib. 42. indicari: *Hos commemorant marmora Capitolina*, Liuius facit mentionem C. LVTATII CERCONIS qui anno DLXXX. L. Poſthumio Albino, M. Popilio Lænate Coſſ. Legatus Alexandriam ad Ptolomæum renouandæ amicitiæ cauſſa miſſus eſt. A quo denarium hunc cuſum fuiſſe ſuſpicari poſſumus, vt Cai naualem de Pœnis, & Quinti aui fortaſſe ſui terreſtrem de Faliſceis victoriam celebraret.




MAECILIAM Gentem Albanam, Tullo Hoſtilio Romæ regnante, Alba diruta, ciuitatem Romanam adeptam fuiſſe & in Senatorium, Lib. 5. Patriciumque ordinem allectam, ſcribit Dionyſius: ſed ex hac ne, Lib. 4. quæ Patricia fuit, an ex ea quæ inter plebeias à Liuio numeratur, ex qua Sp. Mæcilius exſtitit Tr. Pl. originem ſuam ducat M. MAECILIVS TVLLVS, qui primum nummum aëreum cuſit, incertum eſt. Secundus & tertius argenteus nummus & quartus aëreus ad eiuſdem Gentis aliquem qui P. MAECILIVS diceretur, poſſunt pertinere: niſi quis mauult denarij notam, MAENIVS interpretari, & nummos ad Mæniam Gentem referre, de qua in ſequenti tabella dicemus.



MAIANIAM Gentem, quæ in duobus huius tabellæ nummis, vno argenteo, altera aereo notata eſt, opinor eandem eſſe cum ea, quæ in tabulis Capitolinis modo MAINIA, modo MAENIA nominatur. Eius exſtat mentio in antiqua Inſcriptione Caeretana, cuius exemplum eſt hoc,


D. M. SVRIAE SACRVM
L. MAIANIVS HOMER. CVM
MAIANIA HOMERIDE FIL.
V. S. P. L. D. D. D.
CVRANT. L. MAIANIO ET
IVL. MAXIM. TAVRIN.
FRAT.

C. autem MAIANIVS, qui ex hac Familia nummos cuſit, ad C. MAINIVM P. F. P. N reſpicere fortaſſe voluit, qui Conſul anno CDXV. de Antiatibus, Lauineis, & Veliterneis pridie Kalen. Octobris triumphauit, quique anno CDXXXIX. Dictator II. cum M. Foſlio Flaccinatore Mag. Eq. II. in monumentis Capitolinis deſcriptus eſt.




MAMILIAM Gentem plebeiam, a Mamilia Telegoni filia originem & nomen duxiſſe, omnes fere ſcriptores tradunt. Ipſe autem Telegonus Vlyſſis fuit & Circes filius, qui Tuſculum oppidum in Latio

condidit, vt ſcribit Sex. Pompeius, Plutarchus, Acro, & Pomponius Porphyrio Horatij interpretes. Itaque Liuius de Mamilio Tuſculano dixit (Lib. 1.) Qui (ſi famæ credimus) ab Vlyſſe deaque Circe oriundus erat. Ab Vlyſſe igitur per Mamiliam oriundos eſſe Mamilios, cum vellet indicare C. MAMILIVS LIMETANVS, qui primum tabellæ denarium cuſit, Vlyſſem in altera eius parte, poſt vigeſimum annum ab Homerico cane agnitum, impreſſit. Vlyſſis autem ſimulacrum pileatum Plinius ſcribit Nicomachum (Lib. 35. cap. 10.) primum feciſſe. Nicomachus, inquit, primus Vlyſſi addidit pileum, &c. De C. hoc MAMILIO meminit Saluſtius in Iughurtino, cum inquit; Interea Romæ C. Mamilius Limetanus Tr. pl. rogationem ad populum promulgat: vti quæreretur in eos, quorum conſilio Iugurtha Senatus decreta neglexiſſet, &c. cum autem in vulgatis antea libris Bacchus Mamillus Lemetanus legeretur, ex antiquorum denariorum, & veterum quoque codicum autoritate, C. Mamilius Limetanus, reponendum iam pridem admonuimus.



MANLIAM Gentem duplicem fuiſſe, patriciam vnam, alteram plebeiam, ex iis quæ ſcribit Cicero in lib. 1. Philipp. coniicere poſſumus: ſunt autem hæc. Propter vnius M. Manlij ſcelus decreto gentis Manliæ neminem patricium vocari M. Manlium licet. Dionyſius eum qui in ſeceſſione plebis dux fuit, Manlium nominat, ab aliis Sextum, prænominatum. Huius igitur tabellæ denarios ad vtramque Manliorum gentem pertinere arbitramur: ac primum quidem ad A. MANLIVM ſpectare, qui (1.) filius fuit Q. Manlij Thurini, cuius meminit Liuius & Quinctilianus (Lib. 28.) lib. 11. quique Prætor fuit Peregrinus anno DXLV. & Ædilis plebis cum Pomponio Mathone ludos plebeios inſtaurauit anno DXLVI. Nota SER.

quæ in eius denarij altera parte ſignata eſt, ſignificat fortaſſe SERRATVS: Serrati enim nummi dicebantur, quibus ſerra impreſſa erat. Tacitus in libro de Moribus Germanorum: Germani, inquit, pecuniam probant veterum " & diu notam, ſerratos, bigatoſque. Poteſt etiam ad A. Manlij cognomen, "
2. quod ignoratur, ea nota referri. T. autem MANLIVS, qui in ſecundo denario, cum Ap. Claudio Quæſtor Vrbanus deſcriptus eſt, poteſt is eſſe, qui cum Cn. Octauio Coſ. fuit anno DLXXXVIII. quique Pontifex quinquennio ante factus fuerat. Quamuis ad T. MANLIVM T. F. Ciceronis coëtaneum & oratorem, qui, vt Cicero ſcribit in Bruto, Coſ. factus eſſet, ſi vita ſuppeditaſſet, pertinere is denarius poſſit. De LVCIO autem
3. MANLIO Sullæ Pro Quæſtore, qui, in tertio tabellæ denario notatus eſt, Lib. 40.
meminit, vt opinor, Liuius in epitoma cum inquit, Q. Sertorius " proſcriptus in vlteriore Hiſpania ingens bellum excitauit. L. Manlius Pro- " Coſ. & M. Antonius Legatus ab Herculeio Quæſtore victi ſunt, &c. A " temporum autem ratione non abhorret, vt qui Sullæ fuerit paullo ante Pro-Quæſtore, tunc poſt eius mortem paulo poſt contra Sertorium miſſus
4. ſit Pro Conſule. Quartus & quintus denarius ad L. TORQVATVM qui
5. anno DCLXXXVIII. cum L. Cotta Coſ. fuit, omnino referendi ſunt. De eo ita ſcribit Pædianus in Corneliana. P. Sulla & P. Autronius Coſſ. Deſ. " cum eſſent, eorum alterum L. Cotta, alterum L. Torquatus ambitus " damnarunt, & in eorum locum Coſſ. creati ſunt. L. hic TORQVATVS, " vt ſcribit Cicero in Piſonem, prouinciam Macedoniam obtinuit, & ex ea magnis rebus geſtis, Cicerone referente, abſens Imperator appellatus eſt. Torques autem in vtroque denario ſignatus ad indicandam pertinet Torquati cognominis originem: quod T. MANLIVS L. F. A. N. Imperioſſus aureo torque, Gallo cum quo pugnauerat detracto, primus inuenit anno CCCXCII. Liuius lib VII. Plutarchus in Mario, Cicero lib. III. de Officiis, & in I. de Finibus. Sed ita, inquit, prorſus exiſtimo, neque eum Torquatum, qui " hoc primus cognomen inuenerit, aut torquem illum hoſti detraxiſſe, vt " aliquam ex eo perciperet corporis voluptatem &c. & lib. II. Si voluptatis " cauſſa cum Gallo apud Anienem depugnauit prouocatus, & ex eius ſpoliis " ſibi & torquem & cognomen induit, &c. & lib. IIII. Tuſcul. Ego ne " Torquatum quidem illum qui hoc cognomen inuenit, iratum exiſtimo Gallo torquem detraxiſſe &c. Quod autem in altera quinti denarij parte Sibyllæ imago, in altera tripos impreſſus ſit, poſſumus ſuſpicari L. hunc TORQVATVM XV-Virum fuiſſe ſacris faciundis. Sibyllini enim libri a XV-Viris ſacrorum ſeruabantur, nec iniuſſu Senatus adiri aut legi fas erat, vt ſcribunt Cicero, Valerius Max. Lactantius, Suetonius in Cæſare, & alij: notum etiam eſt, Sibyllas e tripode, qui Apollini ſacer eſt, vaticinari ſolitas fuiſſe, antiquos poëtas inter alias fabulas commentos eſſe.



In Numa. MARCII *a Marco vel Mamerco, vt ait Plutarchus, à Marco etiam, inquit ille, Marcij Reges. Ita enim legit Carolus Sigonius, non Mamercij.* Marcia vero Gens patricias habuit Familias & plebeias. Sed patriciorum nulla in antiquis denariis exſtat memoria, *præterquam in primo & quarto denario, ſi tamen mea coniectura locum habet.* Plebeiorum, PHILIPPOS tantum, CENSORINOS, & LIBONES, in iis qui circumferuntur, Numiſmatibus, notatos animaduertimus: quos ab Anco Marcio Rege originem duxiſſe L. PHILIPPVS is, qui huius tabellæ primum denarium cuſit, indicare voluit, I. cum Anci in eo imaginem, & alia eius Regis monumenta expreſſit. Cæſar in oratione quam habuit in funere Iuliæ amitæ apud Suetonium ab Anco,

Lib. 6. Faſt. » inquit, Marcio ſunt Marcij Reges: & Ouidius hanc de Marciæ Gentis autore » opinionem confirmat illo verſu,

Marcia ſacrifico deductum nomen ab Anco.


Lib. 2. Ancus enim Marcius, vt ſcribit Liuius, religiones neglectas, aut praue cultas, vt erant à Numa inſtitutæ, Pontificem Maximum proponere in publico iuſſit: ob quam cauſam Sacrificus appellatur ab Ouidio, & pone caput eius in primo denario lituus ſignatus eſt. *Marcus autem Marcius quem coniicere poſſumus in primo denario expreſſum fuiſſe apud Liuium Prætor atque ideo Patritius coniicitur in annum* V.C. DXXXIX. *Legatus autem a Scipione miſſus eſt in Vrbem cum L. Vetturio Philone, & L. Scipione Imperatoris fratre anno*

V. C. DLI. *huic cognomen fuit* RALLA *quo nomine, vt eſt apud Nonium,* Plautus
2. *ſignificatur rara veſtis, & opponitur ſpiſſæ: huius fortaſſe filius ſecundo & tertio* in Epid. Lib. 5.
3. *nummo commemoratur.* De AQVA autem MARCIA, quod ab Anco Marcio, Lib. 14.
qui eam deduxit nomen acceperit, præter ea, quæ a Strabone, Cornelio
Tacito, & Frontino traduntur, ita ſcribit Plinius, Primus eam in Vrbem « Lib. 1.
ducere auſpicatus eſt Ancus Marcius vnus e Regibus: poſtea Q. Marcius « Lib. 36. cap. 3.
Rex in Prætura; rurſuſque reſtituit M. Agrippa. Statuam equeſtrem, quæ «
aquæ ductui ſuperpoſita eſt, opinor deſignari eam, quam ſcribit Liuius, Lib. 9.
Marcio Tremulo ante ædem Caſtorum poſitam, a Senatu populoque
Romano fuiſſe, quod Samnites bis viciſſet, & Anagnia capta populum
ſtipendio liberaſſet. Alij ad ſtatuam equeſtrem referunt, quam Philippus
4. Auguſto decreuit, cuius meminit Cicero, quod non placet. Quartus In Ep. ad Brutum.
tabellæ denarius ab eodem, vt videtur, PHILIPPO ſignatus eſt: in
eius autem altera parte idem honos equeſtris ſtatuæ Q. Marcio decretæ;
in altera L. MARCII imago expreſſa eſt, cui in Hiſpania concionanti e
capite flamma eluxit. Valerius Maximus, Plinius & Liuius, cuius hæc ſunt Lib. 1. c. 6. Lib. 2. c. 110.
verba, Apud omnes magnum nomen MARCII Ducis eſt, & veræ gloriæ Lib. 25.
eius etiam miracula addunt: flammam ei concionanti fuſam e capite ſine "
ipſius ſenſu cum magno pauore circumſtantium militum; monumentumque "
victoriæ eius de Pœnis, vſque ad incenſum Capitolium fuiſſe in templo "
5. clypeum Marcium appellatum cum imagine Aſdrubalis. Quintus aereus "
nummus ad eundem pertinet L. PHILIPPVM, qui Auguſti vitricus fuit,
& Conſul cum Cn. Lentulo Marcellino anno DCXCVII. quamuis ad huius
quoque patrem L. PHILIPPVM Q. F. referri poſſit; qui Sullæ primo Liuius l. 86.
Legatus, Sardiniam Prouinciam Q. Antonio pulſo, & occiſo, occupauit:
Conſul deinde cum Sex. Iulio Cæſare fuit anno DCLXII. de eo meminit
Cicero pro P. Quintio, & pro L. Murena, & in lib. XI. Philipp. L. Philippus,
6. inquit, Pro-Conſulibus ſe Pompeium mittere, non Pro-Conſule, &c. Sextus
denarius ad Q. PHILIPPVM pertinere poteſt eum, qui bis Conſul fuit,
primum cum Sp. Poſthumio Albino anno DLXVII. iterum cum Cn. Seruilio
Cæpione anno DLXXXIV. & quinquennio poſt Cenſor cum L. Æmilio
Paullo. Caſtor equo inſidens in altera eius denarij parte impreſſus eſt, quod
vt cecinit Horatius,

Caſtor gaudet equis,

Ἱππόδαμος ab Homero appellatus: ab equorum autem ſtudio videtur Lib. 3. Iliad.
Philippus is dictus eſſe, qui primus ex hac Familia huiuſmodi cognomen Odyſſ. l. 2.
inuenit: ad quod reſpexiſſe eum, qui denarium cuſit, dubitandum non
eſt. PILIPPVS autem pro PHILIPPVS, & TRIVMPVS pro TRIVMPHVS
antiqua ſcribendi ratio fuit, de qua Quinctilianus. Apud Ciceronem quoque Lib. 1. c. 9.
7. de Oratore, Furius Pilus eſt pro Philus. Septimus denarius & octauus a L.
8. MARCIO CENSORINO, vt opinor, cuſi ſunt eo, qui Conſul fuit anno
DCCXIV. cum C. Caluiſio Sabino; quique Kal. Ian. eodem anno ex Mace-
donia triumphauit. In altera autem octaui denarij parte, Marciæ Gentis
monumenta expreſſa ſunt, VICTORIA columnæ impoſita, quæ ignoratur

Lib. 31. c. 7. ad quem pertineat Marciorum, ad Ancum ne Regem, an ad alium eius Gentis. CONGIARIVM populo ab Anco datum, de quo meminit Plinius, cum inquit, Ancus Marcius Rex ſalis modia ſex millia congiario dedit populis &c. ACROSTIRIVM nauis, quod ad L. CENSORINVM, qui claſſi in bello nauali contra Carthaginienſes præfuit, referendum eſt, de quo ita In Libyco. ſcribit Appianus, Στρατηγούς τε τοὺς ὑπάτους αὐτίκα ἐξέπεμπον, ἐπὶ μὲν τοῦ πεζοῦ Μάρκον Μανίλιον, ἐπὶ δὲ τοῦ στόλου Λεύκιον Μάρκιον Κενσωρῖνον, οἷς ἐν ἀπορρήτῳ λέλεκτο μὴ ἀνασχεῖν τοῦ πολέμου, πρὶν Καρχηδόνα κατασκάψαι. Hoc eſt, Continuo ad id bellum adminiſtrandum Conſules miſſi ſunt M. Manilius cum exercitu, L. Cenſorinus cum claſſe: quibus ſecreto mandatum eſt, ne prius a bello deſinerent, quam diruta Carthagine. Fuit is annus Vrbis quo M. Manilius & L. Cenſorinus Conſulatum geſſerunt DCIV. & belli Punici tertij primus.



MARCIAM Gentem a duobus Romanorum Regibus Numa & Anco originem traxiſſe, omnes fere Scriptores tradunt: Numam enim Marcium, qui Pontifex Maximus primus fuit, & ſub Tullo Hoſtilio Vrbis Præfectus, ex Pompilia Numæ Regis filia Ancum Marcium Regem procreaſſe ferunt, a quo deinceps omnes Marcij genus duxerunt. Hoc 1.
autem vt indicaret is, qui huius tabellæ nummos cuſit, in duobus primis 2.
aereis tertio argenteo, & ſeptimo item aereo Numæ & Anci Regum ima- 3.
gines impreſſit. Sed in duobus primis & ſeptimo præter Regum ipſorum 4.
capita,


capita; Oſtiæ quoque Coloniæ, quam anno CXXVII. Ancus deduxit monumentum expreſſit. In ora Tiberis, inquit Liuius, Oſtia Vrbs condita; Lib. 1.
& Strabo, Πόλεις δ᾽ ἐπὶ θαλάττῃ μὲν εἰσι τῶν Λατίνων τάτε ὤστια, πόλις ἀλίμενος διὰ τὴν πρόσχωσιν, ἣν ὁ Τίβερις παρασκευάζει, πληρούμενος ἐκ πολλῶν ποταμῶν. παρακινδυνώως μὲν οὖν ὁρμίζονται μετέωρα ἐν τῷ σάλῳ τὰ ναυκλήρια. τὸ μέντοι λυσιτελὲς νικᾷ: & paulo poſt, κτίσμα δ᾽ ἐστὶ τὰ ὤστια Ἄγκου Μαρκίου. Hoc eſt, exſtant autem maritimæ Latinorum vrbes, Oſtia importuoſa quidem propter limum, quem Tiberis multis refertus amnibus aggregat. Non paruo igitur diſcrimine agitata ſalo ſtant in anchorio nauigia: attamen vincit vtilitas. Paulo poſt: Oſtiam quæ tale oppidum eſt, Ancus Marcius condidit, &c. Victoria columnæ impoſita, vel ad eundem Ancum pertinet, vel ad alium Gentis Marciæ, qui præclaram aliquam de victis populi Romani hoſtibus victoriam
3. reportauit. Tertio quoque & quarto denario Marcij alicuius de ludicris
4. Circenſibus equo ſingulari & bigis partas victorias deſignari arbitror, quas C. Cenſorinus Trium-Vir ſub Auguſto, vt progenitoris ſui monumenta illuſtraret, in his nummis ſignauit. Fuit autem (quantum ex antiquis Inſcriptionibus, quæ Romæ extra portam Flumentanam repertæ ſunt, intelligere poſſum) C. Marcius, L. Cenſorini eius, de quo ſupra dictum eſt, filius, & Conſul cum C. Aſinio Gallo anno DCCXLV.

(Lib. 5. in margin beside Strabo)


C. MARCIVS L. F. L. N.	C. MARCIVS L. F. L. N.
CENSORINVS ET C. ASI	CENSORINVS
NIVS C. F. GALLVS COS.	C. ASINIVS C. F. GALLVS
EX S. C.	COS.
FIN. POMER. TERMIN.	EX S. C. TERMIN.

Eumdem Augurem fuiſſe conſtat, cum ex quinti & ſexti nummi titulo, tum ex hac veteri Inſcriptione, quæ Aquini exſtat.


C. MARCIO L. F.
CENSORINO COS.
AVGVRI PATRONO D. D.



Q. Marcii Libonis qui huius tabellæ nummos & vltimum prioris, Trium-Vir cum C. Fabio & L. Rubrio, ſiue L. Roſcio (horum enim alterum notæ L. R. ſine dubio deſignant) percuſſit, nullam apud ſcriptores reperio mentionem. Neque vero in iis præter pileatos Caſtores, & victoriæ monumentum quadrigis a Q. Marcio reportatæ de Circenſi, vt videtur, ludicro, memoratu dignum aliud impreſſum eſt. Libo autem, non tantum Marciæ, ſed Iuliæ quoque familiæ, aliarumque cognomen fuit.



MARIAM Gentem plebeiam fuiſſe vel ex eo conſtat, quod C. Marius C. F. qui nullo eſt vſus cognomine, & M. Marius Gratidianus, Tribuni plebis cum eſſent, alter de ſuffragiis, alter de re nummaria leges tulerunt. C. MARIVS C. F. CAPITO, qui in huius tabellæ denariis deſcriptus eſt, Pro-Trium-Viro vt videtur ſub Auguſto fuit: & in duobus primis denariis vel aliquam earum quas Auguſtus deduxit, Coloniam impreſſit, vel Eporaediam a C. Mario Conſule, cuius ipſe pronepos eſſe potuit, deductam indicare voluit. De ea meminit Plinius, & Velleius, Lib. 3. c. 5. Lib. 1. cum inquit, Poſt tres & viginti annos in Vagiennis Eporaedia Mario ſexies, Valerioque Flacco Coſſ. Qui fuit annus Vrbis conditæ DCLIII. Inſcriptio TRO-III-VIR ita enim eſt in omnibus Numiſmatibus, in quatuor huius tabellæ denariis notata, litteris male interpunctis, deprauata a quibuſdam fuit, qui C. hunc MARIVM C. F. Pro-Quæſtore Trium-Virum interpretati ſunt. Nos autem PRO-III-VIR ſignificari arbitramur eum, qui mortuo aut abſente Trium-Viro, eius officio functus ſit. Sic Pro-Quæſtore, & Pro Prætore appellatos ſcimus eos, qui mortuo vel decedente Quæſtore Prætore-ve, eorum locum in Prouincia obtinuerunt. *Ex duobus autem prioribus denariis coniicere licet Pro-Trium-Virum fuiſſe coloniæ deducendæ.*




MEMMIA Gens (*a Mneſthæo comite Æneæ dicta, inquit Virgilius,*

5\. Æneid. *———— genus a quo nomine Memmi.*)

vt ex veteribus Scriptoribus, & ex primo huius tabellæ denario colligere poſſumus, inter plebeias numerata fuit: ex ea enim exſtitit MEMMIVS Ædilis plebeius, qui ludos Cereris, Cerialia dictos, quibus equorum curſus 1.
Lib. 47. in Circo exhibebantur, primus fecit: itaque Dio memoriæ prodidit, ante deuictum Brutum eueniſſe, vt Ædiles plebeij gladiatorum certamina pro equorum curſibus exhibuerint. C. autem MEMMIVS qui primum & ſecundum tabellæ denarios ſignauit, quia in eis C. F. deſcribitur, opinor eum deſignari, qui Conſul ſuffectus fuit ex Kal. Iul. anno DCCXIX. filius 2.
C. MEMMII L. F. quem ex denariorum Inſcriptione Imperatorem appellatum fuiſſe intelligimus. Sed primum quis fuerit C. hic MEMMIVS L. F. quærendum eſt, deinde ex qua Prouincia Imperator ſit appellatus. Liuius
Lib. 42. facit mentionem C. Memmij cuiuſdam, qui C. Popilio Lænate, P. Ælio Ligure Coſſ. Prætor iterum Siciliam Prouinciam obtinuit, cum quadriennio ante Prætor primum, Sardiniam obtinuiſſet. Huius, vt creditur, filij fuerunt
In Bruto. C. & L. Memmij inter nobiles Oratores a Scriptoribus numerati, quorum » Cicero meminit, cum inquit; Tum etiam C. & L. Memmij fuerunt, Oratores » mediocres, accuſatores acres, atque acerbi: itaque in iudicium capitis » multos vocauerunt, pro reis non ſæpe dixerunt. Horum alterius, Lucij ſcilicet filius fuit C. MEMMIVS Trium-Viri pater: vir bonis artibus eruditus, vt inquit Cicero, & orator argutus: ad quem Lucretius opus ſuum miſit de natura rerum. Hic Prætor cum L. Domitio factus, Bithyniam Prouinciam obtinuit, ex qua, vt arbitror, Imperator fuit appellatus; quamuis ex ea reuerſus, fuerit à Cæſare repetundarum accuſatus, vt ex

oratione pro Bithynis coniicere poſſumus, cuius hæc apud Agellium ſuperſunt verba. Vel pro hoſpitio Regis Nicomedis, vel pro horum neceſſitate hoc munus, Memmi, refugere non potui, &c. Rediit deinde in gratiam cum Cæſare Memmius, & ab eo licet in Gallia abeſſet, in petitione Conſulatus adiutus eſt. *Hic, vt eſt apud Suetonium, Cæſari obiecit etiam ad cyathum & vinum Nicomedi Regi ſtetiſſe cum reliquis exoletis, & Cæſarem aſperrimis orationibus lacerauit.* Sed lege Pompeia de ambitu accuſatus, & fruſtra defendente Cicerone condemnatus, in Græciam exulatum abiit, Patriſque Achaiæ oppido, adoptato prius Lyſonis Patrenſis filio, quem hæredem quoque inſtituit, diem obiit. Cum Lyſone, inquit Cicero in ep. ad Serg. Sulpicium, Patrenſi eſt mihi quidem hoſpitium vetus. Paulo poſt, explorata vero eius incolumitate, omnia a te ſtudia ſumma cura peto, quæ ne ſingula enumerem, totam tibi domum commendo: in his adoleſcentem filium eius, quem C. Memmius Gemellus cliens meus, cum in calamitate exilij ſui Patrenſis Ciuis factus eſſet Patrenſium legibus adoptauit, vt eius ipſius hereditatis ius cauſamque tueare; Ex his autem Ciceronis verbis intelligimus C. hunc MEMMIVM qui tabellæ priores duos denarios ſignauit, cum Lyſonis Patrenſis filius eſſet, adoptatum a C. Memmio, ex adoptionis iure C. Memmium appellatum fuiſſe. De ludis Cerealibus a Memmio Ædile primum factis, videndus Gregorius Giraldus, in libro de Diis Gentium, & Politianus in miſcellaneis : qui cum multa ad huius Cap. 85. denarij intellgentiam ſcitu digna collegerit, in eo tamen erraſſe videtur, quod Memmium Ædilem eundem putauit cum C. Memmio Prætore. Ego vero C. Memmium qui Cerealia primus fecit, C. Memmio qui Imperator appellatus eſt; antiquiorem arbitror; ſed Memmium Trium-Virum qui Gentis monumenta celebrare voluit, vtriuſque ſimul titulos in iiſdem denariis ſignaſſe: in quorum primi altera parte Quirini ſimulacrum ſiue Romuli, in altera Cereris ſignum, quale ab antiquis fingebatur, matronali habitu, cum ſpicarum & papauerum manipulo *& draconibus* expreſſit; quibus adiecit etiam colum, cum qua effingi Ceres conſueuit, vt docet Porphyrius Philoſophus ex Orphei autoritate in eo, quem antrum Nympharum inſcripſit libello, Οὕτω καὶ παρὰ τῷ Ὀρφεῖ, inquit, κόρη, ἥπερ ἐστὶ παντὸς τοῦ σπειρομένου ἔφορος, ἱστουργοῦσα παραδίδοται, τῶν παλαιῶν καὶ τὸν οὐρανὸν πέπλον εἰρηκότων. Hoc eſt, Ita & ab Orphæo Proſerpina, quæ ſeminibus præeſt, lanam faciens inducitur, veteribus cælum ipſum appellantibus peplum, &c. Hunc quoque denarium à Traiano Imp. Optimo Principe poſterioribus temporibus reſtitutum fuiſſe ex alterius huic ſimilis Inſcriptione IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST. intelligimus. Reliqui denarij ad L. Memmium quem diximus Oratorem fuiſſe, & C. Memmij patrem poſſunt Lib. 16. Hiſtor.
4. pertinere. *Ad quarti denarij intelligentiam Cornelij Taciti locus facere videtur, de Nerone Principe loquens; Tandem, inquit, ſtatutum Circenſium ludorum die qui Cereri celebratur exequi deſtinata. Et paulo poſt, vtque Circenſium Cerialium ludicrum pluribus equitum curſibus celebraretur*, &c. Sed cum GEMELLVS apud Ciceronem C. Memmij cognomen ſit, in quinto vero & ſexto denario

L. Memmij cognomen GAL. nota a GEM. diuerſiſſima notetur, tranſpoſitionem litterarum apud Ciceronem factam eſſe ſuſpicari quiſpiam poſſit, indeque errorem fluxiſſe, vt pro GALLVS, ſeu quid aliud, GEMELLVS librarij ſcripſerint. Sexti autem denarij Inſcriptio L.C. MEMIESI, niſi ea duo fratres C. & L. Memmij C. filij, de quibus ſupra diximus deſignentur, 6.
C. aliquis MEMIESIVS ignotæ Gentis homo, in quo alterum cognomen L. abundat, fortaſſe notatus eſt.



MESCINIAM Gentem plebeiam fuiſſe ex eo conſtat, quod C. Meſcinius, quo Tr. pl. anno DCXCVI. ab exilio reuocatus eſt Cicero, ex ea natus fuit. Cicero in oratione pro P. Sextio, & poſt reditum in Senatu. L. autem MESCINIVS RVFVS qui ſub Auguſto monetæ cudendæ Præfectus quatuor hos denarios ſignauit; is eſt qui Ciceroni Pro. Coſ. in Cilicia Quæſtor fuit, cuique e Prouincia decedenti. C. Cœlius Caldus ſucceſſit, de quo ſcripſimus ſupra in Cœlia Gente. L. Meſcinius,
Ep. 16. l. 13. » inquit Cicero, ea mecum neceſſitudine coniunctus eſt, quod mihi Quæſtor
Ep. 6. l. 16. » fuit. Et alibi. Ego puto te belliſſime, ſi recte erit, cum Quæſtore
» Meſcinio decurſurum. Ad eundem ſcriptæ ſunt epiſtolæ XX. & XXI. lib. V. quarum prima RVFO, altera L. Meſcinio inſcripta eſt. Is igitur Meſcinius cum Auguſti poſtea temporibus cudendæ monetæ præeſſet, vota quæ S. P. Q. R. Ioui Optimo Maximo pro ſalute Imp. Cæſaris ſoluiſſet, quod per eum Reſp. in ampliori atque tranquilliori ſtatu eſſet, in primo tabellæ denario notauit: Sic enim interpretantur litteræ illæ, quæ ſunt in altera eius denarij parte ſignatæ. In altera vero parte, columnæ ſiue baſi inſcriptum eſt. IMP. CAE. AVGV. COMM. CONS. Hoc eſt, Imperatori Cæſari Auguſto communi conſenſu. Eadem vota in tertio quoque denario expreſſa 3.
ſunt, in quo titulus in baſi ſigni Martis, cui ea nuncupata erant, inciſus eſt S.P.Q.R. V.S. PRO S. ET RED. AVG. Hoc eſt, Senatus, Populuſque Romanus votum ſoluit pro ſalute, & reditu Auguſti: ex alterius autem partis eiuſdem denarij Inſcriptione, Auguſto ob Remp. conſeruatam communi conſenſu Senatuſq. conſulto ſtatuam decretam fuiſſe intelligimus.

2. In ſecundo denario ea tantum vota notata ſunt, quæ pro reditu Auguſti ſuſcepta fuerunt. Sic enim in eo inſcriptum eſt, S. P. Q. R. V. Pr. Red. Caes. Hoc eſt, Senatus Populuſve Romanus, Vota Pro Reditu Cæſaris ſoluit. De his autem votis ita ſcribit Dio, εὐχὰς ὑπὲρ τῆς ἐπανόδου αὐτοῦ Lib. 54 ἐποιήσαντο. Hoc eſt, Vota pro reditu ipſius ſuſceperunt. Et libro LV. Τὴν δὲ δὴ πανήγυριν, τὴν ὑπὲρ τῆς ἐπανόδου τοῦ Αὐγούστου γενομένην ὁ Γαΐος ἀντ' αὐτοῦ σὺν τῷ Πείσωνι ἐποιήσατο. Hoc eſt, Tiberius coortis in Germania motibus ad bellum profectus eſt, ac pro eo ludos votos pro Auguſti reditu Caius ac Piſo fecerunt. Paulo poſt. Καὶ ἐπί τε τῇ ἐξόδῳ αὐτοῦ εὐχαὶ ἐγένοντο, καὶ ἐπὶ τῇ ἐπανόδῳ αἱ θυσίαι, ὥσπερ ἐκ πολεμίας τινὸς ἀνακομισθέντος ἐτελέσθησαν. Hoc eſt, In eius ab Vrbe exitu vota nuncupata, ac redeunte ſacrificatum, tanquam ſi ex hoſtico rediiſſet. Eodem alius quoque argenteus denarius pertinet, cuius in vna parte Auguſti effigies impreſſa eſt, in altera inſcriptio huiuſmodi. Fort. Red. Caes. Avg. S.P.Q.R. Καὶ αὐτῷ, inquit Dio, ἐπί τε τούτοις, Lib. 54 καὶ ἐπὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς ἐν τῇ ἀποδημίᾳ πραχθεῖσι, πολλὰ καὶ παντοῖα ἐψηφίσθη, ὧν οὐδὲν προσήκατο, πλὴν τύχῃ τε ἐπαναγωγῷ (οὕτω γάρ πως αὐτὴν ἐκάλεσαν) βωμὸν ἱδρυθῆναι, καὶ τὴν ἡμέραν ἣν ἀφίξοιτο, ἔν τε ταῖς ἱερομηνίαις ἀριθμεῖσθαι, καὶ Αὐγουστάλια ὀνομάζεσθαι. Hoc eſt, Ob reditum eius ac propterea quæ abſens egiſſet, multa ac varia in honorem eius decreta ſunt, quorum ille nihil accepit, niſi quod Fortunæ Reduci aram conſecrari, diemque ſui reditus inter ferias referri, & Auguſtalia dici paſſus eſt. De ludis, quos Senatus populuſque Romanus pro ſalute & reditu Cæſaris Auguſti vouit & fecit anno DCCXL. mentio exſtat in antiquis duabus inſcriptionibus quarum altera ad Gentem Qvinctiliam ſpectat, alteram ſubiecimus.


Ti. Clavdivs Ti. F. Nero
Pontifex Cos. iterum
Imp. iterum
Lvdos votivos pro reditv
Imp. Caesaris Divi F. Avgvsti
Pontificis Maximi
Iovi Optimo Maximo fecit
ex S. C.

4. In quarto tabellæ denario ludi Sæculares, quos Auguſtus quintos celebrauit, in columna quadam notati ſunt: quod non temere aut ſine cauſa (quæ tamen ignoratur) vt in columna notarentur, factum eſſe credendum eſt. Domitiani enim & Philippi quoque Imperatores Sæculares ludi in colnmna ſimili quadam inciſi, in eorum denariis reperiuntur. Quod animaduertiſſe videtur Politianus qui ſtelographiam, hanc columnæ inſcriptionem in Miſcellaneis appellauit. De Sæcularibus ludis Auguſti facit mentionem Dio, & Suetonius cap. XXXI. Nonnulla etiam, inquit, ex antiquis Lib. 54 cæremoniis paulatim abolita reſtituit, vt Salutis augurium, Diale Flaminium, ſacrum Lupercale, ludos Sæculares, & Compitalicios. Acron in Horatij Oden XXI. Auguſtus ludos Sæculares reſtituit, quibus hymni Lib. 4 Apollini & Dianæ dicebantur a nobilibus pueris, &c. Hos Auguſti ludos

celebrauit Horatius carmine quod inſcriptum eſt SAECVLARE. Denarij autem inſcriptionem XV. S. F. opinor ad Auguſtum pertinere, qui Quindecim-Vir fuerit ſacris faciundis, quando ludos Sæculares fecit. A. etiam Vitellium Imperatorem XV-Virum fuiſſe ſacris faciundis, ex eius denariorum titulis intelligimus. Quod autem ad Quindecim-Virorum collegium cura ludorum Sæcularium ſpectauerit, præter ea quæ ſcribit Tacitus, ex his etiam Horatij verſibus intelligimus, qui ſunt ex carmine Sæculari. Lib. 1.

Quæque Auentinum tenet, Algidumque,
Quindecim Diana preces virorum
Curet, &c.

» Taciti verba ſunt hæc: Iiſdem Conſulibus ludi Sæculares octingenteſimo » poſt Romam conditam, quarto & ſexageſimo quam Auguſtus ediderat, » ſpectati ſunt. Vtriuſque Principis rationes prætermitto, ſatis narratas libris, » quibus res Imperatoris Domitiani compoſui. Nam is quoque edidit ludos » Sæculares: iiſque affui ſacerdotio Quindecim-Virali præditus, ne tum » Prætor quod non iactantia refero, ſed quia collegio Quindecim-Virum » antiquitus ea cura: & magiſtratus potiſſimum exequebantur officia » cæremoniarum. *Denarius hic conuenit in annum* V. C. DCCXXXVII.



METTIAM Gentem e Lanuuio municipio oriundam fuiſſe ſuſpicari poſſumus ex eo, quod M. hic METTIVS qui huius tabellæ denarios cuſit, in eorum primo Iunonem Soſpitam, quæ Lanuvij cum haſta, ſcutulo, calceolis repandis, & pelle caprina colebatur, ſignauit: in tertio impreſſit ea quæ de Lanuvino ſerpente a Propertio narrantur, quæque L. Roſcius Fabatus in eius nummo, vt ſe Lanuvinum eſſe indicaret, expreſſit. Niſi forte ad C. Cæſarem, qui Lanuvium Coloniam deduxit, denarios huiuſmodi referre malimus, ſub quo Dictatore quartùm METTIVS hic, vt apparet, cudendæ monetæ præfuit. Propertij verſus in Elegia, quæ de Cynthia & Dracone inſcribitur ſunt hi. Lib. 4.


Lanuvi annoſi vetus eſt tutela Draconis,
Hic vbi tam raræ non perit hora moræ.

Qua

Qua ſacer abripitur cæco deſcenſus hiatu,
  Qua penetrat Virgo tale iter omne caue.
Ieiuni ſerpentis honos cum pabula poſcit
  Annua, & ex ima ſibila torquet humo.
Talia demiſſæ pallent ad ſacra puellæ,
  Cum temere anguino creditur ore manus.
Ille ſibi admotas a Virgine corripit eſcas,
  Virginis in palmis ipſa caniſtra tremunt.

M. Mettii huius bis meminit Cæſar: ſed in vtroque loco mendoſe M. Titius in vulgatis libris librariorum errore ſcriptum eſt, pro M. Mettius. Ita vero reponendum apud Cæſarem eſſe, ex duobus vetuſtiſſimis exemplaribus, vno Bibliothecæ Vaticanæ, altero quod apud me eſt, iam pridem admonui. De Mettio quodam meminit Cicero. Et M. Mettij Epaphroditi Grammatici Græci, quem puto libertum fuiſſe M. Mettij huius, qui in denariis notatus eſt, exſtat mentio in antiqua hac inſcriptione. Lib. 1. & 4. bel. Gall. Ep. 16. lib. 15.

M. METTIVS
EPAPHRODITVS
GRAMMATICVS GRAECVS
M. METTIVS GERMANVS FEC.




MINATIAE Gentis facit mentionem Valerius Maximus. Nominat Minatium Rufum, qui M. Catonis, vt ipſe inquit, in Cypriaca expeditione fidiſſimus comes fuit. Scio etiam a Velleio Minatium Magium nominari atauum ſuum Aſculanenſem, qui nepos fuit Decij Magij Campanorum, vt ipſius verbis vtar, Principis celeberrimi: ſed nihil is cum Minatia hac Gente commune habet, *Vt neque fortaſſe is, cuius meminit Iornandes his verbis, M. Attilio Regulo Duce (hoc eſt ſub annum Vrbis* CCCLXXXXI.) *Iam in Africam nauigabat bellum, nec defuerant qui in ipſo Punici maris nomine ac terrore deficerent: inſuper augente Minatio Trib. metum, in quem niſi paruiſſet, ſecuri diſtricta irruiſſet Imperator. Metus mortis nauigandi fecit audaciam.* Gens autem Minatia in tribu Sabatina cenſebatur, & ex Lib. 3. cap. 4.


inſcriptione , quam nos Biſenti Etruriæ oppido deſcripſimus , intelligere poſſumus.

VIRTVTI VISENT.
SACR.
M. MINATI. M. L. SAB. GALLI
II. VIR. I. D. QVINQ.
MATERNVS FRATRIS
SVI H. C. ET OB DEDICA
TIONEM HONORARIAM
VICANIS FLVIVM POPV
LO CRVSTVLVM ET
MVLSVM DEDIT.

Ex hac autem inſcriptione illud quoque colligere poſſumus , Carolum
Lib. 6. Sigonium recte Sabatinam tribum ex Liuij verbis in Etruriæ agro collocaſſe. M. MINATII huius , qui Cn. Pompeij , vt ego arbitror , in Hiſpania Pro-Quæſtore fuit, nullam apud veteres ſcriptores reperio mentionem ; eius autem libertus fortaſſe fuit M. Minatius is , qui in veteri inſcriptione notatus eſt. In qua FLVIVM pro FLVVIVM antiquiſſima ſcribendi ratione, quæ in aliis quoque antiquitatis monumentis reperitur , inciſum eſſe animaduertimus.




MINEIA Gens nuſquam apud veteres Scriptores apparet. Quapropter quænam ſit illa Mineia Marci filia ignoratur. Certe inuſitatum eſt mulierum nomina Nomiſmatis inſcribi. Illud autem quod altera facie cernitur , an monumentum ſit familiare , quod ob ingens aliquod & egregium facinus ex S. C. Sibi Poſuerit incertum eſt. Aliorum fortaſſe fælicior coniectura fuerit , ego vero nihil aliud ſuſpicari poſſum.



MINVCIA Gens Patricia primum, poſtea plebeia fuit. Primus autem ex ea ad plebem tranſiuit L. MINVCIVS AVGVRINVS qui Tribunus plebis vndecimus factus eſt anno CCCXIIII. in cuius, vt opinor, memoriam quod Præfectus annonæ fuiſſet anno CCCXIII. & CCCXIIII. quodque, vt ſcribit Liuius, frumentum Melianum in modios æſtimatum plebi diuiſiſſet, priores duos huius tabellæ denarios, adiecto in eis annonæ ſymbolo, duabus ſpicis, & Sp. Melij tyrannidem captantis, & a Minucio detecti imagine altero pede orbi innixa, C. & T. MINVCII AVGVRINI ſignarunt. Quia vero in vtroque denario Auguris ſignum cum lituo expreſſum eſt, exiſtimarim eo deſignari M. Minucium Feſtum qui primus e plebe Augur ex ea Familia factus eſt anno CDLIII. vt ſcribit Liuius. Quamuis Lib. 5. fieri etiam poteſt, vt aliquis ex hac Gente augurali ſacerdotio ſumma cum laude functus, indeque Augurini cognomen adeptus, litui ſigno huiuſmodi deſignetur. Sic enim Marcium in honore Cenſuræ Cenſorinum in Faſtis Lib. 18. c. 3. appellatum fuiſſe ſcimus. De ſtatua columnæ ſuper-impoſita, quæ Lucio Minucio annonæ Præfecto decreta fuit, meminit Plinius. Minucius, inquit, «
Augurinus qui Sp. Melium coarguerat, farris pretium ad aſſem redegit, «
vndecimus plebis Tribunus: qua de cauſa ſtatua ei extra portam Trige- «
minam a populo ſtipe collata, ſtatuta eſt. Et alibi: Item Minucio Præfecto « Lib. 34. cap. 5.
annonæ extra portam Trigeminam vnciaria ſtipe collata, neſcio an primo «

„ honore a tali populo, antea enim a Senatu erat. L. Minucius boue aurato, Lib. 4. „ inquit Liuius, extra portam Trigeminam eſt donatus, ne plebe quidem „ inuita: qui frumentum Melianum aſſibus in modios æſtimatum plebi diuiſit. „ Hunc Minucium apud quoſdam autores tranſiſſe a patribus ad plebem, „ vndecimumque Tribunum plebis cooptatum, ſeditionem motam ex Me„ liana cæde ſedaſſe inuenio. Ceterum vix credibile eſt numerum Tribunorum „ Patres augeri paſſos: idque potiſſimum exemplum a patricio homine introductum &c. Ti. Minvcivs qui primum tabellæ denarium cuſit, 1. quia in eo C. F. deſcriptus eſt, opinor filium eſſe C. Avgvrini, qui ſecundum argenteum nummum percuſſit. Tertius denarius ad Q. 2. Minvcivm C. F. C. N. Rvfvm referri poteſt, qui Ædilis plebis fuit 3. anno dliii. & Conſul cum C. Cornelio Cethego anno dlvi. quique triumphum egit de Liguribus & Boijs in monte Albano. Poteſt etiam pertinere ad Q. Minvcivm Q. F. Rvfvm, qui Dux in Aſia fuit contra Mithridatem anno dcliii. eius meminit Appianus in Mithridatico. Quarto 4. denario incertum, qui e Minuciis Lucij cognomine affectus, deſignetur; niſi forte L. Minvcivs Thermvs Legatus A. Manlij Vulſonis, qui Conſul fuit anno dlxxv. cum M. Iunio Bruto, in eo notatus ſit. Quintus 5. ſine dubio ad Q. Minvcivm M. Thermi filium pertinet, ſub quo in Aſia Prætore C. Iulius C. F. Cæſar qui poſtea Dictator fuit, prima ſtipendia Sueton. in Cæſare c. 2. fecit, & ab eo in expugnatione Mitylenarum ciuica donatus eſt. *Nec abhorret Cæſaris facinus, quo hoc militare donum meruit Quintum Minucium in altera parte memoriæ mandaſſe quo ſibi Cæſaris voluntatem paternæ neceſſitudinis commemoratione conciliaret, proſtratum ciuem miles ab hoſte deffendit.*


MVCIA.



Mvciam Gentem plebeiam fuiſſe, inter ſcriptores conſtat. Eius autem duæ reperiuntur Familiæ Cordorvm ſcilicet & eorum Lib. 4. qui appellati ſunt Scaevolae. Cordorvm facit mentionem Dionyſius, Lib. 1. c. 7. & Quinctilianus, quos ex caſu naſcentium cognomen inueniſſe ſcribit: eumque qui primus ita cognominatus eſt, a quibuſdam Cordum, ab Athenodoro autem Opſigonum, quod idem eſt, appellatum fuiſſe teſtatur. Cordos enim agnos, Cordum item frumentum & fenum dicebant antiqui, Lib. 7. quod ſero naſceretur, aut matureſceret. Vitruuius facit mentionem Mucij cuiuſdam ad quem fortaſſe reſpexit Cordvs hic, qui Trium-Vir cum

eſſet, monetam cum Honoris ſigno & Virtutis, ad illuſtrandra Gentilis ſui monumenta ſignauit. Vitruuij verba ſunt hæc. C. Mucium, qui magna « ſcientia confiſus ædes Honoris ac Virtutis Marianæ cellæ columnarumque « & epiſtyliorum ſymmetrias legitimis artis inſtitutis perfecit, &c. Cum autem Cordi cognomine aliqui ex Mucia Gente vſi ſint, fieri poteſt, vt quæ a Vitruuio de C. MVCIO ſcripta ſunt, ea ad Cordum hunc qui in denario notatus eſt, aliquo modo pertineant. De æde Honoris & Virtutis ſcripſimus in Fuſia Gente, cuius cognomen eſt KALENVS.

MVNATIA.



MVNATIAE Gentis, PLANCORVM tantum Familia in antiquis denariis reperitur, cum Rufi etiam à Cicerone in lib. v. in Verrem & Val. Max. aliique a ſcriptoribus nominentur. L. autem MVNATIVS Lib. 4. c. 5. PLANCVS qui huius tabellæ nummos ſignauit, is eſt, ad quem Ciceronis Lib. 10. epiſtolæ ſcriptæ ſunt: in quibus Imperator & Conſul deſignatus appellatur: qui quidem titulus à Plinio quoque ei tributus eſt. Fuit autem Conſul Lib. 3. deſignatus cum D. Bruto in annum DCCXI. Vas in altera nummi parte opinor adiectum eſſe, quod VII-Vir Epulonum Plancus fuerit: quamuis ad C. quoque Cæſarem, qui Pontifex Maximus fuit, referri vrceolus poſſit. Cum autem in eodem nummo Vrbis Præfectus PLANCVS deſcribatur, poteſt ea inſcriptio pertinere ad id, quod narrat Dio, Cæſarem ſcilicet Conſulem & Dictatorem vtrumque tertium, ad Hiſpanienſe bellum profecturum, Lepido Collegæ Vrbem cum octo præfectis commiſiſſe: ex quibus vnum fuiſſe Plancum credendum eſt. Ad ſecundi denarij intelligentiam faciunt Velleij verba, ex quibus Antonii partes ſecutum fuiſſe Plancum Lib. 2. intelligimus. Plancus, inquit, Antonianarum adiutor partium, ſpem magis « oſtendens auxilii, quam opem ferens Antonio. *Hæc apud eumdem. In hunc* « *apparatum belli Plancus non iudicio recta legendi neque amore R. P. aut Cæſ.* « *(quippe hæc ſemper impugnabat) ſed morbo proditor quum fuiſſet humillimus* « *aſſentator Reginæ, & inter ſeruos cliens, quam Antonij librarius, quum obſcæniſſimarum rerum & autor & miniſter, quum in omnia & omnibus venalis, cum ceruleatus &* « *nudus, caputque redimitus arundine, caudam trahens genibus innixus Glaucum* « *ſaltaſſet: in conuiuio refrigeratus ab Antonio ob manifeſtarum rapinarum indicia* « *transfugit ad Cæſarem. Et idem poſtea clementiam Victoris pro ſua virtute interpretabatur, dictitans id probatum a Cæſare, cui ille ignouerat.* Appianus etiam Lib. 3. bel. ciuil.

eadem de Planco ſcribit. Καὶ ὁ Πλάγκος, inquit, σὺν τρισὶ τέλεσι μεθίσταται εἰς τὸν Ἀντώνιον, Hoc eſt, Plancus cum tribus legionibus tranſiuit ad Antonium. Paulo poſt. Λέπιδος ἔχων ἐν Ἰβηρίᾳ τέσσαρα τέλη, καὶ Ἀσίνιος Πολλίων δύο, καὶ Πλάγκος ἐν τῇ ἑτέρᾳ Κελτικῇ τρία, ἐδόκουν αἱρήσεσθαι τὰ Ἀντωνίου. Hoc eſt, Lepidus quoque cum quattuor legionibus, quas habebat in Hiſpania, Aſinius Pollio cum duabus, & Plancus cum tribus quas habebat in Gallia Comata, videbantur ſe cum Antonio coniuncturi. De Planco exſtat Caietæ inſcriptio huiuſmodi.

L. MVNATIVS L. F. L. N. L. PRON.
PLANCVS COS. IMP. ITER. VII-VIR
EPVLON. TRIVMPH. EX RAETIS AEDEM SATVRNI
FECIT DE MANIBIIS AGROS DIVISIT IN ITALIA
BENEVENTI IN GALLIA COLONIAS DEDVXIT
LVGDVNVM ET RAVRICVM.

De Lugduno Colonia, a Planco deducta, Galliæ Comatæ Prætore meminerunt Euſebius, & Dio, cuius verba adduximus in Antonia Gente. Saturni autem ædem de manubiis Plancum feciſſe, alterius quoque inſcriptionis fragmentum, quod Romæ prope ipſam Saturni ædem ſuperioribus annis repertum eſt, confirmat. Eius exemplum ſubiecimus.

L. PLANCVS L. F. COS. . . .
IMP. ITER. DE MANIB. . . .
. . . .

De Hydria inter fulmen & caduceum poſita videndus denarius idem referens, qui in Antonia Gente ſignatus eſt.



Ep. 1. lib. 3. ad Q. Frat. MVSSIDIAE Gentis e Sabinis, vt opinor, oriundæ facit mentionem Cicero vbi pro MVSSIDIVS librariorum errore ſcriptum eſt

MESSIDIVS: quamuis Meſſidius etiam ferri poſſit, quod id nomen a Meſſiis ductum ſit, vt a Muſſiis Muſſidius. In antiqua baſi ſtatuæ Veſpaſiani Imperatoris cuius alibi meminimus, D. quidam MVSSIDIVS IANVARIVS notatus eſt inter eos, qui ad eam ponendam Imperatoris ſtatuam, pecuniam contulerunt. E Sabinis autem veniſſe Muſſidios coniicere poſſumus ex iis, quæ in ſecundo & tertio tabellæ denario expreſſa ſunt cum inſcriptione CLOACIN. Id enim Veneris cognomen eſt in cloaca repertæ, & a T. Tatio Sabino conſecratæ. Dedicatam autem Venerem a Tatio ſiue Cloacinam, vt habet denarius, ſiue vt mauult Plinius, Cluacinam in Comitio fuiſſe (quæ pars erat Fori Romani concionibus & comitiis populi deſtinata) ſatis conſtat cum ex Comitiorum cancellis, qui in denario ſignati ſunt, tum ex togatorum imaginibus, qui ſuffragia in vrnas coniiciunt. His accedit veterum Scriptorum autoritas, Plinij primum qui Cloacinæ ſignum fuiſſe dicit eo in loco, in quo Romani & Sabini cum ob raptas virgines dimicaſſent, depoſitis armis fœdus icerunt: deinde Plutarchi, qui locum hunc, in quo Romani & Sabini pacem huiuſmodi fecerunt, a coëundo Comitium appellatum fuiſſe ſcribit. Sed prius verba Plinij proferamus, deinde Plutarchi locum ex Romulo ſubiungamus. Fuit, inquit Plinius, vbi nunc Roma eſt, myrtus iam tum cum conderetur, quippe ita traditur, myrtea verbena Romanos Sabinoſque cum propter raptas virgines dimicare voluiſſent, depoſitis armis purgatos in eo loco, qui nunc ſigna Veneris Cluacinæ habet. Eluere enim antiqui pugnare dicebant. Plutarchi verba ſunt. Ἐκ τούτου συντίθενται τῶν μὲν γυναικῶν τὰς βουλομένας συνοικεῖν τοῖς ἔχουσιν, ὥσπερ εἴρηται, πάντων ἔργου, καὶ πάσης λατρείας πλὴν ταλασίας ἀφειμένας, οἰκεῖν δὲ κοινῇ τὴν πόλιν Ῥωμαίους καὶ Σαβίνους, καὶ καλεῖσθαι μὲν Ῥώμην ἐπὶ Ῥωμύλῳ τὴν πόλιν Κυρίτας δὲ, Ῥωμαίους ἅπαντας ἐπὶ τῇ Τατίου πατρίδι. Βασιλεύειν δὲ κοινῇ, καὶ στρατηγεῖν ἀμφοτέρους. ὅπου δὲ ταῦτα συνέθεντο μέχρι νῦν Κομίτιον καλεῖται. Hoc eſt, Ita pax fit, vt quæ vellent mulieres manerent apud eos, a quibus tenebantur, ab omni opere & obſequio præterquam lanificio immunes: communem haberent Romani & Sabini vrbem: Roma vrbs a Romulo; Romani omnes, Quirites a Tatij patria vocarentur: regnum ducibus domi, militiæque conſociaretur. Fœdus ibi ictum fuit, hodie quoque a coëundo Comitium vocatur. Ad hanc autem Sabinorum & Romanorum indicandam fortaſſe coïtionem, Concordiæ caput in altera huius denarij parte impreſſum a MVSSIDIO fuit: de ea enim ſic cecinit Ouidius.

Lib. 15. cap. 29.

Lib. 6. Faſtor.

Venit Apollinea longas Concordia lauro
 Nexa comas, placidi numen, opuſque ducis.
Hæc vbi narrauit Tatium fortemque Quirinum,
 Binaque cum populis regna coiſſe ſuis:
Et lare communi ſoceros generoſque receptos,
 His nomen iunctis, Iunius inquit, habet.

Quod autem cancelli quidam in Comitio fuerint, vt in Campo Martio ſepta, quo introuocarentur tribus cum ſuffragium inibant, cum ipſum introuocandi verbum argumento eſſe poteſt, tum quod per pontes his etiam Comitiis ſuffragium ferebatur, quos in ingreſſu cancellorum quorumdam inſtitutos

fuiſſe concipiamus neceſſe eſt. De huiuſmodi pontibus, qui erant in Comitio, meminit Cicero. Operæ, inquit, Clodianæ Pontes occuparant, tabellæ » miniſtrabantur ita, vt nulla daretur, vti rogas. Hic tibi roſtra aduolat Cato: » conuitium Piſoni Conſulari mirificum facit, ſi id eſt conuitium, vox plena » grauitatis, plena autoritatis, plena denique ſalutis. Accedit eodem noſter » Hortenſius, multi præterea boni: inſignis vero opera Fauonij fuit. Hoc con- » curſu optimatum comitia dimittuntur, &c. De cancellis ſeu ſeptis, quæ in Campo Martio erant, facit mentionem Plutarchus in Mario. Μάλιστα δὲ, inquit, ὑποψίαν παρέσχε Κασσίου Σαβάκωνος οἰκέτης ὀφθεὶς ἐντὸς τῶν δρυφράκτων, ἀναμεμιγμένος τοῖς φέρουσι τὰς ψήφους. ὁ γὰρ Σαβάκων ἦν ἑταῖρος ἐν τοῖς μάλιστα Μαρίου. » Hoc eſt, Suſpicionem autem dedit potiſſimum Caſſij Sabaconis ſeruus » intra cancellos conſpectus inter eos, qui ſuffragium ferebant: quippe erat » in primis neceſſarius Sabaco Marij, &c. De iis autem quæ in Comitio erant, » meminit Cicero, cum inquit; Venit in templum Caſtoris, obnuntiauit » Conſuli: cum ſubito manus illa Clodiana in cæde ciuium ſæpe iam victrix, » exclamat, incitatur, inuadit. Inermem atque imparatum Tribunum alij » gladiis adoriuntur, alij fragmentis ſeptorum & fuſtibus, &c. Iidem Comitiorum cancelli expreſſi ſunt in P. NERVAE denario, in cuius explicatione multa de ſeptis huiuſmodi, ſeu cancellis & ciſtis, in quas tabellæ ſuffragiorum coniiciebantur, in Licinia Gente ſcripſimus. Comitium igitur quod in Foro fuerit ac prope Roſtra, ex eadem Ciceronis oratione colligitur, in qua eſt; » cum Forum, Comitium, Curiamque multa de nocte armatis hominibus » occupauiſſent, &c. Paulo poſt de Q. Fratre, Pulſus, inquit, e Roſtris in » Comitio iacuit, &c. Itaque quod in Foro eſſet Comitium, in ipſoque » Comitio Cloacina, recte a Liuio dictum eſt. Ducit filiam ac nutricem prope » Cloacinam ad Tabernas, quibus nunc Nouis eſt nomen. Fuiſſe enim Tabernas in Foro, vel Varronis teſtimonio confirmare poſſumus, qui Sub Nouis, inquit, dicta pars in Foro ædificiorum, &c. Nec obſtat quod in Faſtis Ouidius Cloacinam prope Sacram Viam collocauit, quoniam ea pars Fori, in qua Comitium erat, in quo Cloacinæ ſignum fuiſſe diximus, Sacræ Viæ iungebatur, vt ex recta Romani Fori poſitione intelligi poteſt. Inde puto dixiſſe Plautum in Curculione.

Lib. I. ad Att.

In Orat. pro Sextio.

Lib. 3.


Qui periurum hominem vult conuenire, mitto in Comitium:
Qui mendacem & glorioſum, apud Cloacinæ ſacrum.

Cloacam quoque Maximam, a qua Deam a Tatio in ea repertam, dictam Cloacinam volunt, in Foro fuiſſe, ſatis ex autoribus conſtat: Vt nihil dubij relinquatur, quin Cloacina in Comitio, quod erat in Foro, conſecrata a Tatio fuerit, ſitque Comitium ipſum in duobus MVSSIDII denariis expreſſum. Deæ autem Cloacinæ duo fortaſſe ſigna in Comitio fuerunt, vnum eius quæ in Cloaca reperta, Cloacina Dea vocata eſt: alterum Veneris eius, quæ a cluendo dicta fuit Cluacina. Id ex verbis, quæ ſupra protulimus Plinij, coniicere aliquo modo poſſumus, ex quibus non vnum, ſed plura Veneris Cloacinæ ſigna fuiſſe intelligimus. Cluacinæ quidem Veneris ipſe tantum Plinius meminit: Cloacinæ vero Deæ Varro lib. IV. de Lingua


Latina,


Latina, Cyprianus, & Auguſt. de Ciuitate Dei, Cloacinam (inquit) T. Tatius Lib. 4. c. 23.
dedicauit Deam. Cloacinæ, inquit Lactantius, ſimulacrum in Cloaca Maxima Et lib. 6. cap. 10.
repertum, Tatius conſecrauit, & quia cuius eſſet effigies ignorabat, ex loco Lib. 1.
illi nomen impoſuit. Cloacinam, inquit Arnobius, Tatius & inuenit & coluit. Lib. 8.

1. Primus autem huius tabellæ aureus nummus, quia Cereris imago in eius vna parte, in altera ſpicea corona impreſſa eſt, ad frumentariam aliquam Muſſidij procurationem poteſt pertinere: quamuis ad C. quoque Cæſarem Dictatorem ſub quo cudendæ monetæ Muſſidius præfuit, referri ea nota poſſit: de Cæſare enim ita Suetonius ſcribit. Populo præter frumenti denos (cap. 38.) modios ac totidem olei libras, tricenos quoque nummos, quos pollicitus
4. olim erat, viritim diuiſit, & hoc amplius centenos pro mora &c. Quarto denario C. Cæſaris qui poſtea Auguſtus dictus eſt, & M. Antonij concordiam
5. indicari opinor, de qua in Antonij nummo dictum eſt. Quintus ad C. Cæſaris Dictatoris victorias ſpectat, quarum cauſa, ſpectacula in Circo ab eo edita fuiſſe tradit Suetonius. Circenſibus, inquit, ſpatio Circi ab vtraque parte (cap. 39.) producto, & in gyrum euripo addito, quadrigas, bigaſque, & equos deſul-
6. torios agitauerunt nobiliſſimi iuuenes, &c. Qui Muſſidius longus in ſexto denario deſcribitur ille eſt de quo ſupra ſcriptum eſt.




AD eumdem MVSSIDIVM tres primi huius tabellæ nummi pertinent; in quibus T. F. IIII. VIR A. P. F. hoc eſt Quartum-Vir Auro, ſiue Argento Publico Feriundo, deſcriptus eſt. Poſſunt tamen litteræ illæ A.P.F. interpretari Aurum ſiue Argentum Primus Flauit, vt in Iulia Cæſarum Familia diximus, in qua de Quartum-Viris monetæ cudendæ a Cæſare primum inſtitutis abunde ſcriptum a nobis eſt. *Quod Trium-Viratus tempore factum fuiſſe indicat tertius nummus in quo M. Antonius cernitur. Huius affinis* MVSSIDIVS PRISCVS *in vltimo nummo legitur, cum C. Heio Pollione, II. Vir, de quo Magiſtratu alias. De Muſſidiis ne verbum quidem apud veteres Scriptores.*






NAEVIAM Gentem plebeiam fuiſſe, vel ex hoc intelligere poſſumus,
quod ex ea exiſtiterunt *Næuius ille Tribunus plebis qui* IIII. *Id. Decembr.*
Liuius lib. 39. *primus cum Collega Tribunatum iniit, poſt eam plebis ſeceſſionem, quæ his*
creandis Magiſtratibus occaſionem dedit anno CCLX. & M. Næuius Tribunus pl. qui
Lib. 3. c. 7. P. Scipioni diem *de repetundis* dixit, vt ſcribit Valerius Max. *quo die librum*
Aurel. Victor de *rationum in conſpectu populi ſcidit, Hac die, inquit, Carthaginem vici: bonum factum:*
Vir. Illuſtr. 49. *in Capitolium eamus & Diis ſupplicemus.* Eius Gentis in nummis Familiæ
Lib. 7. c. 16. reperiuntur BALBORVM, SVRDINORVM & CAPELLARVM. *Pollio*
Næuius apud Plinium memoratur, ſed nullus huius Familiæ in nummis occurrit. L.
Lib. 45. Næuij Balbi facit mentionem Liuius, cum inquit, Dimiſſis Legatis, diſce-
„ ptatum inter Piſanos Lunenſeſque Legatos: Piſanis querentibus agro ſe a
„ colonis Romanis pelli, Lunenſibus affirmantibus eum, de quo agatur a
„ Trium-Viris agrum ſibi aſſignatum eſſe; Senatus qui de finibus cognoſce-
„ rent, ſtatuerentque, quinque viros miſit Q. Fabium Buteonem, T. Sem-
„ pronium Muſcam, L. Næuium Balbum, C. Apuleium Saturninum. Poteſt
autem L. is Balbus pater eſſe C. NAEVII huius, qui argenteum denarium
cuſit. L. NAEVII SVRDINI, qui ſub Auguſto nummos æreos ſignauit,
nulla quod ſciam exſtat mentio apud Scriptores. In veteri autem inſcriptione,
quæ proximis annis in Foro Romano reperta, in Capitolium tranſlata fuit,
in cuius altera parte equeſtris ſtatua Curtij eius expreſſa eſt, à quo lacus

Curtius dictus fuit, mentio fit L. NAEVII L. F. SPVRINI PRÆTORIS INTER CIVIS ET PEREGRINOS. *Ad rem propius accedit, & fortaſſis eadem eſt, ea quæ refertur in inſcriptionibus antiquis* NAVIVS L. F. SVRDINVS Grut. INTER CIVIS ET PEREGRINOS. C. NAEVII CAPELLAE *qui in quarto denario III. Vir monetæ cudendæ circum incudem deſcribitur, nulla, quod ſciam, exſtat mentio.*




NASIDIAE Gentis, incertum patriciæ ne an plebeiæ, ſcriptores multi meminerunt. Quæ autem ad primi nummi alteram partem, in qua Sex. Pompeij imago, cum Neptuni nomine, cuius ſe filium iactabat, expreſſa eſt, pertinere videbantur, quia in Pompeij ipſiis denariis abunde ſcripta Philipp. 7. ſunt, licebit inde vnicuique petere. Q. vero NASIDIVM, opinor L. Naſidij filium fuiſſe, cuius facit mentionem Cicero, quique a Cn. Pompeio patre Lib. 2. bel. cum claſſe nauium ſexdecim, L. Domitio Maſſilienſibuſque ſubſidio miſſus Ciuil. fuit, vt ſcribit Cæſar, atque in eius rei memoriam nummum a NASIDIO filio ſignatum eſſe. Niſi forte quia ipſe quoque Q. NASIDIVS, Sex. Lib. 50. Pompeij claſſi aliquando præfuit, ad eum honorem declarandum, huiuſmodi denarium cudi curauit, quod magis placet. Verba Dionis quæ huc ſpectant, « ſunt hæc; Ἀγρίππας δὲ τότε μὲν τήν τε Λευκάδα, καὶ τὰ ἐν αὐτῇ σκάφη ἀφνιδίως « ἐπιπλεύσας ἔλαβε, καὶ Πάτρας εἷλε Κυΐντο Νασίδιον ναυμαχίᾳ νικήσας. Hoc eſt, Eo « tempore Agrippa Leucadem repente aduectus, inſulam & naues, quæ in ea erant, cepit: ac Patras deinde, victo nauali pugna Q. NASIDIO. Male Lib. 5. bel. autem in vulgatis libris Ἀσίδιος ſcriptum eſt pro Νασίδιος. Meminit huius Ciuil. Naſidij Appianus, his verbis. Κάσσιος δὲ ὁ Παρμήσιος, καὶ ΝΑΣΙΔΙΟΣ, καὶ « Σατουρνῖνος, καὶ Θέρμος, καὶ Ἀντίστιος, ὅσοι τε ἄλλοι τῶν ἀξιολόγων, Πομπηΐῳ παρῆσαν. « Hoc eſt, Caſſius autem Parmenſis, & Naſidius & Saturninus, & Thermus & Antiſtius, quique ex optimatibus Pompeio aderant. NASIDIV autem pro NASIDIVS antiquos ſcribere ſolitos fuiſſe, in ALBINI nummo indicauimus.



NERIAE Gentis facit mentionem Horatius illo verſu,

Lib. 2. ſerm. Satyr. 3. Scribe decem a Nerio, &c.

In quem verſum ita ſcribit Porphyrio. Nerium Catienum (ita enim eſt in vetuſtiſſimo libro) iuris ſtudioſum fuiſſe, & ab Horatio, vt auarum tangi. NERII autem huius, qui in argenteo denario Quæſtor Vrbanus L. Lentulo, Ep 3. lib. 2. ad Q. Frat. C. Marcello Coſſ. deſcriptus eſt, meminit, vt opinor, Cicero his verbis. „ Seſtius ab indice Cn. Nerio Pupinia de ambitu eſt poſtulatus, & eodem die „ a quodam M. Tullio de vi. Cenſebatur autem Neria gens, vt ex hoc loco colligitur, in Tribu Pupinia, quæ inter ruſticas numerabatur, ab agro Pupinio, vt ſcribit Feſtus, nuncupata.




NONIAM Gentem plebeiam fuiſſe ſatis ex ſcriptoribus conſtat. Ex ea enim ortus eſt Nonius Balbus Tr. pl. qui edicto, quod Soſius in Lib. 50. Antonij gratiam contra C. Cæſarem fecerat, interceſſit, vt ſcribit Dio. SEX. autem NONIVS SVFENAS, qui vt ex nummi inſcriptione apparet, Prætor ludos Votiuos publicos fecit, fortaſſe is eſt, cuius meminit Catullus illo verſu ad Varrum,


Sufenas iſte, Vare, quem probe noſti.

Ita enim legendum eſt, non vt in vulgatis libris, Sufenus. Nonis Quinctilibus, Ep. 14. lib. 4. ad Att. inquit Cicero, Sufenas & Cato abſoluti ſunt. Qui erat annus Vrbis DCXCIX. Lib. 7. c. 8. Valerius etiam Maximus Sufenatis cuiuſdam facit mentionem, ad quem pertinere hunc denarium, ſuſpicari quiſpiam poſſit: ad cuius quidem intelligentiam, de ludis Votiuis video aliquid mihi dicendum eſſe. Ac primum,


Ludorum huiuſmodi quoſdam publicos, quoſdam vero priuatos fuiſſe inuenio: Publici ex S. C. a magiſtratibus vouebantur, & quidem ab eo, qui maiorem Magiſtratum tunc in Vrbe gerebat. Edebantur autem ſtato tempore ex pecunia publica ab eo quoque magiſtratu, cuius tunc in Rep. ſummum ius eſſet: is erat Dictator, Conſul, Tribunus militum, Conſulari poteſtate, Prætor; Priuati, ab iis magiſtratibus edebantur, a quibus eſſent voti, & ex ea pecunia quam is qui vouiſſet in ærarium detulerat. Vouebantur autem his de cauſis. Si Reſp. in eodem ſtatu per quinquennium manſiſſet, inquit Liuius. Peſtilentiæ auertendæ cauſa, inquit Suetonius in Auguſto. Si populi Romani exercitus proſpere aduerſus hoſtes pugnaſſet, vel vrbem aliquam cepiſſet paſſim apud Liuium & Dionem. Huiuſmodi autem ludi aliquando dicebantur, vt opinor, LVDI VICTORIAE: ita enim eſt in menſe IVL. antiqui Kalendarij Romani LVDI VICT. CAES. de quibus ita Suetonius. Ludos victoriæ Cæſaris non audentibus facere, quibus obtigerat, id munus ipſe edidit. (Victoriam autem intelligo Pharſalicam, vt eſt apud Plutarchum in Cæſare) Prætor, inquit idem in Veſpaſiano, factus ludos extraordinarios pro victoria C. Cæſaris Caligulæ depopoſcit. Huiuſmodi quandam victoriam ſiue C. Cæſaris, ſiue Auguſti hoc denario indicari arbitror, qua ludos Votiuos fecerit SEX. NONIVS SVFENAS PR. eſt enim in eo expreſſa Victoriæ ipſius imago coronata. Vouebantur præterea ludi ſeditionis ſedandæ cauſa. Prodigiorum expiandorum cauſa. In dedicationibus templorum. Pro reditu Principis. Pro ſalute paſſim id legitur apud Liuium, Dionem, & Tacitum. Vouebantur in honorem etiam Deorum, vt Megaleſia aliquando, vel Matris Magnæ. Apollinares, qui deinde ſolemnes, ſtatique ex S. C. facti ſunt, cum antea votiui & incerti fuiſſent. In honorem etiam hominum: ex quibus aliquot ſolemnes facti ſunt, vt ludi victoriæ Cæſaris, natalis Auguſti, &c. In honorem mortuorum: hi autem erant funebres ludi, quos priuati ciues Romani in Parentum vel maiorum memoriam edebant, cuiuſmodi fuerunt, quibus Terentii comœdiæ recitatæ ſunt. SEX. NONIVS QVINCTILIANVS qui in æreo huius tabellæ nummo notatus eſt, Conſul fuit anno DCCLX. cum M. Furio Camillo. *De hoc forte ſic ait Plinius, Sed mira Antonij feritas atque luxuria propter gemmam proſcribentis: nec minor* NONII *contumacia proſcriptionem ſuam amantis, &c.*

Liuius lib. 4. 5. & 30.
Liuius lib. 24. 32. 27. & 42.
Liuius lib. 9. & 17.
Cap. 23.
Lib. 48.
In Auguſto.
Cap. 2.
Dio lib. 55.
Lib. 37.






NORBANA Gens, *cuius cognomen habemus (nomen enim interiit vt ex Car. Sigonio intelligitur de Nominibus Romanorum)* inter plebeias numerata fuit, ex qua C. Norbanus Tribunis plebis exſtitit anno DCXLVIII. cuius rogatione Q. Seruilio Cæpioni Pro-Coſ. imperium abrogatum eſt. C. autem NORBANVM qui huius tabellæ denarios cuſit, quantum ex iis, quæ in altera parte denariorum expreſſa ſunt, coniicere licet, opinor eum eſſe, qui Auguſti in X. Conſulatu collega fuit anno DCCXXIX. Pacis enim iuſtitiæ & abundantiæ ſymbola ſunt, caduceus, ſpica, & faſcis, quæ Auguſti temporibus maxime conueniunt. Primus aureus nummus ad huius patrem C.
Lib. 5. in NORBANVM pertinere poteſt, quem Siciliæ Prætorem fuiſſe ſcribit Cicero,
Lib. 47. & Antonij poſtea Legatum Dio & Appianus. In Faſtis autem Conſul cum
Lib. 4. App. Claudio Pulchro anno DCCXV. deſcribitur: in quibus eiuſdem quoque Pro-Conſule ex Hiſpania triumphus notatus eſt anno DCCXIX. Poteſt autem Aureus hic nummus ad huius etiam Patrem C. NORBANVM prioris NORBANI auum referri, qui Conſul fuit cum L. Scipione Aſiatico anno DCLXX. De Africæ imagine & ſella Prætorum in Gente Ceſtia dictum eſt. *Vltimus nummus etiam aureus ad ludos Megalenſes videtur ſpectare, quos in honorem Magnæ Matris Deum celebrabant, vt nomen etiam indicat.*




QVADRATI *cognomen, quod in hoc nummo legitur, cuinam Genti tribuendum ſit dubitari poſſet, niſi Antiochienſium nomen faceret vt Numidiæ Genti addiceretur. Apud Dionem, quidam Ninnius Quadratus nominatur Tr. pl. qui rogationi iniquæ P. Clodij M. Tullij Ciceronis cauſa interceſſit, a qua poſtea deſtitit Cicerone etiam aſſentiente, cum eos falſis promiſſis adduxiſſet Clodius, vt crederent ſe nihil ex illa rogatione detrimenti capturos. Sed ad eum cur Antiochia pertineat non video, nec niſi magna nominis deprauatione credi poteſt in eadem Gente numerandus: quod ſi eſſet, certe* NVMIDIA *Gens plebeia merito crederetur, de qua quænam ſit, nullus, quod ſciam, ſcriptorum docet. Et certe cum apud C. Tacitum alia non minor* NVMIDIAE *Gentis corruptio legatur, idem apud Dionem factum fuiſſe non vſquequaque a coniectura abhorrere videtur. Titum Vinidium Quadratum Tacitus commemorat Præſidem Syriæ cuius caput Antiochia eſt. Huius nominis emendandi cauſam præbet Philo, qui* Νουμίδιον Κοδρᾶτον *vocat* τῆς Συρίας προεστηκότα. *Plinius ad Geminium; Numidia Quadratilla, inquit, paulo minus octogeſimo ætatis anno deceſſit, &c.* NVMIDII *etiam* QVADRATI *adoleſcentis idem habet mentionem. Quibus ſatis conſtat & Gentem Numidiam aliquam fuiſſe & ex ea illum fuiſſe* QVADRATVM *qui in hoc nummo legitur. Spectat hoc ad annum* V.C. DCCCIX. *Ti. Claudio Cæſare V. Sex. Corn. Orphito Coſſ. Is ille eſt Quadratus qui aduerſus Parthos ſub Nerone Legatus, auxiliarium copiarum partem cum duabus Legionibus ducebat. Qui Samaritas & Galilæos ob iniquam Felicis & Cumani dominationem rebellantes compreſſit, qui obſides a Vologeſe acceptos Corbuloni tradere coactus eſt. De eo plura vide apud Corn. Tacitum.*

Annal. lib. 12. & 13.
Lib. 20.
Lib. 10. Epiſt.
Lib. 12. & 13. Annal.



Lib. 2. NVMITORIAM Gentem, *a Numitore dictam*, plebeiam fuiſſe, vel ex vno L. Numitorio conſtat qui Trib. pl. a Liuio deſcribitur. C. autem

Dionyſ lib. 12 Lib. 5. in Verrem. NVMITORIVS qui cuſit poſtremos nummos huius tabellæ, opinor, is eſt, qui teſtimonium dixit in C. Verrem, quique à Cicerone Eques Romanus appellatur. Statui, inquit, egomet mihi tum modum orationi meæ &c. Numitorio Equiti R. primario homini, teſti meo, &c. Idem in lib. de Inuentione meminit Q. NVMITORII cuiuſdam, qui Pullus cognominatus fuit. 2.




Lib. 2. NVMONIAE Gentis facit mentionem Velleius; qui NVMONII VAALAE huius, qui Legatus Quinctilij Vari in Germania fuit, meminit his verbis. At Vala Numonius Legatus Vari, cetera quietus & probus, diri autor exempli ſpoliatum equite peditem relinquens, fuga cum aliis Rhenum petere ingreſſus eſt; quod factum eius Fortuna vlta eſt. Non enim deſertis ſuperfuit, ſed deſertor occidit. In hoc autem apud Velleium nomine ac cognomine, mirum quam fœde peccatum ſit non ab imperitis tantum librariis, ſed a doctis etiam viris, qui dum reſtituere vtrumque conantur, magis corruperunt. Erat enim in Manuſcripto Velleij libro, Valnumonius: ex eo alij fecerunt, Valumnius: alij quod hæc Familia inter Romanas non inueniretur ſcripſerunt Volumnius: quo modo in

in vltima Aldi editione impreſſum eſt. Atqui facile erat vnius omiſſæ a librariis litteræ erratum corrigere, & pro Valnumonius VALA NVMONIVS reponere: Eſt enim familiare Velleio cognomina præponere nomini Gentilicio, vt Mancinus Hoſtilius, Carbo Papirius, Lepidus Æmilius, & alia huiuſmodi, quæ animaduertit doctiſſimus iuuenis Claudius Puteanus, cum pro Horoſcius apud eundem Scriptorem Otho Roſcius emendauit. Opinor autem hunc eſſe Numonium Valam, ad quem Horatius ſcripſit Epiſtolam. 15. lib. 1.

Quæ ſit Hiems Veliæ, quod cœlum VALA Salerni, &c.


Ita enim in vetuſtiſſimis libris hanc Epiſtolam inſcriptam circumferri dudum admonui Dionyſium Lambinum Monſtrolienſem, qui denarij poſtea inſcriptionem in ſuis in Horatium Commentariis, ſed non ſatis emendate edidit. In altera nummi parte expreſſus eſt, vt videtur, vir quidam pugnans pro vallo: ex quo coniicere poſſumus Numoniam Gentem Vaalæ cognomen accepiſſe ab eo, qui vallo defenſo id cognomen primus inuenit. VAALA vero antique ſcriptum eſt pro VALA, vt FEELIX pro FELIX, & VAARVS pro VARVS vt videre eſt in Alatrina inſcriptione quam in Gente Betiliena deſcripſimus.



OGVLNIAE Gentis plebeiæ facit mentionem Liuius, & Valerius Lib. 10.
Max. qui Ogulnij huius meminit, qui tabellæ denarios ſignauit. Lib. 1. c. 8.
Eum autem opinor eſſe, qui Conſul in Faſtis deſcriptus eſt anno CDLXXXIV. cum C. Fabio Buteone, & anno CDXCVI. Dictator cum M. Lætorio Planciano Magiſtro equitum, Latinarum feriarum cauſſa. Anno autem CDLXI. Legatus in Epidaurum miſſus fuerat ad Æſculapium vt ſcribit Valerius Maximus, Romam accerſendum. Lib. 1. c. 8. Pauentibuſque, inquit, « inuſitato ſpectaculo nautis, eo anguis conſcendit, vbi Q. Ogulnij Legati « tabernaculum erat, inque multiplicem orbem, per ſummam quietem eſt « conuolutus, &c. Eumdem tradit Legatum ad Ptolomæum Regem miſſum « anno CCCCLXXX. munera quæ ab eo priuatim acceperat, in Ærarium, Lib. 4. c. 3. & quidem priuſquam ad Senatum Legationem referret, detuliſſe. Liuius Q. Lib. 10. & Cn. Ogulnios Tribunos plebis nominat, qui anno CDLIIII. legem Ogulniam de Sacerdotiis tulerunt, vt cum quatuor Augures, quatuor Pontifices, quinque Augures de plebe omnes adlegerentur. Ogulniæ Gentis mentio quoque exſtat in veteri hac inſcriptione.


N. OGVLNIO APOLLONIO CONIVGI CARISSIMO ET
N. OGVLNIO AMPLIATO FILIO PIENTISSIMO
VIX. ANN. VI. MEN. X. DIEB. V.
OGVLNIA CALE. B. M. FECIT.

Quod autem OCVLNIVS pro OGVLNIVS ſcriptum in nummis ſit, intelligere inde poſſumus antiquos C littera pro G vſos eſſe. Confirmat hoc antiquiſſima C. Duillij roſtratæ columnæ inſcriptio, in qua eſt, MACISTRATOS, PVCNANDOD, CESSIT, CARTACINENSIS, pro MAGISTRATOS, PVGNANDOS, GESSIT, CARTHAGINENSIS.



OPIMIAE, vel vt eſt in argenteis denariis, OPEIMIAE Gentis plebeiæ frequens eſt mentio apud veteres Scriptores. L. autem OPEIMIVS, qui in primo & ſecundo huius tabellæ nummo deſcriptus eſt, opinor eum eſſe 1.
Lib. 7. cap. 4. qui anno DCXXXII. cum Q. Fabio Maximo Æmiliani filio Conſul fuit 2.
anno DCXXXIII. ait Plinius. De eo meminit Cicero in Catilinam, his » verbis. Senatus, quod L. Opimius Coſ. verba fecit de Rep. de ea re ita » cenſuit, vti L. Opimius Conſul Remp. defenderet; igitur Q. Metellus, » cuius quattuor filij Conſulares, P. Lentulus, princeps Senatus cum L. Opimio Conſule, aliique complures amici Gracchum in Auentinum perſecuti ſunt: quo in prælio Lentulus graue vulnus accepit, interfectus eſt Gracchus, & In Iugurth. M. Fuluius Conſularis, eiuſque duo adoleſcentuli filij. Decretum, inquit » Saluſtius, fit, vti decem Legati regnum quod Micipſa optinuerat, inter » Iugurtham & Adherbalem, diuiderent. Cuius Legationis princeps fuit L. Opimius homo clarus, & tum in Senatu potens, quia Conſul C. Graccho, & M. Fuluio Flacco interfectis, acerrime victoriam nobilitatis in plebem exercuerat. Lib. 2. Hic eſt Opimius, inquit Velleius, a quo Conſule celeberrimum


Opimiani vini nomen; quod iam nullum eſſe, ſpatio annorum colligi poteſt. *Fuit enim eo Conſule omnium vinorum bonitas*, inquit Plinius, *vt Opimiani vini nomen non certum aliquod vinum deſignet, ſed omne vinorum huius anni genus complectatur.* De hoc meminit Cicero, in libro de Claris Oratoribus, & Plutarchus in C. Graccho. L. Opimij Conſulis fratrem fuiſſe arbitror M. OPEIMIVM, qui in tertio denario notatus eſt: de quo nullam inuenire potui mentionem apud eos Scriptores, quos ipſe legerim. *Reliqua quemnam ex Opeimiis ſpectent, ignoro. Nam & carent cognomine & typo qui certum aliquem deſignet.* Lib. 14. cap. 4. & 14.



OPPIAE Gentis plebeiæ facit mentionem Liuius, qui nominat C. Oppium Tr. pl. qui legem Oppiam de matronarum habitu tulit, anno DXL. alibi meminit L. Oppij Salinatoris, qui anno DLX. Ædilis plebis fuit. Q. OPPII, qui in primo huius tabellæ nummo Prætor deſcriptus eſt, mentio vt opinor, exſtat apud Appianum: Λαοδικεῦσι τι ἔτι, inquit, ἀντέχουσι τοῖς περὶ τὸν Λύκον ποταμὸν Ῥωμαίων γάρ τις στρατηγὸς Κόιντος Ὄππιος, ἱππέας καὶ μισθοφόρους τινάς, ἐς τὴν πόλιν ἐσδραμὼν ἐφύλαττεν αὐτήν, κήρυκα ἐπιπέμψας ἐπὶ τὰ τείχη, λέγειν ἐκέλευσεν, ὅτι βασιλεὺς Μιθριδάτης ὑπέχεται Λαοδικεῦσιν ἄδειαν εἰ τὸν ΟΠΠΙΟΝ αὐτῷ προσαγάγοιεν. οἱ δ' ἐπὶ τῷ κηρύγματι, τοὺς μὲν μισθοφόρους ΟΠΠΙΟΥ μεθῆκαν ἀπαθεῖς ἀπιέναι. αὐτὸν δὲ ἤγαγον τῷ Μιθριδάτῃ τὸν ΟΠΠΙΟΝ, ἡγουμένων αὐτῷ τῶν βαρβάρων ἐπὶ γέλωτι. Καὶ αὐτὸν ὁ Μιθριδάτης οὐδὲν διαθεὶς, ἐπήγετο πανταχοῦ λελυμένον, ἐπιδεικνύμενος ἅμα Ῥωμαίων αἰχμάλωτον στρατηγόν μετ' οὐ πολὺ δὲ καὶ Μάνιον Ἀκύιλλιον τὸν τῆς δὲ τῆς πρεσβείας, καὶ τοῦδε τοῦ πολέμου μάλιστα αἴτιον. Hoc eſt, Laodicenſes autem Lyci accolas adhuc reſiſtentes, ad « quos Q. OPPIVS Prætor cum equitibus & mercenario milite ſe receperat, « per præconem ad mœnia miſſum inuitauit, his verbis; Mithridatem Regem « promittere Laodicenſibus ſecuritatem, ſi OPPIVM ei dederint, qui audito « præcone, mercenarios dimiſerunt incolumes, ipſum OPPIVM adduxerunt « ad Mithridatem præcedentibus lictoribus, in ludibrium: eum Mithridates « illæſum & ſolutum ſecum circumducebat oſtentans captiuum Prætorem « Romanum. Nec multo poſt M'. Aquillium Legationis huius & belli auto- « rem præcipuum, &c. Liuius in Epitoma, Q. hunc OPPIVM Pro-Conſulari non Prætoria poteſtate Aſiam obtinuiſſe ſcribit, his verbis. Mithridates « Aſiam occupauit; Q. OPPIVM Pro-Conſule, item Aquillium Legatum « in vincula coniecit. Iuſſuque eius quidquid Ciuium Romanorum in Aſia «

Lib. 34. Lib. 35. In Mithridatico.

fuit, vno die trucidatum eſt. Oppivs *autem ille* Capito *qui ſecundo numm*
Lib. 48. *ſine prænomine legitur is eſt fortaſſe M. Oppius qui apud Dionem narratur Ædilis non ſolum a plebe factus omnium ſuffragio, ſed etiam ſtipe collata ſuſtentatus in hoc magiſtratu, & adiutus cum ipſius patriſque bona proſcripta fuiſſent; quamquam non ita facile eſt coniicere cur poſt hoc odium hancque capitis nundinationem ita cum eo in gratiam redierit vt hoſtis faciem nummis impreſſerit. Plurimæ legunt*
Gunter. p. 446. *inſcriptiones* M. Oppio Capitoni *&c. ſed ad rem noſtram parum faciunt.*



Papiam Gentem plebeiam fuiſſe ſatis inter Scriptores conſtat. Eius exſtat mentio in antiqua hac inſcriptione Caſinati.

M. Papivs M. F. L. Matrivs L. F.
dvo-Viri I. D.
Signvm concordiae ex S. C. restitvendvm
Coeravervnt eidemq. dedicavervnt.
et basim gradvm aram sva pecvnia
Facivnda coer. eidemq. probaver.
A. D. IIII. eid. Oct. Civ. Domit. C. Asinio Coss.

Opinor autem L. Papivm Celsvm, qui huius tabellæ argenteos denarios cuſit, filium fuiſſe C. Papij eius, qui Tribunus pl. anno dclxxxviii. L. Cotta, & L. Torquato Coſſ. legem tulit, ne quis peregrinus in Vrbe eſſet; atque hanc Papiam legem indicari tabella, quæ in altera quarti
Lib. 3. de Off. denarij parte impreſſa eſt cum inſcriptione Papia. De ea meminit Cicero.
» Male etiam, inquit, qui peregrinos vrbibus prohibent, eoſque exterminant,
» vt Pennus apud patres noſtros, Papius nuper. Et alibi, hanc de peregrinis
In Orat. pro Archia. legem, Papiam nominauit. L. igitur Papivs Trium-Vir, vt Papiam Gentem

Lanuvio oriundam indicaret, aquilæ & lupæ ænea monumenta, quæ in foro Lanuvinorum exſtabant, ſimulacrumque Soſpitæ Iunonis, quæ Lanuvij colebatur, (vt ipſa apud Ouid. inquit; Lib. 6. Faſtor.

Et populus Laurens, Laniviumque meum.)

in denariis expreſſit: ex quibus non male amicus meus putabat, apud Lib. 1. Dionyſium qui de ſignis his Lanuvinis facit mentionem, pro Λαουινιατῶν ſcribendum eſſe Λανουιατῶν, vel Λανιουιατῶν, quod in eo nomine propter literarum ſimilitudinem, non ſemel erratum ab imperitis librariis fuiſſet. Sed nos Dionyſij prius verba, quæ ad denariorum intelligentiam faciunt, proferamus: deinde noſtram de Lavinio & Lanuvio, ſiue Lanivio opinionem ſubiiciamus. Λέγεται δὲ, inquit Dionyſius, κατὰ τὸν πολισμὸν τοῦ Λαουινίου σημεῖα τοῖς Τρωσὶ γενέσθαι τοιάδε. πυρὸς αὐτομάτως ἀναφθέντος ἐκ τῆς νάπης, λύκον μὲν κομίζοντα τῷ στόματι τῆς ξηρᾶς ὕλης, ἐπιβάλλειν ἐπὶ τὸ πῦρ. ἀετὸν δὲ προσπετόμενον ἀναρριπίζειν τῇ κινήσει τῶν πτερύγων τὴν φλόγα. Τούτοις δὲ τ' ἀναντία μηχανωμένην ἀλώπεκα τὴν οὐρὰν διάβροχον ἐκ τοῦ ποταμοῦ φέρουσαν, ἐπιρραπίζειν τὸ καιόμενον πῦρ. καὶ τοτὲ μὲν τοὺς ἀνάπτοντας ἐπικρατεῖν, τοτὲ δὲ τὴν ἀποσβέσαι βουλομένην. τέλος δὲ νικῆσαι τοὺς δύο καὶ τὴν ἑτέραν οἴχεσθαι μηδὲν ἔτι ποιεῖν δυναμένην. ἰδόντα δὲ τὸν Αἰνείαν εἰπεῖν, ὡς ἐπιφανὴς μὲν ἔσται καὶ θαυμαστὴ, καὶ γνώσεως ἐπὶ πλεῖστον ἥξουσα ἡ ἀποικία, ἐπίφθονος δὲ τοῖς πέλας αὐξομένη καὶ λυπηρὰ, κρατήσειν δ' ὅμως τῶν ἀντιπαρατείνοντων, κρείττονα τὴν ἐκ τοῦ θείου τύχην λαβοῦσαν τοῦ παρ' ἀνθρώπων ἐνδυναμωθησομένου φθόνου. Ταῦτα μὲν δὴ οὕτω προεφάνη μηνύματα λέγεται γενέσθαι τῆς συμβησομένης τῇ πόλει: καὶ ἔστιν αὐτῶν μνημεῖον ἐν τῇ Λαουινιατῶν ἀγορᾷ χάλκεα εἴδωλα τῶν ζώων, ἐκ πολλοῦ πάνυ χρόνου διατηρούμενα.


Hoc eſt, Fertur dum Lauinium conditur, oblata Trojanis quædam prodigia: «
in nemore orto ſua ſponte incendio, lupum ore aggeſſiſſe fomitem aridum, «
aquilam vero alarum ventilatione flammam excitaſſe: vulpem contra cauda «
in flumen intincta ignem conatam extinguere: & nunc accendentibus, «
nunc extinguentibus præualentibus, tandem viciſſe duos, illam vero abiiſſe «
conatu irrito. Quo viſo Æneam dixiſſe illuſtrem quidem & mirandam «
futuram eam coloniam, ſed ſuis incrementis inuidioſam & moleſtam exteris: «
fore tamen vt tandem vincat aduerſarios humanæ inuidiæ præualente fauore «
numinum. Tam inſigne futuræ vrbis fortunæ præſagium tunc accidiſſe «
dicetur: exſtantque rei monumenta in foro Lauinienſium effigies æreæ «
horum animalium adſeruatæ longiſſimo tempore, &c. «
In his autem Dionyſij verbis λύκον, mendoſe ſcriptum videtur pro λύκαιναν, non enim lupus, ſed lupa in denariis arida ligna ore ferens expreſſa eſt. Dicendum nunc eſt de Lanuuio ſeu Laniuio, in quo quidem nomine perſæpe librarios peccaſſe non eſt mirandum: cum enim pro Lanuuio vſitatius antiquis eſſet Laniuium ſcribere, ex litterarum ſimilitudine facta eſt tranſpoſitio, ex qua error fluxit, vt pro Laniuium ſcriberetur Lauinium, & ſæpiſſime vtrumque nomen
6. confunderetur. Fuiſſe autem Laniui, non Lauini ſimulacra illa ænea, quæ in duobus denariis expreſſa ſunt, ex ſexto tabellæ denario facile intelligitur, in quo PAPIVS ad indicandum Familiæ genus e Laniuio ortum, notam Laniuini ſerpentis in eo fabulam impreſſit. Nec de Dionyſio dubitandum eſt, quin ipſe quoque nominum Laniui, & Lauini ſimilitudine deceptus,

Lauinio tribuerit ea, quæ Laniuio tribuenda erant. Illud autem hoc loco de Lauinio prætereundum non eſt, falli eos qui antiquum hodie nomen retinere putant, fuiſſeque vbi nunc eſt, quæ vulgo ciuitas Lauini vocatur: in quo dupliciter peccarunt, primum quod veros Laniui & Lauini inter ſe diſtantes ſitus cum ex Scriptoribus diſcere licuiſſet, neglexerunt: deinde quod Laniuium, corrupto nomine Lauinium hodie dici, cum ex ipſa loci poſitione, & duabus inſcriptionibus, quæ ibi repertæ ſunt coniicere potuiſſent, earum alteram, vt ſuum de Laniuio errorem deffenderent, corruperunt, alteram aliunde tranſlatam eo fuiſſe commenti ſunt. Strabonis verba de Laniuio ſunt hæc. Μετὰ δὲ τὸ Ἀλβανὸν Ἀρικία ἐστὶ πόλις ἐπὶ τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ. στάδιοι δ' εἰσὶν ἐκ τῆς Ῥώμης ρξʹ. κοῖλος δ' ἐστὶν ὁ τόπος. ἔχει δ' ὅμως ἐρυμνὴν ἄκραν, ὑπέρκειται δ' αὐτῆς, τὸ μὲν Λανίυιον, πόλις Ῥωμαίων ἐν δεξιᾷ τῆς Ἀππίας ὁδοῦ, ἀφ' ἧς ἐπόπτος ἥ τε θάλασσα. καὶ τὸ Ἄντιον. Hoc eſt, » Poſt Albanum montem vrbs eſt Aricia » in Appia via, ſtadia centum & ſexaginta ab vrbe diſtans, curuus autem cum » ſit locus, habet tamen munitam ſummitatem, cui quidem ſuperinſidet » Laniuium Romanorum ciuitas in Appiæ viæ dextera, a qua proſpectus » eſt maris & Antij. In Græcis Strabonis verbis male Λαυίνιον, pro Λανίυιον ſcriptum eſt. De Lauinio eiuſdem Scriptoris verba ſunt hæc. Ἀνὰ μέσον δὲ τούτων τῶν πόλεων, τῆς Ὠστίας δηλαδὴ καὶ Ἀντίου, ἐστὶ τὸ Λαυίνιον, ἔχον κοινὸν τῶν Λατίνων ἱερὸν Ἀφροδίτης. ἐπιμελοῦνται δ' αὐτοῦ διὰ προγόνων Ἀρδεᾶται. εἶτα Λαύρεντον. ὑπέρκειται δὲ τούτων ἡ Ἀρδέα, κατοικία Ῥουτούλων ἄνω ο̄ σταδίους ἀπὸ τῆς θαλάττης. Hoc eſt, » In harum Vrbium, Oſtiæ ſcilicet & Antij, medio locatum eſt Lauinium, » Latino nomini commune Veneris templum habens. Eius curam a maioribus » acceptam Ardeates tuentur. Inde Laurentum, ſuper hæc exſtat Ardea Rutulorum colonia, ſtadia LXX. a mare diſtans. Cum Strabonis verbis de » Laniuio conueniunt Pædiani hæc in Miloniana. Milo Laniuium, ex quo » erat municipio, & ibi tum Dictator, profectus eſt ad Flaminem prodendum » poſtero die: occurrit ei circa horam nonam Clodius paullo vltra Bouillas, » rediens ab Aricia, prope eum locum in quo Bonæ Deæ ſacellum eſt, &c. » Inſcriptionum exempla ſunt hæc.

M. AVREL. AVG. LIB.	. . . .
AGILIO SEPTENTRIO	. . . . . IANI F.
NI PANTOMIMO SVI	. . . . IANI
TEMPORIS PRIMO SACERDO	. . . . . ICI NEP.
TI SYNNODI APOLLINIS PA	. . . NERVAE PRONEP.
RASITO ALVMNO FAVSTINAE.	. . . O HADRIANO
AVG. PRODVCTO AB IMP. M.	. . . NINO AVG. PIO
AVRELIO COMMODO ANTONI	. . . MAXIMO TRIBVN.
NO PIO FELICE AVGVSTO	. . . AT. II. COS. II. P. P.
ORNAMENTIS DECVRIONAT.	. . . VS POPVLVSQVE
DECRETO ORDINIS EXORNATO	. . . VINVS VETERES.
ET ALLECTO INTER IVVENES	
S. P. Q. LANIVINVS. &	

Poſterioris inſcriptionis fragmentum a quibuſdam ita ſuppletum eſt, vt in poſtremo verſu in quo quattuor deſiderari litteras, ex eo quod abruptum eſt ſpatij, omnes vident, ad confirmandum ſuam de Lauinio opinionem, pro LANIVINVS, duabus tantum adiectis litteris, reſtituerint LAVINVS. Nos autem vetuſtum lapidem ipſi vidimus, & ex eo exemplum huiuſmodi, de noſtro nihil addentes, deſcripſimus. De Triumphi ſimulacro, quod cum trophæo fingeretur, quodque TRIVMPVS ſine aſpiratione vt PILIPPVS, & PILVS pro PHILIPPVS & PHILVS ab antiquis ſcriptum ſit, ex denarij inſcriptione & Quinctiliano ſatis conſtat. Mercurij vero ſignum in quinto denario expreſſum & Chelys eius Dei inuentum, quo pertineat, in tanta antiquitatis ignoratione, ne ſuſpicari quidem licet.

PAPIRIA.




PAPIRIAM Gentem duplicem fuiſſe, ex Ciceronis Epiſtola ad Pætum cuius verba ſubiecimus, intelligere poſſumus. Sed tamen, inquit, mi " Pæte, quî tibi venit in mentem negare Papirium quemquam vnquam niſi " plebeium fuiſſe? Fuerunt enim Patricij minorum Gentium, quorum princeps " L. Papirius Mugillanus, qui Conſul cum L. Sempronio Atratino fuit anno " poſt Romam conditam CCCXII. ſed tum Papiſij dicebamini: poſt hæc " XIII. fuerunt ſella curuli ante L. Papirium Craſſum, qui primus Papiſius " eſt vocari deſitus. Hunc ſequutus eſt Curſor: deinde L. Maſo Ædilicius: " inde multi Maſones: deinde Carbones & Turdi ſequuntur: hi plebi " fuerunt. Huius igitur Gentis in nummis, quos ipſi vidimus ſoli Carbones &
1. TVRDI reperiuntur. M. CARBO qui in primo denario deſcribitur, opinor, is eſt, qui Prætor Siciliam obtinuit, & ex ea rediens repetundarum a P. Flacco
2. accuſatus eſt. Cicero in Epiſtola ad Pætum. Secundus denarius ad CN. PAPIRIVM CARBONEM poteſt pertinere, qui ter Conſul fuit anno

DCLXVIII. DCLXIX. & DCLXXI. quique a Pompeio Lilybæi anno DCLXXI. in Magiſtratu occiſus eſt. Tertius æreus nummus tribuitur a 3. quibuſdam C. Papirio Carboni, qui frater fuit Cn. Carbonis ter Conſulis, quique a Velleio Prætorius appellatur his verbis. » Ne quid vnquam malis » publicis deeſſet, in qua ciuitate ſemper virtutibus certatum erat, certabatur » ſceleribus; optimuſque ſibi videbatur, qui fuerat peſſimus. Quippe dum ad » Sacriportum dimicatur, Damaſippus Prætor Domitium, Scæuolam etiam » Pontificem Max. & diuini humanique iuris autorem celeberrimum, & C. » Carbonem Prætorium Conſulis fratrem, & Antiſtium Ædilicium, velut » fauentes Sullæ partibus in Curia Hoſtilia trucidauit. Eadem de C. Carbone narrantur a Cicerone & Appiano Alexandrino, in bellis Ciuilibus. Poteſt etiam nummus huiuſmodi ad C. Carbonem ſpectare, qui Prætor fuit, & Conſul anno DCXXXIII. cum P. Manilio: quique a L. Craſſo cantharidas ſumpſit, ne damnaretur. Sed cum a Nicæenſibus Corſicæ populis, vt ex inſcriptione ΝΙΚΑΙΕΩΝ apparet, cuſus is nummus ſit; magis placeret ſi ad C. Carbonem eum referretur, qui Prætor anno DLXXXV. Sardiniam prouinciam obtinuit. Notum autem eſt Prætorem, qui Sardiniam regeret, eumdem & Corſicæ ſimul præfuiſſe. Itaque C. Cicereius Prætor qui anno DLXXX. Sardiniam prouinciam ſortitus fuerat, non tantum Sardos, ſed etiam Corſos rebellantes domuit, & ſequenti anno Pro-Prætore ex Corſica in monte Albano triumphauit. *Sed cum quartus nummus Nicomedenſium* 4. *mentionem faciat, Nicomedia autem Bithyniæ ſit vrbs, vt & Nicæa, vix vllus ſupereſt huic coniecturæ locus. Aperte enim hi duo nummi ad Bithyniæ Præfectum pertinent. In hoc nummo lapſus eſt ille qui Illuſtrium imagines æri inſculpſit & eius interpres. Scilicet cum obliteratum titulum nacti eſſent pro* ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ, ΔΙΟΜΗΔΕΟΣ *legerunt, vnde factum eſt vt fictum caput alter inter veras imagines repoſuerit, alter doctam quidem ſed inutilem interpretationem attulerit. De* Q. PAPIRIO CARBONE *nihil memini me legiſſe vel audiuiſſe.* TVRDVM 6. *Papiriorum cognomen fuiſſe conſtat, quemnam ex iis ſextus nummus indicet, dubium eſt.*

Lib. 2. — In Epiſt. ad Pætum, & in lib. de Orat. — Cic. in ep. ad Pætum. — Liuius lib. 42. — Theodorus Gallæus. — Ioannes Faber.


PEDANIA.



Lib. 25. Val. Max. lib. 3. cap. 2. Lib. 14. & 17.

PEDANIAE Gentis, cuius cognomen eſt COSTA, mentionem facit Liuius & alij. Cornelius Tacitus meminit Pædiani eius qui cognominatus

natus eſt Coſta. Plutarchus etiam in Cicerone P. Coſtæ cuiuſdam meminit, qui Iuris-Conſultus videri volebat, cum leges ignoraret. Πόπλιον δὲ Κόσταν, inquit, νομικὸν εἶναι βουλόμενον, ὄντα δὲ ἀμαθῆ καὶ ἀφυῆ πρός τινα δίκην ἐκάλεσε μάρτυρα. τοῦ δὲ μηδὲν εἰδέναι φάσκοντος, ἴσως, ἔφη, δοκεῖς περὶ τῶν νομικῶν ἐρωτᾶσθαι. Male autem P. Cotta, pro P. Costa interpretes verterunt. Pedanij Coſtæ, quem Bruti Legatum fuiſſe ex denarij inſcriptione intelligimus, nulla exſtat, quod ſciam, mentio apud veteres Scriptores. C. Pedanivs, *in ſecundo nummo plumbeo deſcriptus quiſnam ſit, & quid ſibi velit infans anguem tenens ignoro.*



Petilliae Gentis plebeiæ frequens eſt mentio apud Scriptores. Liuius facit mentionem C. Petillij Balbi Tr. pl. qui primus patribus autoribus, de ambitu ad populum tulit. Meminit etiam Q. Petillij Spurini Tr. pl. qui legem Petilliam tulit de peculatu anno dlxvi. M. Æmilio, C. Flaminio Coſſ. Petillivs autem Capitolinvs, ad quem ſpectant huius tabellæ denarij, nominatur ab Horatio.

Lib. 7. Lib. 38. Lib. 1. Sat. 4.

. . . . mentio ſi qua
De Capitolini furtis iniecta Petilli
Te coram fuerit, defendas, vt tuus eſt mos.
Me Capitolinus conuictore vſus, amicoque
A puero eſt, cauſaque mea permulta rogatus
Fecit, & incolumis lætor quod viuit in vrbe.
Sed tamen admiror, quo pacto iudicium illud
Fugerit &c.

Pomponius Porphyrio hos de Petillio verſus explicans, ita ſcribit. Petillius Capitolinus cum Capitolij curam ageret, coronæ ſubreptæ de Capitolio « cauſam dixit, abſolutuſque a Cæſare eſt. Petillius, inquit Helenius Acro, « dum Capitolij curam gereret, coronæ ſublatæ cauſam dixit, & abſolutus « eſt ab Auguſto. De templo Iouis Capitolini, quod Tarquinius Superbus rex vouit, & M. Horatius Valerij Publicolæ in Conſulatu collega dedicauit, mentionem facit Plutarchus in Poplicola & alij. Exaſtylen autem ea parte fuiſſe, qua frons meridiem ſpectabat, vel vt inquit Dionyſius, Ἐκ μὲν τοῦ κατὰ πρόσωπον μέρους πρὸς μεσημβρίαν βλέποντος, τριπλῷ περιλαμβανόμενος στίχῳ κιόνων, ἐκ δὲ τῶν πλαγίων διπλῷ. triplici columnarum ordine comprehenſum, ab obliquis vero partibus ſimplici, ex ea templi forma, quæ in hoc denario

Dion. lib. 3. 4 & 5. Liu lib. 2. Tac. lib. 19. Val. Max. lib. 1. Sueton. in Vitel. cap. 15. & in Veſp. cap. 8 & in

Domit. cap. 5. Plin. lib. 33 cap. 1. expreſſa eſt, colligere poſſumus. Templum vero huiuſmodi & imaginem Iouis ipſius Capitolini, eique dicatam aquilam, opinor a Petillio in his denariis non aliam ob cauſam ſignatam eſſe, quam vt indicaret, a cura eius templi, vel quod Sacerdos Iouis Capitolini fuiſſet, id cognomen inueniſſe: niſi cum Horatij interpretibus ſtare malimus, & Capitolinæ eum arci præfuiſſe, indeque Capitolinum appellatum fuiſſe credamus; templum autem Capitolini Iouis adiectum, quod falſo & ſublatis in eo coronis accuſatus Petillius, fuiſſet ab Auguſto abſolutus. De coronis quidem aureis quæ in cella Iouis, hoc eſt ſecretiore templi parte, a Legatis exterarum nationum dedicatæ ſeruabantur, mentio exſtat apud rerum Romanarum Scriptores. De tintinnabulis vero, quæ in templi faſtigio expreſſa
In Auguſto cap. 91. » ſunt, ita ſcribit Suetonius. Cum dedicatam in Capitolio ædem Tonanti
» Ioui aſſidue frequentaret, ſomniauit queri Capitolinum Iouem cultores
» ſibi adduci: ſeque reſpondiſſe Tonantem pro Ianitore ei appoſitum:
» ideoque mox tintinnabulis faſtigium ædis redimiuit, quod ea fere ianuis
» dependebant.



PETRONIAM Gentem plebeiam e Sabinis oriundam fuiſſe, coniicere poſſumus cum ex iis quæ in huius tabellæ quinto denario, & duobus ſequentis expreſſa ſunt, tum ex eius Petronij cognomine, qui Sabinus a
Lib. 1. cap. 1. Valerio Maximo appellatur. Tarquinius, inquit, Rex, M. Tullium DuumVirum, quod librum ſecreta ciuilium ſacrorum continentem cuſtodiæ ſuæ commiſſum, corruptus, Petronio Sabino deſcribendum dediſſet, culeo
Lib. 4. c. 7. inſutum in mare abiici iuſſit. Idem L. PETRONIVM humili loco natum P. Cælij beneficio ad equeſtrem ordinem & ſplendida militiæ ſtipendia

peruenisse ſcribit. C. etiam Petronius Conſul anno DCCCXIII. P. huius Petronij qui Trium-Vir ſub Auguſto fuit, filius Sabinus TVRPILIANVS in Faſtis deſcriptus eſt. *Is ille eſt qui cum exercitum a Suetonio traditum accepiſſet iam Conſularis, poſt cladem in Britannia acceptam, non irritato hoſte neque laceſſitus honeſtum pacis nomen ſegni otio impoſuit. Huic Nero anno* DCCCXVIII. *vt eſt apud Tacitum, triumphale decus tribuit. Galba poſtmodum hunc necauit.* In inſcri- Lib. 15. Annal.
ptione Anconitana L. Petronij Sabini mentio exſtat, cuius exemplum Lib. 1. hiſt.
ſubiecimus.

PETRONIAE
SABINAE
FILIAE
L. PETRONI SABINI
P. P. BIS.
PROCVRATOR AVGG.
STATIONIS HEREDITATVM
ITEM PROVINCIAE
NARBONENSIS
PATRON. COLONIAE
DECVRIONES.

Tremulæ etiam ſiue Mutuſcæ, quod Sabinorum oppidum fuit, fragmentum repertum eſt inſcriptionis, in qua T. Petronius Sabinus nominatur.


T. PETRONIO
T. F. SERG. SABINO
TR. MIL. MAG. IVVENT.
. . . .

Quod igitur e Sabinis Gens Petronia veniſſet, Tarpeiæ ſignum, coniectis in
5. eam ſcutis a Sabinis necatæ, in quinto denario Petronius expreſſit. De ea re ita M. Varro. Mons Tarpeius a virgine Veſtali Tarpeia, quæ ibi a Sabinis necata armis & ſepulta, eius nominis monumentum relictum: quod etiam nunc eius rupes, Tarpeium appellatur ſaxum. Seruius in illum Virgilij verſum, Hinc ad Tarpeiam ſedem &c. Tarpeia, inquit, ſedes dicta eſt a Tarpeia virgine: cum enim Romulus contra Sabinos bella tractaret, & Tarpeio cuidam dediſſet arcem tuendam: eius Tarpeia filia aquatum profecta in hoſtes incidit, quam cum hortarentur ad proditionem, illa pro præmio popoſcit ornatum manuum ſiniſtrarum, id eſt armillas. Facta itaque arcis proditione, hoſtes ingenioſa morte promiſſa ſoluerunt: nam ſcuta, id eſt ſiniſtrarum ornatum ſuper illam iacientes, eam luce priuarunt; quæ illic ſepulta Tarpeiæ ſedi nomen impoſuit. Titurius quoque Sabinus ad indicandam Gentis ſuæ originem, Tarpeiæ imaginem huiuſmodi in nummis
1. ſignauit, vt in Tituriæ familiæ denariis infra dicetur. Huius autem tabellæ primum denarium, in quo Parthenope Siren impreſſa eſt, pertinere arbitror ad Cumas coloniam ab Auguſto deductam, in qua Parthenopæ corpus conditum fuiſſe dicitur. Quamuis ad ipſam quoque Neapolim, quæ ab hac Sirene, vt omnes ſciunt, Parthenope nominata eſt, quod eam Auguſtus, vt ex hiſtoriis intelligimus, inſtaurauerit, referri denarius poſſit. De Sirenis quidem multa veteres Scriptores tradunt: ſed quæ a Seruio Virgilij enarratore ſcripta de eis ſunt, ad denarij intelligentiam maxime faciunt. Sirenes, inquit, ſecundum fabulam tres, in parte virgines fuerunt, & in parte volucres, Acheloi fluminis & Calliopes Muſæ filiæ; harum vna, voce: altera, tibiis: Velleius
2. alia lyra canebat &c. Secundus denarius, vt ex eius inſcriptione intelligitur, lib. 2.

Suet. in Aug. cap. 21. & 64. Florus l. 4. Lib. 55.

ad Auguſti ſpectat victoriam de Armeniis: contra quos Caius ex Agrippa & Iulia Auguſti nepos, miſſus fuerat. Τοῦ δὲ Γαΐου, inquit Dio, σταλέντος εἰς τὸν πρὸς Ἀρμενίους πόλεμον &c. Hæc autem Cai in Armeniam expeditio in argenteo quoque Auguſti denario ſignata eſt: in cuius quidem altera parte Auguſti effigies: in altera Cai ipſius & Lucij fratris imagines cum clypeis & haſtis impreſſæ ſunt, & inſcriptione C. L. CAESARES AVGVSTI F. COSS. DESIGNATI PRINC. IVVENT. De Clypeis quidem & haſtis aureis, quibus *Lib. 55.* Caius, & Lucius ab Equeſtri ordine donati fuerunt, meminit Dio, his verbis. Τοῦ δὲ Λουκίου τοῦ τε Γαΐου τά σώματα διά τε τῶν χιλιάρχων καὶ διὰ τῶν ἐφ' ἑκάστης πόλεως πρώτων ἐς τὴν Ῥώμην ἐκομίσθη, καὶ αἱ πέλται, τά τε δόρατα, ἃ παρὰ τῶν ἱππέων ἐς τοὺς ἐφήβους ἐσιόντες χρυσᾶ εἰλήφεσαν, ἐς τὸ βουλευτήριον ἀνετέθη. Hoc eſt, Corpora porro Cai & Lucij a Tribunis militum, ac ſingularum ciuitatum proceribus, Romam apportata ſunt, parmæque & haſtæ, quas aureas ab equitibus cum virilem togam ſumerunt, acceperant, in Curia ſuſpenſæ. *Lib. 1.* Meminit & Tacitus & Zonaras qui Caium & Lucium προκρίτους τῆς νεότητος, hoc eſt, PRINCIPES IVVENTVTIS appellatos fuiſſe ſcribit. Tertius denarius, 3.
quin ad Corinthum coloniam a Cæſare Dictatore deductam, *vt narrat Dio,* & ab Auguſto inſtauratam referendus ſit, nullo modo dubitari poteſt: nam in æreis quoque Corinthiorum nummis, Pegaſi ſigno coloniam hanc notari animaduertimus. In ſexto denario ſigna de Parthis recepta expreſſa ſunt, 6.
Velleius lib. 2. Liuius in ep. lib. 139. de quibus meminerunt plures, inter quos precipue Suetonius in Auguſto, cuius verba hæc ſunt. Parthi quoque & Armeniam vendicanti facile ceſſerunt: & ſigna militaria, quæ M. Craſſo & M. Antonio ademerant, repoſcenti reddiderunt &c. Itaque in aureo Auguſti nummo inſcriptum eſt, SIGNIS PARTHICIS RECEPTIS, & in argenteo vno, CIVIB. ET SIGN. A PARTHIS RESTITVTIS, in altero, CIVIB. ET SIGN. MILIT. A PART. RECVPE. in vtroque autem argenteo impreſſus eſt fornix, cui currus ſuperimpoſitus eſt triumphalis, cuiuſmodi in argenteo alio nummo trium fere denariorum ponderis expreſſus eſt, cum titulo IMP. CAES. IMP. IX. TR. POT. IV. S. P. Q. R. SIGNIS RECEPTIS. De quo quidem fornice, ob recuperata ſigna Parthica, in Auguſti honorem *Lib. 54.* a Senatu Populoque Romano erecto, meminit Dio, his verbis. Κἀν τούτῳ ὁ Φραάτης φοβηθεὶς μὴ καὶ ἐπιστρατεύσῃ οἱ ὅτι μηδέπω τῶν συγκειμένων ἐπεποιήκει τι, τά τε σημεῖα αὐτῷ, καὶ τοὺς αἰχμαλώτους πλὴν ὀλίγων, οἳ ὑπ' αἰσχύνης σφᾶς ἔφθειραν, ἢ καὶ κατὰ χώραν λαθόντες ἔμειναν ἀπέπεμψε· καὶ αὐτοὺς ἐκεῖνος, ὡς καὶ πολέμῳ τινὶ τὸν Πάρθον νενικηκὼς ἔλαβε· καὶ γὰρ ἐφρόνει μέγα λέγων ὅτι τὰ πρότερόν ποτε ἐν ταῖς μάχαις ἀπολωλότα, ἀκονιτὶ ἐκεκόμιστο. ἀμέλει καὶ θυσίας ἐπ' αὐτοῖς, καὶ νεὼν Ἄρεως Τιμωροῦ ἐν τῷ Καπιτωλίῳ κατὰ τὸ τοῦ Διὸς τοῦ Φερετρίου ζήλωμα πρὸς τὴν τῶν σημείων ἀνάθεσιν, καὶ ψηφισθῆναι ἐκέλευσεν, καὶ ἐποίησε, καὶ προσέτι καὶ ἐπὶ κέλητος ἐς τὴν πόλιν, καὶ ἁψῖδι τροπαιοφόρῳ ἐτιμήθη. Hoc eſt, Interim Phraates quia nihil dum eorum, quæ pactus fuerat, perfeciſſet, veritus ne bello ab Auguſto impeteretur, ſigna ei militaria, & captiuos omnes, paucis demptis, qui ſe ipſos pudore moti interemerant, aut in Parthia occulte remanſerant, miſit: eaque Auguſtus quaſi bello aliquo Parthum viciſſet, accepit; tum hanc rem

magnæ ſibi laudi ducebat, quod prælijs prius amiſſas res, citra vllum « certamen recepiſſet. Itaque & ſacrificia eius rei cauſa, & templum Martis « Vltoris in Capitolio ad imitationem Iouis Feretrij, quo ſigna ea militaria « ſuſpenderentur, decerni iuſſit, ac deinde perfecit: equo etiam ouans in « Vrbem vectus, ac fornice trophæum geſtante honoratus eſt &c. Martis autem Vltoris templum hoc de quo meminit Dio in duobus Auguſti argenteis denariis expreſſum eſt, cum ſignis receptis & inſcriptione MART. VLT. De eo mentionem facit Suetonius in Auguſto. De curru vero triumphali, Auguſto a Senatu populoque Romano decreto, qui in eius aliquot denariis ſignatus eſt, idem Dio meminit lib. LI. Cap. 29. Plinius lib. 30. cap. 8. & 14.



1. Feroniæ ſimulacrum in duobus primis huius tabellæ denariis expreſſum, ad indicandam pertinet Petroniorum originem, quam à Sabinis ductam fuiſſe ſupra diximus. Quod autem Feronia Dea a Sabinis coleretur, teſti-
2. monio nobis eſt Dionyſius Halicarnaſſ. qui de bello, quod contra Sabinos Tullus Rex geſſit, ita ſcribit. Μετὰ δὲ τοῦτον τὸν πόλεμον, ἕτερος ἀνέστη Ῥωμαίοις ἐκ τοῦ Σαβίνων ἔθνους. ἀρχὴ δ' αὐτοῦ καὶ πρόφασις ἐγένετο τοιάδε. ἱερόν ἐστι κοινῇ τιμώμενον ὑπὸ Σαβίνων τε καὶ Λατίνων, ἅγιον ἐν τοῖς πάνυ, θεᾶς Φερωνίας ὀνομαζομένης, ἣν οἱ μεταφράζοντες εἰς τὴν ἑλλάδα γλῶτταν, οἱ μὲν Ἀνθηφόρον, οἱ δὲ Φιλοστέφανον, οἱ δὲ Φερσεφόνης καλοῦσιν. εἰς δὲ τὸ ἱερὸν τοῦτο συνῄεσαν ἐκ τῶν περιοίκων πόλεων κατὰ τὰς ἀποδεδειγμένας ἑορτὰς, πολλοὶ μὲν εὐχὰς ἀποδιδόντες, καὶ θυσίας τῇ θεῷ· πολλοὶ δὲ χρηματιούμενοι διὰ τὴν πανήγυριν, ἔμποροί τε καὶ χειροτέχναι καὶ γεωργοί. ἀγοραί τε αὐτόθι λαμπρόταται τῶν ἐν ἄλλοις τισὶ τόποις τῆς Ἰταλίας ἀγομένων ἐγίνοντο· εἰς ταύτην δὲ τὴν πανήγυριν ἐλθόντες ποτὲ Ῥωμαίων ἄνδρες οὐκ ἀφανεῖς Σαβῖνοί τινες ἄνδρας συναρπάσαντες ἔδησαν. Hoc eſt, Eo bello confecto aliud a Sabinis exortum « eſt, cuius cauſa fertur hæc. Fanum eſt quod Sabinis æque ac Latinis ſumma « religione colitur, ſacrum Deæ Feroniæ, quam Græci in ſuam linguam modo « Ἀνθηφόρον, vertunt, modo Φιλοστέφανον, modo Proſerpinam. Eo ſtatis diebus « conueniebant e circumuicinis vrbibus, alij votiua Deæ reddituri ſacrificia, « alij negotiaturi propter celebritatem, mercatores, opificeſque & agricolæ, « Lib. 3.

„ quod forum ibi ſit totius Italiæ nobiliſſimum. Ad eam celebritatem pro-
„ fectos aliquandò Romanos, honeſtos viros, Sabini quidam correptos &
„ pecuniis ſpoliatos in vincula coniecerunt &c. Fuiſſe autem Feroniæ fanum
Lib. 5. ſub Soracte monte teſtatur Strabo. Ὑπὸ δὲ Σωράκτι, inquit, ὄρει Φερωνία πόλις ἐστὶν ὁμώνυμος ἐπιχωρεία τινὶ δαίμονι τιμωμένη σφόδρα ὑπὸ τῶν περιοίκων. ἧς τέμενός ἐστιν ἐν τῷ τόπῳ θαυμαστὴν ἱεροποιΐαν ἔχον, γυμνοῖς γὰρ ποσὶ διεξίασιν ἀνθρακιὰν καὶ σποδιὰν μεγάλην οἱ κατεχόμενοι ὑπὸ τῆς δαίμονος ταύτης ἀπαθεῖς. καὶ συνέρχεται πλῆθος ἀνθρώπων ἅμα τῆς τε πανηγύρεως χάριν, ἣ συντελεῖται κατ' ἔτος, καὶ τῆς λεχθείσης
„ θέας. Hoc eſt, Sub monte autem Soracte vrbs eſt Feronia, quo nomine &
„ Dea quædam nuncupatur, quam finitimi miro dignantur honore. Eodem
„ in loco ipſius templum eſt, mirificum ſacri genus habens; nam qui eius
„ numine afflantur, nudis pedibus prunas, & copioſum inambulant ſub hac
„ dæmone nulla læſione cinerem. Eo ingens mortalium multitudo conuenit,
„ & conuentus ipſius, qui quotannis ibi agitur, gratia pariter & ſpectaculi
„ huius, quod dixi &c. Confirmat autem Strabonis locum vetus hæc inſcriptio, quæ ſub Soracte monte non multis abhinc annis reperta, in Nepeſinam ciuitatem, vbi nunc eſt, tranſlata fuit.

HERMEROS
TI. CLAVDII CAESARIS AVG.
GERMANICI SER.
THEAMIDIANVS AB MARMORIB.
MAGISTER
FERONIAE ARAS QVINQVE
D. S. D. D.


Ex hac igitur Feroniæ, quæ a Sabinis colebatur imagine, & ex iis quæ de Tarpeia in ſuperiore tabella notata ſunt, ſatis conſtat P. PETRONIVM hunc à Sabinis genus ſuum traxiſſe: qui cum eſſet Turpilia natus familia, in Petroniam iure adoptionis inſertus P. PETRONIVS TVRPILIANVS dictus eſt. De eo exſtat mentio in veteri hac inſcriptione, multis abhinc annis, in via Sacra reperta.

P. VALESIVS VOLESI F.
POPLICVLA
IOVI IVNONI.
SAC.
P. PETRON. RESTITVIT.

Lib. 54. Dio nominat C. quemdam Petronium Ægypti Præfectum, qui P. Petronij huius frater, vel conſanguineus fuiſſe credi poteſt. Dionis verba ſunt, συνθέμενοι δὲ ἐνταῦθά που Γάϊον Πετρώνιον ὃν τῆς Αἰγύπτου ἄρχοντα προϊέναι &c.

16. Annal. *Ex eadem gente fortaſſis ille fuit C. Petronius Eques Romanus dignitate Senator qui apud Corn. Tacitum vir eruditi luxus & deliciæ Neronis ac elegantiarum arbiter cum Pro-Conſul Bithyniæ & mox Conſul fuiſſet, tandem C. Suetonio & L. Teleſino Coſſ. imperatam a Nerone mortem quaſi per laſciuiam & iocos obiit, inciſis venis. Huic tribui ſolent fragmenta quædam plena feſcenninæ licentiæ, quæ cum eius moribus*

quales a C. Tacito narrantur non male congruunt. Quid ſit caput mulieris hedera redimitum in aureo nummo ſignatum, ignoro. in eius aduerſa parta corona quercea ſignata eſt, de qua alibi paſſim.



PINARIAM Gentem Patriciam a Pino Numæ Pompilij filio duxiſſe originem ſcribit Plutarchus in Numa: quamuis Liuius & Dionyſius a Pinariis qui Herculi anniuerſaria ſacra faciebant genus traxiſſe malunt; quibus aſſentitur Virgilius illo verſu, Lib. 1. Lib. 8. Lib. 8.

Et domus Herculei cuſtos Pinaria ſacri.

Huius autem Gentis familiæ cum plures fuerint, duarum tantum, quibus cognomina NATTAE & SCARPI, in antiquis nummis exſtat memoria.
1. In quorum primo, ſecundo & tertio indicari opinor L. NATTAM eum, de
2. quo meminit Cicero, appellatque ſummo loco natum adoleſcentem: quique In Orat. pro Mur.
3. a Cæſare Dictatore, vt creditur, cum Q. Pedio heres ex quadrante inſtitutus eſt, vt ſcribit Suetonius, Appianus & Dio. Nec enim L. NATTAM Mag. Cap. 83. equitum L. Manlio Dict. anno CCCXC. deſignari arbitror, quo tempore nondum populus Romanus argento ſignato vti cœperat. Horatius Nattæ Lib. 1. ſer. Sat. 6. cuiuſdam meminit hominis ſordidi, cum inquit,

——————— vngor oliuo,
Non quo fraudatis immundus Natta lucernis.

Tacitus facit mentionem Pinarij Nattæ ſub Tiberio Imp. Sejani clientis. Lib. 6.
4. Quartus tabellæ denarius ad PINARIVM SCARPVM pertinet, qui fuit Africæ Præfectus, quique vt ex nummi inſcriptione apparet, Antonij partes ſecutus eſt. De eo meminit Dio his verbis: Ἀντώνιος δὲ ἔπεμψε μὲν ἐς τὴν Lib. 51.

Λιβύην πρός τε Πινάριον Σκάρπον, καὶ πρὸς τὸ στράτευμα τὸ μετ' αὐτοῦ ἐπὶ τῇ τῆς Αἰγύπτου φυλακῇ ἐνταῦθα προσυνειλεγμένον. ἐπεὶ δὲ οὔτε προσδέξασθαι αὐτὸν ἠθέλησε. καὶ προσέτι καὶ τοὺς προπεμφθέντας ὑπ' αὐτοῦ ἔσφαξε, τῶν τε στρατιωτῶν ὧν ἦρχεν ἀγανακτήσαντάς τινας ἐπὶ τούτῳ διέφθειρεν, οὕτω δὴ καὶ αὐτὸς ἐς τὴν Ἀλεξάνδρειαν μηδὲν
» ἐκομίσθη. Hoc eſt, Ceterum Antonius in Aſiam quoſdam miſit ad Pina-
» rium Scarpum, & exercitum quem is iam ante ibi conſcriptum ad tuendam
» Ægyptum habebat: verum cum neque reciperetur ab eo, & miſſos quoque
» ad ſe is occidiſſet, nonnulloſque milites id moleſte ferentes necaſſet, infecta
» re, Antonius ipſe quoque Alexandriam ſe contulit &c. Opinor autem argenteum hunc denarium in Africa ſignatum eſſe, ex qua prouincia SCARPVS IMP. vt videtur, appellatus fuerit: ob eamque cauſam Iouem Ammonem, qui in Africa colebatur, in altera denarij parte impreſſum eſſe. De quo plures mentionem faciunt & Seruius in lib. 4. Æneid. his verbis.
» Liber cum Indos peteret, & per Libyam exercitum duceret, fatigatus ſiti,
» Iouis patris ſui implorauit auxilium, & ſtatim viſo ariete fons ſecutus eſt:
» vnde factum eſt Ioui Ammoni ab arenis dicto ſimulacrum cum capite arietino. Quod ideo fingitur, quia ſatis eius ſunt inuoluta reſponſa.

Herodotus lib. 2. Hyginus in Fabulis. Ouid. l. 5. Metam. Lucan. lib. 9.

Quintus denarius & ſextus ab eodem SCARPO Auguſti temporibus 5.
(vt ego ſuſpicor Africæ Præfecto) cuſi ſunt. Vt autem id ſuſpicer, facit 6.
argenteus alius denarius, in cuius vna parte hoc idem Victoriæ ſignum cum inſcriptione IMP. CAES. DIVI F. PONTIF. in altera ſimulacrum Iouis Ammonis quod in Africa, vt diximus, colebatur, expreſſum eſt. Opinor autem manum in altera denariorum parte ſignatam ad SCARPI cognomen pertinere; quod id ſcilicet à Græca voce ΚΑΡΠΟC qua cauum manus ſiue vola ſignificatur, Pinaria Scarporum familia duxerit: multa enim a corporis partibus tracta cognomina in veteribus monumentis reperiuntur, vt CHILONES, ſiue CILONES, CAPITONES, FRONTONES, NASONES, & cetera huiuſmodi, quæ ſymbolis quibuſdam in earum Gentium monumentis indicari ſolent. Itaque Furiam CRASSIPEDVM familiam ad declarandam cognominis ſui originem, pedem in denariis impreſſiſſe, in gente Furia oſtendimus. Neque vero alicui mirum videri debet quod à Græcis nominibus Καρπὸς & Χεῖλος Pinaria & Flaminia Romanæ familiæ cognomina acceperint; quando nomina quoque ipſa Gentium, a Græcis vocibus nonnulla, vt AEMILIAE & ACILIAE, aliarumque dicta fuiſſe conſtat. S. litteram quæ detrahendi vim habet, Græcæ voci Καρπὸς adiectam opinor, quod qui primus SCARPI cognomine vſus eſt, aliquam in ea manus parte, quæ Καρπὸς dicitur, vel a natura vel a fortuna labem acceperit, cum contra qui nullum in ea incommodum paſſi fuerint, Εὔκαρποι dicti ſunt. Vtriuſque cognominis exempla in veteribus inſcriptionibus reperiuntur, L. SILIVS CARPVS. M. FABIVS CARPVS. L. CORNELIVS CARPVS. & CARPVS AVG. LIB. PALLANTIANVS.

IMP.

IMP. CAES. M. AVR. ANTONINO
AVG. PIO FELICI INVICTO PART. &c.
MAG. QVIN. COLL. AVRIFICVM
D. D.
CVR. P. VALERIVS P. F. BENEDI
TVS ET C. AVRELIVS CARPVS
Q. Q. II. S.
&
D. M.
CN. POMPEIO EVCARPO CN. POMPEIVS
ZMARAGDVS PATRONO OPTIMO B. M. FECIT.



PLAETORIAM Gentem ſiue LAETORIAM (vtroque enim modo, vt infra oſtendam, apud Scriptores reperitur) plebeiam fuiſſe ſatis conſtat. Fuerunt enim ex ea Tribuni & Ædiles plebis, de quibus meminerunt plures. Inter quos Cenſorinus, de die natali cap. XIX. qui Plætoriæ legis facit mentionem, quam tulit M. Plætorius Tr. pl. de iure dicundo. E Sabinis vero originem duxiſſe, poſſumus ex his inſcriptionibus colligere, quarum exempla ſubiecimus.

Varro lib. 5. de Ling. Latina. Liuius lib. 3.

IOVI CONSERVATORI ET IVNONI SANCTAE SACRVM
C. PLAETORIVS C. F. STEL. PHOEBVS VI-VIR AVGVSTAL.
SODAL. TRAIANAL. ET HADRIANAL. IIII-VIR. QVINQVEN.
PATR. IVVEN. TREBVL. MVTVESC. VOT. SOL. LIB. MER.


Trebulam ſiue Mutueſcam Sabinorum oppidum fuiſſe, præter ea, quæ de Trebulanis Mutueſcanis ſcribit Plinius, Virgilij quoque teſtimonia confirmare poſſumus, cuius verſus ſunt hi,

Lib. 3. c. 12. Lib. 7.


Vna ingens Amiterna cohors, priſcique Quirites
Ereti manus omnis, oliuiferæque Mutuſcæ.

L. Plaetorio L. F. Clavdia Sabino
Sacerd. Æscvlapi. vix. ann. lxxv.
M. Plaetorivs Nvmisianvs Sabinvs.
F. C.
& M. Plaetorivs Hercvlanivs
Sacerdos M. D. M. I.
fecit Ollar. N. xxxiiii.
cvm Sarcophago Marm.

Quod autem Plætoria familia eadem cum Lætoria fuerit, vel ex eo coniicere
Lib. 9. c. 3. poſſumus, quod M. Plætorius primipili centurio, cui populi ſuffragiis, vt
Lib. 1. ſcribit Val. Maximus dedicati ædes Mercurij data eſt, a Liuio M. Lætorius
„ appellatur, his verbis. Populus dedicationem ædis dat M. Lætorio primipili
„ centurioni. M. etiam Plætorius Ruſtianus, qui Scipionem in Hiſpania
ſecutus eſt, in manuſcriptis Hirtij codicibus de bello Africo, modo Plætorius, modo Lætorius nominatur; in quibus ego pro Ruſtianus libenter reponerem Cestianvs, ſi me antiqui alicuius libri lectura adiuuaret: quamuis Ruſtianus etiam ferri poſſit; vt ſit Ruſtius a Plætorio adoptatus. Sic enim, vt opinor, Plancius a Lætorio, & Ceſtius a Plætorio adoptati; alter Plætorius Ceſtianus alter Lætorius Plancianus Mag. Eq. Q. Ogulnio Gallo Dict. anno cdxcvii. in Faſtis dictus eſt. Leges quoque quæ ab hac familia latæ fuerunt, modo Plætoriæ a Scriptoribus, modo Lætoriæ nominantur: vt nihil dubij reliquum ſit, quo minus Plætoria gens eadem cum Lætoria fuerit. M. Plaetorivs qui huius tabellæ denarios cuſit, nominatur a Cicerone in oratione pro A. Cluentio & pro M. Fonteio; quemquidem Fonteium Plætorius accuſauit anno dclxxxiiii. repetundarum
Cicero Orat. pro Cluentio, & Pædianus. ſubſcriptore M. Fabio, defendente Cicerone. Fuit autem M. Plætorius
Prætor deſignatus cum Cicerone anno dclxxxvi. Sortis autem, vt 1.
opinor, ædem quæ pro Deo, vt inquit Plinius, ab antiquis culta fuit, e Plætoria familia aliquis ex S. C. vel dedicauit, vel refecit, cuius fortaſſe monumentum, eius Deæ imagine in vno, qualis Antiatis Fortunæ in nummo Auguſti reperitur, & templi forma in altero ſignata denario, celebrare M.
In Orat. pro A. Cluentio. Plætorius voluit. Ad cuius indicandam Ædilitatem, de qua meminit Cicero,
ſella adiecta eſt Curulis, & ſpicæ, quæ ſunt in tertio & quinto denario 3.
ſignatæ, adſcripto titulo Aed. cvr. Nuper (inquit Cicero) hominem 5.
tenuem, ſcribam Ædilicium D. Matrinium cum defendiſſem apud M. Iunium, Q. Poblicium Prætores, & M. Plætorium, & C. Flaminium Ædiles Curules, perſuaſi vt ſcribam iurati legerent eum, quem iidem iſti Cenſores ærarium reliquiſſet &c. Ædiles autem Curules annonam curaſſe, & in ſella Curuli
Lib. 3. ſedentes ex edicto ſuo ius reddidiſſe, ex Ciceronis Verrinis & lib. de legibus
conſtat. Caduceus in quarto & ſexto denario impreſſus, ſine dubio ad ædis 4.
Mercurij dedicationem reſpicit, quam M. Plætorio, vel vt eſt apud Liuium, 6.
Lætorio a populo datam eſſe, ſupra ex Val. Maximo docuimus.




L. PLAETORIVS qui in primis tribus tabellæ denariis deſcriptus eſt, frater fortaſſe fuit M. Plætorij Ædilis Curulis, qui in ſuperiore tabella
1. deſcriptus eſt. Ex eo autem denario, qui cum M. Bruti nomine circumfertur,
2. ſuſpicari poſſumus, fuiſſe L. Plætorium vnum ex coniuratis, & Bruti
3. Pro-Coſ. qui coniurationis princeps fuit, Quæſtorem. In eius enim vna parte Monetæ imago impreſſa eſt, quod Quæſtores Prouinciales, vna cum Pro-Conſulibus aut Pro-Pr. in prouincias exituri, pecuniam ſibi ex ærario a Senatu attributam, & a Tribunis Ærariis adnumeratam accipiebant, vnde ſtipendia Legatis, Pro-Quæſtoribus, cohortique Prætoriæ ſuppeditarent. Prima, inquit Aſconius, Senatoris adminiſtratio eſt, Quæſtorem fieri, & in prouincia curam gerere pecuniæ publicæ in vſus diuerſos erogandæ &c. (In Verrinis.) Itaque in altera denarij parte miles quidam, vt opinor, ſignatus eſt, qui ſtipendium a Quæſtore acceptum ſacculo quodam ſeruat. L. PLAETORII huius facit mentionem Cicero, his verbis. Opportune adeſt homo ſumma (Pro Cluentio.)
4. fide & omni virtute præditus L. Plætorius Senator &c. Quartus denarius ad M. PLAETORIVM CESTIANVM pertinet, de quo dictum eſt in ſuperiore tabella: ex iis autem, quæ in eo impreſſa ſunt, XV-Virum ſacris faciundis aut Pontificem, aut aliquo alio Sacerdotio præditum fuiſſe coniicere poſſumus.



PLANCIAM Gentem plebeiam fuiſſe, vel eo conſtat, quod CN. PLANCIVS is, qui huius tabellæ denarium ſignauit, Tribunus pl. fuit anno DCXCVI. P. Lentulo, Q. Metello Coſſ. eiuſque in primis opera ab exilio M. Cicero reuocatus eſt. Idem cum Macedoniæ Quæſtor eſſet, Theſſalonicæ ſua liberalitate Ciceronem exulem per menſes ſeptem retinuit. Anno DCIC. L. Domitio Ahenobarbo, Ap. Claudio Pulchro Coſſ. Ædilitatem petiit, & a M. Iuuentio Laterenſe de ambitu accuſatus, a Cicerone defenſus eſt ea oratione, quæ pro Cn. Plancio inſcribitur. Eius Ædilitatis memoria, ipſa denarij inſcriptione celebratur, in cuius altera parte monumenta quoque Ædilitatis expreſſa ſunt: Ædiles enim, vt ſcribit Cicero, curatores erant ludorum ſolemnium, in quibus præter alia, venationes & gladiatorum munera exhibebantur.

Cicero l. 2. ad Quint. Fr. lib. 1. ad Lentulum. Dio lib. 39. Cicero pro Plancio, & Ep. 8. lib. 3. ad Att.

Lib. 3. de Legib.



PLAVTIAM Gentem plebeiam fuiſſe, inter veteres Scriptores ſatis conſtat: nomen vero a Plauto cognomine duxiſſe, vt Planciam a

Planco, Variam a Varo, & Iuliam a Iulo, in ſuis familiis annotauit Vir doctiſſimus Antonius Auguſtinus. Cum autem Plauti, Ploti etiam dicti ſint (vt M. Attius Sarcinas, qui comœdias ſcripſit, initio Plotus, poſtea Plautus appellatus eſt) Plautiam quoque Gentem non modo Plotiam (vt Claudiam, Clodiam) ſed Plutiam in veteribus monumentis nominatam eſſe

1. animaduertimus. Primo huius tabellæ denario L. PLAVTIVS PLANCVS notatus eſt, qui a Velleio, Plancus Plotius dicitur; indicarique arbitror L. Munatij Planci fratrem a Trium-Viris proſcriptum, de quo idem Velleius meminit his verbis. Nec Planco gratia defuit ad impetrandum, vt frater eius Plancus Plotius proſcriberetur. Eoque inter jocos militares, qui currum Lepidi, Plancique ſecuti erant, inter exſecrationem ciuium vſurpabant hunc verſum: Lib. 2.

De Germanis, non de Gallis, duo triumphant Conſules.

Ab Appiano etiam hic idem Plancus, Plotius pro Plautius appellatur, Πλάγκου μὲν, inquit, ὁ ἀδελφὸς Πλώτιος. Sed ſiue Plautius, ſiue Plotius nominandus ſit, in denariis certe Lucij prænomine affectus eſt; cum tamen Caius a Valerio Max. prænominetur, cuius verba ſunt hæc. Adjunxit ſe iis cladibus C. Plotius Plancus Munatij Planci Conſularis & Cenſorij frater, qui cum a Trium-Viris proſcriptus in regione Salernitana lateret, delicatiore vitæ genere, & odore vnguenti occultam ſalutis cuſtodiam detexit. Ab eodem in eiuſdem libri capitum titulis Cn. prænominatur: vt de mendo ſuſpicari omnino liceat. Denarij titulo ſuffragatur Plinius, & qui eum ſecutus eſt Solinus. Plinij verba ſunt hæc. L. Plotium L. Planci bis Conſulis proſcriptum a Trium-Viris in Salernitana latebra vnguenti odor prodidit &c. Lib. 4. Lib. 6. cap. 8. Lib. 13. c. 3.

2. Secundus, tertius, & quartus tabellæ denarij, vt ex eorum inſcriptionibus
3. colligitur, a PLAVTIO HVPSAEO in memoriam C. Plautij Hupſæi, qui
4. Decianus in Faſtis cognominatus eſt, quique Priuerno capto de Priuernatibus triumphauit anno CCCCXXIIII. ſignati ſunt. Secundi denarii titulum ita interpretantur, C. HVPSAEO CONSVLE PREIVERNVM CAPTV. Sic enim antiqui ſine M littera CAPTV pro CAPTVM ſcribebant. Tertii vero & quarti ita C. YPSAEVS PREIVERNVM CEPIT. Illud etiam in duobus his denariis notandum eſt, Hupſæi nomen Græca littera Y ſine aſpiratione ſcriptum eſſe. P. HVPSAEI, qui denarios cuſit meminit Aſconius, T. Annius Milo, inquit, & P. Plautius Hupſæus, & Q. Metellus Scipio Conſulatum petierunt, non ſolum largitione palam profuſa, ſed etiam factionibus armatorum ſuccincti &c. petierunt autem anno DCC. atque ex tribus competitoribus de ambitu accuſatis, ſolus Hupſæus, vt ſcribit Dio damnatus eſt. Fuit P. Hupſæus Cn. Pompeij Quæſtor, & cum M. Scauro Ædilis Curulis, vt ex ſecundi denarij inſcriptione intelligitur. De eo facit mentionem Cicero In Miloniana. Lib. 40. Lib. 1. ad Lentulum.
5. multis in locis. A. PLAVTIVS qui in quinto denario Ædilis Curulis deſcribitur, is eſt, quem anno DCXCVI. Tr. pl. fuiſſe ſcribit Cicero. Ædilem autem Curulem anno DCIC. cum Cn. Plancio exiſtimo fuiſſe, quod is eſſet annus legitimus Ædilitatis; atque ad ludos in eo munere exhibitos indicandos, camelum in altera denarij parte ſignaſſe. Quamvis magis placeret, ſi camelus Lib. 2. ad Qu. Frat. Dio lib. 39.


ad Arabiæ regulum Bacchium Iudæum referretur, quem a Plautis Cn. Pompeij, vt opinor, in Aſia Legato vel Pro-Quæſtore ſuperatum fuiſſe credibile eſt eo bello, in quo Aretas quoque Rex ab Æmilio Scauro, Pompeij item Pro-Quæſtore victus eſt. Bacchium autem Romanæ familiæ nomen non eſſe, vel vnius Horatii teſtimonio confirmare poſſumus ex illo verſu.

Ioſeph. Antiquit. Iudaic. lib. 14. c. 4.

Satyr. 7. l. 1.

Compoſitus melius cum Bitho, Bacchius &c.

C. PLAVTII *ſeu* PLVT. *cum permulti apud veteres occurrant, cuiuſnam horum ſit ſextus hic denarius, ignoro*; poteſt tamen is eſſe qui in æreis ſequentis tabellæ nummis C. PLOTIVS RVFVS nominatur.



PLOTIAM Gentem eamdem fuiſſe cum Plautia ſiue Plutia, ſupra diximus. C. autem PLOTIVS RVFVS, qui Trium-Vir ſub Auguſto æreos nummos cuſit, fortaſſe is eſt qui in ſuperioris tabellæ ſexto denario C. PLVTIVS nominatur.



POBLICIAM Gentem ſiue PVBLICIAM (vtroque enim modo in veteribus monumentis reperitur & ab antiquis Poblii antea dicti ſunt qui poſtea Publii, & Poblicii, qui deinde Publicii) plebeiam fuiſſe Lib. 27. ex Liuio conſtat, qui C. Poblicij meminit, qui Tr. pl. fuit anno DXLV. cui a Senatu populoque Romano, vt ipſe poſterique eius in Vrbe ſepelirentur, conceſſum eſt, vt ex hac inſcriptione, quæ ſub Capitolio in monumento quadrato ex lapide Tiburtino inciſa eſt, intelligimus.

C. POBLICIO L. F. BIBVLO AED. PL. HONORIS
VIRTVTISQ. CAVSSA SENATVS
CONSVLTO POPVLIQVE IVSSV LOCVS
MONVMENTO QVO IPSE POSTERIQVE
EIVS INFERRENTVR PVBLICE DATVS EST.

1. Primi tres huius tabellæ denarij pertinent, vt opinor, ad C. POBLICIVM
2. MALLEOLVM qui in ſexto denario M. F. deſcriptus eſt, quique Cn. Lib. 5. in
3. Dolabellæ in Aſia Quæſtor fuit, vt ex Cicerone colligere poſſumus, qui Verrem.
ſcribit Verrem C. Malleolo occiſo, Cn. Dolabellæ Pro-Quæſtore fuiſſe. Ciceronis verba ſunt hæc. C. Malleolo Quæſtore Cn. Dolabellæ occiſo, duas ſibi hæreditates veniſſe arbitratus eſt: vnam Quæſtoriæ procurationis, nam a Dolabella ſtatim Pro-Quæſtore iuſſus eſt eſſe, alteram tutelæ: nam cum pupilli Malleoli tutor eſſet, in bona eius impetum fecit. Nam Malleolus in prouinciam ſic copioſe profectus erat, vt domi prorſus nihil relinqueret, præterea pecunias occuparat apud populos & ſyngraphas fecerat: argenti optimi cælati grande pondus ſecum tulerat (nam ille quoque ſodalis iſtius erat in hoc morbo & cupiditate) grande pondus argenti, familiam magnam, multos artifices, multos formoſos homines reliquit &c. Opinor autem

C. Malleolvm in hoc ipſo magiſtratu denarios huiuſmodi cuſiſſe, in quibus alicuius Gentilis ſui monumenta terreſtris & naualis victoriæ nobis, quia hiſtoriæ non exſtant, ignotæ, impreſſit. Ex mallei autem ſigno, quod in duobus denariis impreſſum eſt coniicere poſſumus. Malleolos cognomen ſuum inde duxiſſe, quod aliquis ex ea familia primus malleum inuenerit. Ita enim Pilumnus dictus eſt is, qui pilum primus piſtrinis inuenit, & vt inquit Varro, pampinatio inuenta primo Stoloni cognomen dedit. C. Poblicivs qui in quarto denario Q. F. deſcribitur, filius fortaſſe fuit 4.

In Orat. pro A. Cluentio.

Q. Poblicij, quem cum M. Iunio Prætorem Vrbanum fuiſſe ſcribit Cicero. » Nuper, inquit, hominem tenuem, ſcribam Ædilicium, D. Matrinium cum » defendiſſem apud M. Iunium, Q. Poblicium Prætores &c. M. autem Poblicium, qui Cn. Pompeij Magni Imperatoris Legatus Pro-Prætore in quinto denario notatus eſt, exiſtimabat amicus meus eum eſſe, cuius facit 5.


Lib. 3.

mentionem Florus & Appianus in Mithridatico: ſed male a Floro Plotinum, ab Appiano Plotium librariorum errore nominari. Flori verba ſunt Gellius Tuſco mari impoſitus, Plotinus Siculo. Περὶ δὲ αὐτὴν Ἰταλίαν, inquit Appianus, Λούκιον Γέλλιον, καὶ Γναῖον Λέντουλον. Σικελίαν δὲ καὶ τὸ Ἰόνιον ἐφύλασσον αὐτῷ Πλώτιός τε Οὐάρρων, καὶ Τερέντιος Οὐάρρων μέχρις Ἀκαρνανίας. Hoc eſt, » Oram Italiæ L. Gellio, Cn. Lentulo: a Siciliæ littoribus ad Acarnaniam » Ionium mare Plotio Varo, Terentioque Varroni ſeruandum ex eadem » ordinatione attigit &c. Ego vt de amici mei opinione quid ſentiam, libere dicam, apud Appianum quidem, vt Οὐάρρων Plotij ſit cognomen ferre non poſſum: opinorque aut vocem eam abundare, aut pro Οὐάρρων ſcribendum

Lib. 7.

eſſe Οὐάρος, quod Varus Plotiæ familiæ cognomen ſit apud Tacitum. Quæ ſcriptura ſi retineatur, Plotius in Flori quoque codicibus reponendum erit. M. autem Poblicium Cn. Pompeij Legatum Pro-Prætore in Hiſpania, non in bello Piratico fuiſſe, ex Hiſpaniæ ipſius imagine, quæ in altera denarii parte ſignata eſt, facile conſtat.


Pompeiae



POMPEIAE Gentis plebeiæ, tres, in antiquis qui ſuperſunt denariis,
1. familiæ reperiuntur, MAGNI ſcilicet RVFI, & FOSTLI. Primus denarius ad Cn. Pompeij maritimam de Piratis victoriam pertinet, de qua ita ſcribit Cicero, pro Lege Manilia. « Ita tantum bellum, tam diuturnum, tam longe lateque diſperſum, quo bello omnes Gentes ac nationes premebantur, Cn. Pompeius extrema hyeme apparauit, ineunte vere ſuſcepit, media æſtate confecit. » Lib. 2. Poſt biennium, inquit Velleius, « A. Gabinius Trib. legem tulit, vt cum belli more non latrociniorum, orbem claſſibus iam, non furtiuis expeditionibus Piratæ terrerent, quaſdam etiam Italiæ vrbes diripuiſſent, Cn. Pompeius ad eos opprimendos mitteretur, eſſetque ei imperium æquum in omnibus prouinciis cum Pro-Conſulibus vſque ad quinquageſimum milliarium a mari: quo S. C. pene totius terrarum orbis imperium vni viro deferebatur &c. » Dio, « Τῆς δὲ Ἰταλίας ἀντὶ ὑπάτου ἐπὶ τρία ἔτη. προσέταξαν αὐτῷ ὑποστρατήγους πεντεκαίδεκα, καὶ τὰς ναῦς ἁπάσας, τά τε χρήματα, καὶ τὰ » Lib. 36. στρατεύματα, ὅσα ἂν ἐθελήσῃ, λαβεῖν ἐψηφίσαντο. Hoc eſt, Et in Italia vt in triennium eſſet Pro-Conſule. Decreuerunt ei etiam Legatos quindecim, omnes item naues, & vt pecuniæ quantum vellet, itemque quot vellet Legiones acciperet. Plutarchus quoque & Appianus Cn. Pompeium Pro-Conſulari præditum poteſtate, vt ex denariorum titulis apparet, bellum Piraticum cum quindecim Legatis intra XL. dies confeciſſe ſcribunt: ex quibus vnum fuiſſe Cn. Calpurnium Piſonem qui Cn. Pompeij Pro Q. in denariis deſcriptus eſt, ſupra in Calpurnia familia, ex Appiani Mithridatico
2. docuimus. Secundus denarius ad Piraticum idem bellum ſpectat, in quo gerendo Pompeius maria omnia, inſulas, oras maritimas, claſſes populi

Romani, quotquot eſſent in poteſtate habuit. Ad quod quidem indicandum maris imperium aquila, delphin, & ſceptrum in altera denarii parte impreſſum eſt cum eodem titulo MAGN. PROCOS. quod Pro-Conſulari ſcilicet, vt dictum eſt, poteſtate, Piraticum bellum Pompeius confecerit. Qui MAGNI cognomen vnde acceperit docet Plutarchus in eius vita. De M. Varrone qui in bello contra Piratas vnus e xv. Pompeij Legatis fuit, atque etiam Pro-Q. ex Floro, Appiano, & Dione in Terentia familia abunde ſcripſimus. 3.
Tertium tabellæ denarium a M. Poblicio qui fuit Pompeij in Hiſpania Legatus Pro-Prætore, ſignatum fuiſſe coniicere poſſumus ex eo, quod in eius denarij altera parte Hiſpaniæ imago impreſſa eſt, clypeum & haſtam demiſſis mucronibus gerens, qualem in Galbæ Imp. argenteis denariis, cum inſcriptione HISPANIA notatam animaduertimus. Hiſpaniam vero
Lib. 40. prouinciam in quinquennium Pompeio decretam fuiſſe ſcribit Dio & alij: Imperator autem Pompeius appellatus eſt, vt Plutarchus teſtatur, ex Africa, in qua bellum contra Domitium gerens, multa cum cæde fuſis hoſtibus (quippe de viginti millibus tria tantum euaſerant) a militibus Imperator ſalutatus eſt: cumque vallo hoſtium ſtante id nomen ſe accipere negaret, facto a militibus in caſtra impetu, atque ipſo prioris periculi metu ſine galea pugnante, caſtraque capta, & occiſus eſt Domitius. Quartum tabellæ 4.
denarium a M. Minatio Sabino, Pompeij etiam in Hiſpania Pro-Q. cuſum eſſe, ex eodem Hiſpaniæ ſigno, quod in eo expreſſum eſt, intelligere poſſumus. Quintus a SEXTO filio cum imagine ſua & Cn. patris (*vt* 5.
quidam putant) ex ære percuſſus, nihil habet præter PII cognomen, de quo infra dicemus, notatu dignum. Sextus huius tabellæ aureus nummus a Sex. 6.
Pompeo Magni filio, quo tempore, vt ex inſcriptione apparet, claſſis & oræ maritimæ ex S. C. Præfectus, Siciliæ imperium tenebat, cuſus fuit Meſſanæ, vt opinor, vel Panormi, quod in his tantum locis reperti ſint, quotquot nobis huic ſimiles videre licuit. In eius autem altera parte præter *Sexti* Pompeij effigiem, corona quædam impreſſa eſt, quæ *cum* è quercu ſit, *ea eſt profecto quam ob ſeruatos profugos ciues geſtauit, neque enim* eam eſſe arbitramur quam Pompeio Senatum conceſſiſſe vt in ſolemnibus feſtis
Lib. 37. geſtaret, tradit Dio, cum inquit, ὡς δὲ ταῦτα δαφνοφορεῖν αὐτὸν ἐν πάσαις ἀεὶ ταῖς πανηγύρεσι. *Erat enim laurea: Quidam eo quod ſimilis Alexandro Macedoni fuerit habitus Pompeius pater (vt refert Plutarchus) quem inter Reges forma præcelluiſſe conſtat ex monumentis, putant hoc caput eſſe Pompeij patris, cum venuſtior videatur alio qui in his nummis occurrit; ſed in ipſis Plutarchi verbis refelluntur ex quibus ſuam ſententiam hauſerunt, ait enim plus rumoris quam veritatis habuiſſe hanc ſimilitudinem.* Ποιοῦσα, inquit, τὴν λεγομένην μᾶλλον ἢ φαινομένην ὁμοιότητα πρὸς
Ex Epiſt. Seguini ad Gottifr. τὰς Ἀλεξάνδρου τοῦ βασιλέως εἰκόνας. *Et certe vbi barbatus Alexander? contra vero tali habitu fuiſſe* SEXTVM *veriſimile eſt, quem moribus agreſtem, ſermone barbarum fuiſſe ait Velleius. Præterea vbi hæc* τῆς κόμης ἀναστολὴ *capillorum erectio in ſumma fronte quæ in alia imagine quæ* 5. 7. 8. 11. *ſole clarior apparet. Nam quod aiunt hunc qui in ſeptimo exprimitur Imperatorem iterum dici quod* CNAEO *magno non conuenit quem ſemel fuiſſe conſtat, cum bis Imperator vocatus*

ſit SEXTVS, *id nihili eſt cum eadem in hoc denario inſcriptio legatur, quam tamen* CNAEO *tribuunt, ſed id eo fit quia ſæpe ſuos titulos inſcribebant cum aliorum imagines exprimerent vt vel ex primo Sanquiniæ Gentis nummo perſpicitur, cui cum inſcriptus ſit* SANQVINIVS *quidam* III-VIR, *ineſt tamen Auguſti facies. Deinde quod obiiciunt Pium nunquam vocatum fuiſſe* CNAEVM, *in eundem errorem congruit quod facies ea quæ ab his* CNAEO *patri tribuitur, eumdem titulum habeat.*



1. **O**Mnes Romanæ antiquitatis ſtudioſi effigiem; quæ in primo huius
2. tabellæ denario & ſecundo expreſſa eſt, Cn. Pompeij Magni vultum repræſentare arbitrantur cum ex denariorum titulis, & iis quæ in altera denariorum parte ſignata ſunt, SEXTO illa filio tribuenda videatur. Ac primum inſcriptio ipſa prioris denarii, MAG. PIVS IMP. ITER. quin ad SEXTVM referenda ſit, nullo modo dubitari poteſt. CN. enim pater IMP. ſemel tantum, PIVS vero à Scriptoribus nunquam eſt appellatus: at Sextus id cognominis non in omnibus modo, quos cuſit nummis vſurpauit, ſed ad illud ſymbolice indicandum Amphinomum & Anapiam Catanenſes fratres, quibus pietatem antiqui ſignificabant, quales in ΚΑΤΑΝΑΙΩΝ æreo nummo notati ſunt, in altera ſeptimi denarij parte impreſſit. Strabo lib. 6.
Καὶ οἱ ῥύακες ἐς τὴν Καταναίων ἐγγυτάτω καταφέρονται καὶ τὰ περὶ τοὺς εὐσεβεῖς ἐκτεθρύλληται τὸν Ἀμφίνομον, καὶ τὸν Ἀναπίαν, οἱ τοὺς γονέας ἐπὶ τῶν ὤμων ἀράμενοι διέσωσαν ἐπιφερομένου τοῦ κακοῦ, ὅταν περ Ποσειδῶν φαίνηται. Hoc eſt: Nam & riui « in agrum Catanenſium proxime deferuntur, quæque de filiorum in parentes « pietate fama diſſeminat Amphinomi & Anapiæ, hic geſta ſunt. Qui « ingruente malo, quandoque Neptuno viſum eſt, parentibus in humero « ſublatis, incolumes illos eduxerunt. *Duplici autem iure id nominis obtinuiſſe* «

credibile eſt, & quod patris necem vltus eſt, & quod ad eum proſcriptis azilum pateret indeque erga patriam Pivs *dici mereretur.* Alterius quoque partis inſcriptionem Praef. clas. et orae Marit. ex S. C. ad eumdem Sextum pertinere manifeſtum eſt; de hac enim præfectura, præter ea quæ
Lib. 2. » traduntur ab Appiano, & Dione, ita narrat Velleius. Murcus qui claſſi &
» cuſtodiæ maris præfuerat cum omni commiſſa ſibi parte exercituum
» nauiumque Sex. Pompeium Magni filium qui ex Hiſpania reuertens Siciliam
» armis occupauerat, petit. Ad quem & e Brutianis caſtris, & ex Italia aliiſque
» terrarum partibus, quos præſenti periculo fortuna ſubduxerat, proſcripti
» confluebant. Quippe nullum habentibus ſtatum, quilibet dux erat idoneus:
» cum fortuna non electionem daret, ſed perfugium oſtenderet, exitialemque
» tempeſtatem fugientibus, ſtatio pro portu foret. Hic adoleſcens erat ſtudiis
» rudis, ſermone barbarus, impetu ſtrenuus, manu promptus, cogitatione
» celer, fide patri diſſimillimus, libertorum ſuorum libertus, ſpecioſis inuidens,
» vt pareret humillimis, quem Senatus pene totus adhuc e Pompeianis
» conſtans partibus, poſt Antonii a Mutina fugam, eodem illo tempore, quo
» Bruto Caſſioque tranſmarinas prouincias decreuerat, reuocatum ex Hiſpania,
» vbi aduerſus eum Pollio Aſinius Prætorius clariſſimum bellum geſſerat, in
» paterna bona reſtituerat, & oræ maritimæ præfecerat &c. In Cn. autem Pompeii denariis, quos eius Legati Piſo & Varro cum monumento Piraticæ victoriæ percuſſerunt, titulus adſcriptus eſt Cn. Magn. Pro-Cos. quia Pompeius contra Piratas miſſus, cum quindecim Legatis Pro-Conſulari præditus poteſtate id bellum confecit. *Quæ eo dicta velim intelligi vt occaſionem oſtenderem, cur quidam in eo lapſi ſint, cum hæc omnia titulos ad* Sextvm *pertinere probent, cum vultus Cnæo Magno ſit tribuendus, illi autem verba faciemque in vnum conjunxerant.* Reliquum eſt vt de litui & vrceoli ſignis, quorum altero Pontificatus, altero Auguratus ſignificatur, quæ in eodem impreſſa denario ſunt, ad eundem Sextvm referri poſſint, nec ne, videamus. Ac
Lib. 5. de Pontificatu quidem ita ſcribit Appianus: ὑπατεῦσαι δ' ἀπόντα δι' ὅτου κρίνοι
» τῶν φίλων, καὶ τῆς μεγίστης ἱερωσύνης ἐς τοὺς ἱερέας ἐγγραφῆναι. Hoc eſt, Vt abſens
» Conſulatum per quemlibet amicorum gereret; & adſcriberetur in
Philipp. lib. 3. Pontificum collegium. Auguratum vero colligere poſſumus ex his Ciceronis
» verbis. Atque illud ſepties millies, quod adoleſcenti P. C. ſpopondiſtis,
» ita deſcribite, vt videatur a vobis Cn. Pompeij filius in patrimonio ſuo
» collocatus: hæc Senatus, reliqua Populus Romanus in ea familia quam vidit
» ampliſſimam perſequetur. In primis paternum Auguratus locum: in quem
» ego eum, vt quod a patre accepi, filio reddam, mea nominatione cooptabo
&c. Ciceronem enim Augurem a toto collegio expetitum Cn. Pompeius,
Lib. 2. & Q. Hortenſius nominauerunt, vt ipſe ſcribit in Philipp. quamvis in Bruto dicat ſe ab Hortenſio cooptatum in collegium, & inauguratum. *Ex quibus Augurem Filium fuiſſe non magis colligitur quam Patrem: etenim in paternum locum ſuffectus eſt, vt hoc indicio quod commune eſt, non vni magis quam alteri danda videatur eſſe hæc effigies.* In ſecundo huius tabellæ denario, eadem 2
Sexti effigies cum Neptvni nomine a Q. Naſidio eius claſſis Præfecto

impreſſa eſt, ex cuius quidem denarii titulo, & ex iis quæ ad eius intelligentiam ex Appiano & Dione verba proferam, facile intelligi poterit, inſcriptionem, & effigiem Sexto omnino tribuendam eſſe nec vllo modo ad Cnæum patrem referri poſſe, de quo nihil tale a ſcriptoribus memoriæ proditur. Lib. 5. bel. ciuil. Lib. 48.


Ὁ δὲ Πομπήιος, inquit Appianus, οὐδ' ἐπὶ τοσῇδε δυσχερείᾳ τοῖς δὲ ναυαγίοις ἐπιχειρεῖν ἠξίου, ἀλλ' ἔθυε μόνον θαλάσσῃ καὶ Ποσειδῶνι, καὶ υἱὸς αὐτῶν ὑφίστατο καλεῖσθαι, πειθόμενος οὐκ ἄνευ θεοῦ δὶς οὕτω θέρους πταίσαι τοὺς πολεμίους. Φασὶ δὲ αὐτὸν ὑπὸ τῆς δὲ χαυνούμενον, καὶ τὴν συνήθη τοῖς αὐτοκράτορσι χλαμύδα, ἐκ φοινικῆς εἰς κυανῆν μεταλλάξαι, ἐσποιούμενον ἄρα τῷ Ποσειδῶνι. Hoc eſt, Pompeius ne hac quidem tot naufragiorum occaſione vſus, tantum Neptuni ſacris operabatur, & Salaciæ quorum etiam filium appellari ſe ſuſtinuit, perſuaſus non ſine Deo bis ita per æſtiuos menſes hoſtem afflictum aduerſis tempeſtatibus. Fertur eum ſucceſſibus inflatum mutaſſe paludamentum atque cæruleum ſumpſiſſe pro puniceo, adoptatum ſcilicet a Neptuno. Dionis verba ſunt hæc: Καὶ Σέξτος ἔτι καὶ μᾶλλον ἤρθη, καὶ τοῦ τε Ποσειδῶνος υἱὸς ὄντως ἐπίστευεν εἶναι καὶ στολὴν κυανοειδῆ ἐνεδύσατο. Hoc eſt, Sextus autem magis tum elatus animo, vere Neptuni filium ſe credebat eſſe, veſtemque cæruleam induit &c. His addenda ſunt Porphyrionis verba in Horatij verſus illos,

> Vt nuper actus cum freto Neptunius
> Dux fugit vſtis nauibus.

Neptunium ducem, inquit, Sextum Pompeium noli ſimpliciter dictum accipere, quaſi qui in mari dux fuiſſet, ſed quod eo ſtultitiæ proceſſiſſet inflammatus rerum marinarum felicitate, vt Neptuni filium ſe diceret, & cyanea veſte obduceretur. De Q. Naſidio Sex. Pompeij claſſis præfecto, in
3. Naſidia Gente dictum eſt. In tertio tabellæ denario ad inſulam Siciliam, cui Sextus præerat deſignandam, Scyllæ ſimulacrum impreſſum eſt, quale a Virgilio in Bucolicis deſcribitur in illis verſibus,

> . . . . . . aut quam fama ſecuta eſt,
> Candida ſuccinctam latrantibus inguina monſtris
> Dulichias vexaſſe rates, & gurgite in alto.
> Ah timidos nautas nauibus laceraſſe marinis!


Hæc autem ab Homero accepiſſe Virgilium, qui primus ea de Scylla, & eius in Sicilia habitatione commentus eſt, omnibus opinor notum eſſe. In huius denarij altera parte Neptuni ſignum roſtro nauis innixum, atque alia
4. maris imperium indicantia ſymbola impreſſa ſunt. In quarto præter Neptuni cum tridente imaginem, trophæa de maritimis Sexti victoriis, de quibus Appianus ſcribit & Dio, ſignata ſunt, cum eadem illa inſcriptione, quæ omnibus Sexti denariis adſcripta eſt, MAG. PIVS IMP. ITER. PRAEF.
5. CLAS. ET ORAE MARIT. EX S. C. In quinto & ſexto, præter Pietatis
6. ſignum quod Cn. Pompeij iunioris, vt Appianus ſcribit ſymbolum fuit, Lib. 4.
nihil quod notatu magnopere dignum videatur, impreſſum eſt: nec enim de Salute Dea, quæ fortaſſe nota illa SAL. ſignificatur, quicquam memini me legiſſe, quod ad Sextum aliquo modo pertineat, *niſi quod profugos excepit & ſeruauit.*



TErtius huius tabellæ denarius ad Q. Pompeivm Q. F. Rvfvm 3.
pertinet, qui cum L. Cornelio Sulla Conſul fuit anno dclxv. in quo quidem magiſtratu, vt ſcribit Cicero in Bruto, & Aſconius in Corneliana, & Appianus, a militibus Cn. Pompeij Strabonis in ſacrificio occiſus eſt. Opinor autem nummum hunc, in quo vultus ipſius expreſſus eſt, a Q. Pompeio eius nepote cuſum eſſe; quem Sullæ θυγατριδοῦν appellat Dio: natum ſcilicet ex Cornelia L. Sullæ filia, quæ nupſerat Q. Pompeio Rufo, qui Rufi huius Conſulis filius fuit, & ab emiſſariis P. Sulpicij Tribuni Plebis in ipſo patris conſulatu interfectus. Liuius in Epitoma, Plutarchus in Sulla, & Appianus. Quartus denarius ad eumdem Pompeium Rufum 4.
ſpectat, cuius Prætura indicatur ſella Curuli, quæ in altera parte eius denarij impreſſa eſt. Fuit autem Q. Pompeius Rufus, Prætor Vrbanus anno dclxii. vt teſtatur Cicero & Valerius Maximus. Sex. Pompeii Fostli, qui in quinto tabellæ denario notatus eſt, niſi is ſit, qui anno dccxvii. 5.
Conſul cum L. Cornuficio ſine cognomine in Faſtis deſcriptus eſt, nulla apud Scriptores, quod ſciam, mentio reperitur. Ex iis autem quæ in altera denarij parte notata ſunt, intelligere poſſumus eum quicumque fuerit, a Fauſtulo paſtore cognomen duxiſſe, maiores ſuos ſignificare voluiſſe: ex Fauſtulo enim Foſtulus, vt ex Plauto Plotus, deinde Fostlvs, factum eſt, vt ex Proculo, Proclus. De Ruminali ficu & Fauſtulo paſtore ita nota ſunt, quæ ab antiquitatis Romanæ ſcriptoribus traduntur, vt pudeat me in eis vel paululum immorari. De pico tantum aue, quæ in eodem denario ſignata eſt. Ouidij verſus proferam,

Lib. 1. bel. ciuil.; Lib. 40.; Velleius lib. 2.; Lib. 77.; Lib. 1.; Lib. 1. de Oratore.; Lib. 3. c. 5.; Lib. 3. Faſt.

> Martia picus auis gemino pro ſtipite pugnat;
> Et lupa &c.
> Lacte quis infantes neſcit creuiſſe ferino,
> Et picum expoſitis ſæpe tuliſſe cibum.



POMPONIAM Gentem *Equeſtrem fuiſſe ab vltima origine ſtirpis Romanæ ait Cornelius Nepos, in Attico. Equeſter autem ordo mediæ inter plebem & Senatores dignitatis erat.* A Pompone Numæ Pompilij Regis filio duxiſſe originem, & Plutarchus ſcribit in Numa, & is qui monetam cuſit L.
1. POMPONIVS, indicare primo denario voluit. Plutarchi verba ſunt hæc: Οἱ δὲ πρὸς ταύτῃ τέσσαρας υἱοὺς ἀναγράφουσιν αὐτοῦ Πόμπωνα, Πῖνον, Κάλπον, Μάμερκον ὧν ἕκαστον οἴκου διαδοχὴν, καὶ γένους ἐντίμου καταλιπεῖν. εἶναι γὰρ, ἀπὸ μὲν τοῦ Πόμπωνος, τοὺς Πομπωνίους. ἀπὸ δὲ τοῦ Πίνου, τοὺς Πιναρίους. ἀπὸ δὲ Κάλπου, τοὺς Καλπουρνίους. ἀπὸ δὲ Μαμέρκου, τοὺς Μαμερκίους. οἷς διὰ τοῦτο, καὶ ῥῆγας γενέσθαι παρωνύμιον, ὅπερ ἐστὶ βασιλέας. Hoc eſt, Alii ſupra hunc quatuor alios habuiſſe „ filios edunt Pomponem Pinum, Calpum, & Mamercum, quorum „ vnumquemque proſapiam, & claræ ſucceſſionem Gentis reliquiſſe: „ Pomponis enim eſſe Pomponios ſobolem, Pini Pinarios, Calpi Calpurnios, „ Mamerci Mamercios, quibus etiam ex illo cognomen Regibus ſit ortum „ &c. Cum autem Numa Rex, vt ſcribit Liuius, ſacra, cæremonias, omnemque Deorum cultum Populum Romanum docuerit: Pontifices, Augures, Flamines, Salios, Veſtales, alioſque Sacerdotes primus inſtituerit, non abs re L. Pomponius capram ad Iunonis αἰγοφάγου aram, cui immolabatur ſtantem, & Augurem dextra manu lituum tenentem, cui ſubſcriptum eſt NVM. POMPIL. in altera denarii parte ſignauit. Sed L. is POMPONIVS
2. MOLO, qui, vt arbitror in ſecundo denario CN. F. deſcribitur, quis fuerit, quia nulla de eo apud Sctiptores mentio reperitur, mihi diuinare non licet; nec enim L. Pomponium Bononienſem Atellanarum ſcriptorem deſignari exiſtimo, cuius Cicero, Seneca, Macrobius, & alii meminerunt. CN. certe POMPONII filius credi poteſt eius eſſe, qui inter claros oratores numeratur

a Cicerone in Bruto. Q. Pomponius Rufus qui reliquos huius tabellæ & ſequentis denarios cum imaginibus Muſarum ſignauit, auus eſſe potuit Q. Pomponij Rufi, de quo exſtat mentio in ænea tabula ita inſcripta.

IMP. CAESAR. DIVI VESPASIANI F.
DOMITIANVS AVGVSTVS GERMANICVS PONTIFEX MAXIMVS
TRIBVNIC. POTEST. XII. IMP. XXII. COS. XVI. CENSOR PERPETVVS PP.
PEDITIBVS ET EQVITIBVS QVI MILITANT IN CHORTE III. ALPINORVM
ET IN VIII. VOLVNTARIORVM CIVIVM ROMANORVM QVI PEREGRINAE
CONDICIONIS PROBATI ERANT ET SVNT IN DELMATIA
SVB Q. POMPONIO RVFO QVI QVINA ET VICENA STIPENDIA
AVT PLVRA MERVERVNT &c. in fine tabulæ eſt.
DESCRIPTVM ET RECOGNITVM EX TABVLA AENEA QVAE FIXA EST
ROMAE IN MVRO POST TEMPLVM DIVI AVGVSTI AD MINERVAM.

Ab hoc autem Q. Pomponio, qui in veteri inſcriptione nominatur, genus duxiſſe poteſt C. Pomponius Rufus, qui Conſul deſcribitur, cum Cn. Pompeio Feroce in antiquo lapide, qui Romæ extat huiuſmodi.

LIBERO PATRI
SANCTO SACR.
SEX CAELIVS
PRIMITIVVS ET
PVBLICIA ANTVLLA
VOTO SVSCEPTO
D. D.

in lateribus, caper erectus vitem rodit: a tergo inciſum eſt

DEDICAVERVNT
IDIB. OCTOBR.
CN. POMPEIO FEROCE
LICINIANO COSS.
C. POMPONIO RVFO.

Lib. 3. c. 4. Valerius Maximus facit mentionem Pomponij Rufi viri eruditi, qui libros ſcripſit collectorum, ad quem fortaſſe tertius tabellæ denarius referri poteſt, & ij qui cum Herculis & Muſarum ſimulacris circumferuntur. Quamuis credibile etiam eſt eumdem hunc Pomponium Rufum, de quo meminit Valerius, denarios huiuſmodi cum Muſarum imaginibus in eius Pomponij memoriam ſignaſſe, cuius hoc epigramma in CASCAM adoleſcentem recitat Varro, 3.

Lib. 5. de Lingua Latina.

Ridiculum eſt cum te Caſcam tua dicit amica
Caſca, Philoptonis ipſa ſenex puerum:
Dic tu illam puſam, ſic fiet mutua muli:
Nam vere puſus tu, tua amica ſcexex ſt.

Ex quarto autem tabellæ denario, in cuius vna parte Apollinis caput cum titulo Q. POMPONIVS MVSA, in altera Herculis ſimulacrum impreſſum eſt cum inſcriptione HERCVLES MVSARVM, colligere quiſpiam poſſet, POMPONII huius cognomen fuiſſe MVSAM, niſi alius argenteus item denarius obſtaret, in cuius altera parte expreſſum eſt caput Iouis, tum titulo RVFVS S. C. vt eſt in tertio huius tabellæ denario, cui adſcriptum eſt, Q. POMPONI. MVSA, vt inde facile intelligi poſſit, MVSA nomen ad indicandum Deæ ſignum adiectum eſſe. Scio Muſam Antoniæ familiæ, & aliarum etiam fuiſſe cognomen: nam & Suetonius, in Auguſto, facit mentionem Antonij Muſæ, qui fuit Medicus Auguſti, & Dio: Sed cognomen 4.

Cap. 59. & 81. Lib. 53.

id

id Pomponio Rufo nullo modo accommodari poteſt, niſi quis alterum quidem cognomen, alterum vero agnomen Pomponij fuiſſe velit: Ego vt quid de hac re ſentiam, libere dicam, ad duas Pomponiæ Gentis familias pertinere hos denarios puto, vnam quæ Muſæ cognomen habuerit, alteram quæ Rufi; opinorque Q. Pomponium RVFVM, alium omnino eſſe ab eo, qui quartum denarium ſignauit, quique MVSA ſine dubio cognominatus fuit, ad quod ipſe cognomen fortaſſe reſpiciens, Muſarum imagines in percuſſis ab eo denariis expreſſit. Quamvis fieri etiam poteſt, vt vterque Pomponius Gentilis alicuius ſui in Poëtica facultate laudem celebrare voluerit, & Muſarum ſimulacra huiuſmodi in denariis ſignauerit. Sed dicendum nunc aliquid & de Muſis ipſis, ac primum de Hercule Muſarum, cuius ædem conſtruxit Romæ L. Marcius Philippus, vt Suetonius ſcribit, in Auguſto. Licet Eumenius, ſiue alius ſit qui orationem inſcripſit, de inſtaurandis ſcholis, Fuluio Nobiliori eius ædis dedictionem tribuerit, cum inquit, Ædem Herculis Muſarum in Circo Flaminio Fuluius ille Nobilior « ex pecunia cenſoria fecit, non id modo ſecutus, quod ipſe litteris & ſumma « poëtæ amicitia duceretur; ſed quod in Græcia cum eſſet Imperator, acceperat « Herculem, Muſagetem eſſe, hoc eſt comitem, ducemque Muſarum. Idem « primus nouem ſigna id eſt omnium Camœnarum, quæ ex Ambracienſi « oppido tranſlata ſunt, ſub tutela fortiſſimi numinis conſecrauit, vt res, quæ « a mutuis operibus iuuari ornarique deberent, Muſarum quies defenſione « Herculis, & virtus Herculis voce Muſarum, &c. Herculem a Lino « cithariſticam didiciſſe, in Bucolicis tradit Theocritus. Cur vero communem Herculi & Muſis, Romani aram ſtatuerint, docet Plutarchus in Problemat. Lib. 10. Muſarum autem ſimulacra, quæ in argenteis denariis expreſſa ſunt, variant ab iis, quæ in marmoribus ſcalpta multis locis Romæ reperiuntur; vtraque etiam ab iis quæ ſunt a veteribus ſcriptoribus deſcripta: vt in tanta denariorum, marmorum & ſcriptorum varietate, difficile ſit quid quæque


5. inuenerit, quove nomine appellata fuerit affirmare. Quinti igitur huius tabellæ denarij Muſa poteſt eſſe, quæ a Græcis Καλλιόπη dicitur, quam quod poëſim inuenerit, volumen quoddam manu tenentem antiqui finxerunt. De ea reperitur mentio in antiquo epigrammate, hoc verſu.

Καλλιόπη σοφίην ἡρωΐδος εὗρεν ἀοιδῆς: hoc eſt,
Calliopi heroï monſtrauit carminis artem.

6. Sexto denario deſignatur fortaſſe Muſa quæ Κλειὼ a Græco Poëta appellatur hoc verſu,

Κλειὼ καλλιχόρου κιθάρης μεληγδέα μολπήν: hoc eſt,
Clio dulciſonæ citharæ modulamina prompſit.

Itaque quod citharisticam inuenerit, cum cithara veteres eam finxerunt.



DE Muſa quæ in primo huius tabellæ denario impreſſa eſt, nullo modo dubitari poteſt, quin ea ſit, quæ Οὐρανία a Græcis nominatur, de ea facit mentionem Cicero lib. 1. de Diuinatione, & Græcus Poëta illo verſu, 1.

Οὐρανίη πόλον εὗρεν, καὶ οὐρανίων χορὸν ἄστρων : hoc eſt,
Vrania aſtrorumque chorum, cœlique rotatus.

Secundi denarij Muſam opinor eſſe, quæ a Græco Poëta Ἐρατὼ nominatur hoc verſu, 2.

Ὕμνους ἀθανάτων Ἐρατὼ πολυτέρπεας εὗρεν : hoc eſt,
Aſt Erato Diuum iucundos reperit hymnos.

Eadem Elegiam inuenit, & ab Ouidio deſcribitur, qualis in hoc denario expreſſa eſt,

Flebilis indignos Elegeia ſolue capillos
Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit.

Tertij denarij Muſa, quin ea ſit quæ a Græcis dicitur Εὐτέρπη dubitandum non eſt: quod autem tragœdiam inuenerit, perſonam manu tenus fingitur. Eius quoque mentio exſtat in Græco Epigrammate. 3.

Εὐτέρπη τραγικοῖο χοροῦ πολυηχέα φωνήν : hoc eſt,
Euterpe chori tragici reſonabile carmen.

In quarto denario Muſa ſignata eſt, quam Græci Θάλειαν vocant, quæ quod comœdiam inuenerit, ipſa quoque perſonam altera manu gerit, altera Herculis clauam, quod huic Deo comœdia dicata ſit, vt ex Ariſtophanis comœdia intelligitur, quæ Βατράχοι inſcripta eſt. Græcus Poëta de Thalia ita canit. 4.

Κωμικὸν εὗρε Θάλεια βίον τε καὶ ἤθεα κεδνά.
Comica vita Thalia tibi eſt, moreſque reperti.

5. Quinti denarij Muſa poteſt eſſe, quæ Μελπομένη appellata eſt, quæque a Græco Poëta deſcribitur,

Μελπομένη θνητοῖσι μελίφρονα βάρβιτον ἦρε: hoc eſt,
Melpomene dulci concentu barbita mouit.


Horatius tamen barbiton Polymniæ tribuit hoc verſu, Lib. I. Carm. Ode I.

——————ſi neque tibias
Euterpe cohibet: nec Polyhymnia
Leſboum refugit tendere barbiton.

6. Sextus denarius Muſam refert a Græcis appellatam Τερψιχόρην, quæ a Græco Poëta ita deſcripta eſt,

Τερψιχόρη χαρίεσσα πόρεν τεχνήμονας αὐλούς: hoc eſt,
Grataque Terpſichore calamos inflare parauit.

Horatius autem in eo, quod ſupra adduximus carmine, tibias Euterpæ tribuit.




1. Nona Muſa quæ Πολύμνια a Græcis appellatur in primo huius tabellæ denario notata eſt. De ea facit mentionem Græcus Poëta hoc verſu,

Τέρψιας ὀρχηθμοῖο Πολύμνια πάνσοφος εὗρεν: hoc eſt,
Harmoniam numeris ſaltuſque Polymnia iunxit.

Barbiton quod Polyhymniæ, vt diximus, Muſæ, tribuit Horatius, cuiuſmodi fuerit, ex eo, quod in denario impreſſum eſt, cognoſci poteſt. Muſa quæ
2. in ſecundo denario impreſſa eſt, Euterpen ſine dubio refert; quam tragœdiam inueniſſe ſupra ſcripſimus. In quo quidem denario peccatum fuiſſe ab eo, qui monetam cuſit, ſuſpicari aliquis merito potuiſſet, quod alteræ duorum denariorum partes ſimul coniunctæ in eo videantur, niſi denarios huiuſmodi a duobus cuſos Pomponiis fuiſſe, quorum alter RVFVS alter MVSA cognominatus fuerit, ſupra monuiſſemus. Libet autem hic ſubiicere Latini Poëtæ verſus quoſdam, qui inter Virgilij poëmata leguntur, quòd ad Muſas, quæ ſunt in his denariis expreſſæ, maxime faciant; quamvis ſint paullum a Græcis illis, quos ſupra adduximus, diuerſi.

Carmina Calliope libris heroïca mandat:
Clio geſta canens tranſactis tempora reddit:
Dulciloquis calamos Euterpe flatibus vrget:
Melpomene tragico proclamat mæſta boatu:
Terpſichore affectus citharis mouet, imperat, auget:
Plectra gerens Erato ſaltat pede, carmine, vultu:
Signat cuncta manu, loquitur Polyhymnia geſtu:
Vranie cœli motus ſcrutatur, & aſtra:
Comica laſciuo gaudet ſermone Thalia;
Mentis Apollineæ vis has mouet vndique Muſas:
In medio reſidens complectitur omnia Phœbus.

Qui ſuperſunt denarij ij ſubijciendi mihi viſi ſunt, non quod ab enarratis aliud exhibeant, ſed quod typorum varietas & elegantia mihi viſa eſt non omittenda.



PORCIAE Gentis plebeiæ M. Catonem, qui Cenſorius appellatus eſt, Tuſculo municipio oriundum, autorem exſtitiſſe, inter Scriptores ſatis conſtat: de eo enim ita ſcribit Cicero. Vt ille Cato cum eſſet Tuſculi natus, in Populi Romani ciuitatem ſuſceptus eſt: itaque cum ortu Tuſculanus eſſet, ciuitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram iuris. Exſtat fragmentum vitæ Catonis, quam ſcripſit Æmilius Probus, cuius initium eſt. Cato ortus municipio Tuſculo, adoleſcentulus, priuſquam honoribus operam daret, verſatus eſt in Sabinis, quod ibi hæredium a patre


Lib. 2. de Legibus.

relictum habebat &c. Cum his conſentiunt illa Plutarchi, Μάρκῳ δὲ Κάτωνι φασὶν ἀπὸ Τύσκλου τὸ γένος εἶναι, δίαιταν δὲ καὶ βίον ἔχειν πρὸ τῶν στρατειῶν, καὶ τῆς In Catone. πολιτείας ἐν πατρῴοις χωρίοις περὶ τοὺς Σαβίνους. Hoc eſt, M. Catonem ferunt « Tuſculo oriundum habitaſſe & vitam egiſſe, priuſquam ſtipendia egiſſet, & « Remp. capeſſeret, in prædiis paternis in Sabinis. M. Catonem, inquit Velleius, lib. 2. nouum etiam vrbis inquilinum &c. Catonis exſtat Hermes, inſcriptus M. PORCIVS M. F. CATO CENSORIVS, de quo in libro imaginum a nobis nuper edito abunde ſcripſimus. Porciæ autem Gentis reperiuntur LICINORVM, LAECARVM, & CATONVM familiæ. L. PORCIVS
1. LICINVS, qui in primo denario notatus eſt, Prætor fuit anno DLX. Liuius Conſul cum P. Claudio Pulchro, anno DLXIX. idem Liuius. Ab eo Lib. 39. Id. ibid. fortaſſe factum eſt nobile illud Epigramma, quod Agellius profert ſub Lib. 19. nomine L. Porcij Licini.

Cuſtodes ouium, teneræque propaginis agnûm,
Quæritis ignem? ite huc: quæritis? ignis homo eſt.
Si digito attigero, incendam ſiluam ſimul omnem:
Omne pecus flamma eſt, omnia quæ video.

Sed cum in eodem hoc denario L. Licinij & Cn. Domitij, qui Cenſores fuerunt anno DCLXI. nomina adſcripta ſint, videndum an denarius L. Porcio alicui tribuendus ſit, qui fuerit ſuperioris Licini nepos, aut conſanguineus: niſi malimus Licinium & Domitium Triumviros fuiſſe monetales, cum L. Porcio eo, qui fuit Prætor, & Conſul, iiſdem affectos prænominibus, nominibuſque, quibus vſi ſunt ij, quos diximus Cenſores fuiſſe anno
2. DCLXI. Secundus denarius pertinet ad P. LAECAM, cuius nullam reperio apud Scriptores mentionem. Quicumque tamen fuerit, vt familiæ ſuæ memoriam celebraret, Legis Porciæ quæ virgas a ciuium Romanorum corpore amouit, in altera denarij parte, monumentum, adiecta inſcriptione PROVOCO, ſignauit. De ea meminit Cicero. Porcia lex, inquit, libertatem Lib. 7. in Verrem. & pro Rabirio. ciuium lictori eripuit. Liuius. Eodem anno M. Valerius Coſ. de prouocatione legem tulit diligentius ſanctam. Tertio ea tum poſt Reges exactos lata eſt Lib. 10. ſemper a familia eadem. Cauſam renouandæ ſæpius haud aliam fuiſſe reor, quam quod plus paucorum opes, quam libertas plebis poterat. Porcia tamen lex ſola pro tergo ciuium lata videtur: quod grauiori pœna, ſi quis verberaſſet, necaſſet-ve ciuem Romanum ſanxit: Valeria lex, cum eum qui prouocaſſet, virgis cædi, ſecurique necari vetuiſſet: ſi quis aduerſus ea feciſſet, nihil vltra quam improbe factum adiecit &c. Salluſtius in Catilina. Sed per Deos immortales, quamobrem in ſententia non addidiſti, vti prius « verberibus in eos animaduerteretur? an quia lex Porcia vetat? In alio autem « denario vir togatus, qui medius eſt inter lictorem, & eum qui prouocat, in ſella quadam ſedens expreſſus eſt: vt facile inde intelligamus, magiſtratum eum deſignari, ad quem prouocatio huiuſmodi fieret. M. PORCIVS
3. LAECA, in tertio denario notatus, is eſt quem cum Catilina coniuraſſe ſcribit Salluſtius in coniuratione Catilinæ, in cuiuſque domum coniuratos conueniſſe D. Silano L. Murena Coſſ. anno DCXCI. tradit Cicero pro P.

Sulla. Damnatus poſtea fuit lege Lutatia ex iudicio L. Vettij Iudicis cum P. Autronio, Ser. Sulla, L. Vargunteio, C. Cornelio. Cicero in eadem oratione, & Dio. Quartus tabellæ denarius & quintus ad M. CATONEM 4.
Lib. 2. pertinent, M. Catonis Cenſorij Pronepotem, de quo ita ſcribit Velleius. 5.
» Hic genitus proauo M. Catone, principe illo familiæ Porciæ, homo virtuti
» ſimillimus, & per omnia ingenio diis, quam hominibus propior, qui
» numquam recte fecit, vt facere videretur, ſed quia aliter facere non poterat.
Lib. 13. c. 18. » M. Cato, inquit Agellius, non cognomento Nepos, ſed M. Catonis Cenſorij
» ex filio nepos: qui pater fuit M. Catonis Prætorij viri, qui bello ciuili Vticæ
» necem ſibi gladio manu ſua conſciuit, de cuius vita liber eſt M. Ciceronis, qui inſcribitur LAVS CATONIS, quem in eodem libro idem Cicero pronepotem fuiſſe dicit M. Catonis Cenſorij &c. Cum autem in quarto denario M. hic CATO PRO-PR. deſcriptus ſit, opinor deſignari annum Vrbis DCXCV. quo P. Clodius Tr. pl. legem promulgauit de Ptolemæo rege Cypri, vt bona eius publicarentur, & regnum in prouinciæ formam
Lib 2. redigeretur: idque negotium M. Catoni Pro-Prætore mandatum eſt.
Lib. 38. Lib. 2. Plutarchus in Catone, Appianus & Dio, ſed Vellei verba quæ leguntur,
» denarij inſcriptionem maxime illuſtrant. P. Clodius, inquit, in Senatu ſub
» honorificentiſſimo titulo M. Catonem a Rep. relegauit, quippe legem tulit,
» vt is Quæſtor cum iure Prætorio, adiecto etiam Quæſtore mitteretur in
» inſulam Cyprum ad ſpoliandum regno Ptolemæum, omnibus morum vitiis
» eam contumeliam meritum &c. Nihil enim aliud eſt Quæſtor cum iure Prætorio, quam Quæſtor Pro-Prætore. Poteſt credi M. Cato in Africa cum Iuba & Scipione Pro-Prætore fuiſſe, quibus, vt ſcribit Hirtius, initio menſis Aprilis a Cæſare ſuperatis, paucis poſt diebus Vticæ ſibi mortem conſciuit. De M. Catonis Prætura meminit Pædianus in oratione pro M. Scauro, quem quidem Scaurum a C. Triario repetundarum poſtulatum, a Cicerone defenſum fuiſſe ſcribit apud M. Catonem Prætorem. Victoriæ ſimulacrum quod in altera denariorum parte expreſſum eſt, pertinet vt arbitror ad ea,
Lib. 35. quæ de M. Catone ſeniore tradit Liuius. Iiſdem diebus, inquit, ædiculam Victoriæ virginis prope ædem Victoriæ M. PORCIVS CATO dedicauit,
In 8. reg. Foc. Roman. biennio poſtquam vouit. Ædes, inquit Pub. Victor, victoriæ cum alia ædicula Victoriæ virginis, dedicata a M. Porcio Catone fuit. Ex denariorum autem inſcriptione VICTRIX, ſuſpicari quiſpiam poſſet, apud Liuium & Victorem, Victricis pro Virginis reponendum eſſe. Sextus denarius poteſt 6.
ad C. PORCIVM CATONEM pertinere qui anno DCXXXIX. Conſul cum M'. Acilio Balbo in Faſtis deſcribitur. Poteſt etiam ad C. CATONEM
Lib. 1. ad P. Lent. & 2. ad Quint. Fratr. referri, qui Tr. pl. fuit anno DCXCVII. Cicero & Dio. In quo quidem Tribunatu (vt ſcribit Feneſtella lib. 22. Annalium apud Nonium) turbulentus
Lib. 39. nec imparatus ad dicendum, concionibus aſſiduis, inuidiam & Ptolemæo ſimul, cuius reductionem impediebat, & P. Lentulo Conſuli, paranti iam iter, ſecundo populi rumore concitauit.




POSTVMIA Gens Patricia, Romæ floruit poſt exactos Reges, in plures diuiſa familias, quarum nobiliſſima fuit, quæ in denariis reperitur ALBINORVM. Illud autem in hoc gente memoratu maxime dignum, quod ad interitum vſque Reip. nullus in ea plebeius fuerit, ſed in Patriciorum ordine conſtanter permanſerit. A. ALBINVS, qui in huius tabellæ denariis S. F. deſcribitur, vt opinor, is eſt, qui frater fuit, & legatus Sp. Poſthumij, Sp. F. qui Conſul anno DCXLIII. cum Q. Minucio Rufo, Numidiam Prouinciam obtinuit. Albinus, inquit Saluſtius in Iugurthino, Aulo Fratre in caſtris Pro-Prætore relicto Romam deceſſit. Et paulo poſt. Ea mora in « ſpem adductus Aulus quem Pro-P. in caſtris relictum ſupra diximus &c. « In altera autem primi denarij parte non eſt dubium, quin Albinus hic, vt maiorum ſuorum monumenta celebraret, pugnam illam expreſſerit, in qua A. POSTVMIVS Dictator anno CCLVII. ad lacum Regillum cum Latinis dimicans, Sex. Tarquinium ſuperbi Regis filium interfecit. Quamuis Liuius a Gabinis occiſum fuiſſe Sextum dicat: alios ſcilicet ſecutus annales, & quidem diuerſos ab iis quos nactus eſt Dionyſius, & is, qui denarios cuſit, Albinus.

Dionyſius lib. 6.

2. Ad eumdem autem A. Poſtumiũ pertinent ea quæ in ſecundi denarij altera parte ſignata ſunt, cui quidem contra Latinos ad lacum Regillum, vt dictum eſt, pugnanti, Caſtor cum Polluce fratre auxilio veniſſe dicitur, & poſt pugnam ad lacum Iuturnæ, ſuum, equorumque ſudorem abluiſſe, in quo eis loco ædes conſtructa fuit. Dionyſius, Valerius Maximus, & Plutarchus in Coriolano, Plinius de Viris Illuſtribus, & Liuius qui in his narrandis aliquantum ab aliis diſſentit. Plinij verba, quod denarium maxime illuſtrant, eo libentius adſcribam. Tarquinius, inquit, eiectus, ad Mamilium « Tuſculanum generum ſuum confugit, qui cum latio concitato Romanos «

Lib. 6. Lib. 1. c. 8. Lib. 1.

» grauiter vrgeret, A. Poſtumius Dictator dictus, apud Regillum lacum
» cum hoſtibus conflixit. Vbi cum victoria nutaret, Magiſter Equitum equis
» frenos detrahi iuſſit, vt irreuocabili impetu ferrentur, vbi & aciem Latinorum
» fuderunt, & caſtra ceperunt. Sed inter eos duo iuuenes candidis equis
» inſigni virtute apparuerunt, quos Dictator quæſitos, vt dignis muneribus
» honoraret, non reperit. Caſtorem & Pollucem ratus, communi titulo
» dedicauit &c. A. autem hunc Poſtumium Regillenſem ex ea victoria dictum fuiſſe, & de Latineis eodem anno primum triumphaſſe, iidem Scriptores tradunt. Quintus huius tabellæ denarius pertinet ad L. POSTVMIVM 5.
Lib. 45. ALBINVM Flaminem Martialem, de quo meminit Liuius, his verbis:
» Flamen Martialis inauguratus eſt eo anno L. Poſtumius Albinus, &c. annus tunc Vrbis fuit DLXXXVI. & Conſules Q. Allius, M. Iunius. Ad hoc autem indicandum Sacerdotium, apicem Flaminij inſigne, in altera denarij parte Poſtumius ſignauit. De A. Poſtumio Albino Flamine Martiale & Conſule, quem Metellus Pont. Max. cum ad bellum gerendum proficiſci
Lib. 29. Lib. 1. c. 1. vellet, in vrbe tenuit; facit mentionem Florus, & Valerius Max. ſed ad priorem Poſtumium argenteus denarius ſpectat, qui Lucij prænomine affectus fuit. C. autem POSTVMIVS qui in ſexto denario deſcriptus, licet 6.
a nullo, quod ſciam, veterum, ſcriptorum nominetur, Dianæ tamen caput, & ei dicatus canis, qui eſt in altera denarij parte, ad ſæculares ludos indicandos, de quo in ſequenti tabella dicemus, ſignatus, facit vt ſuſpicer patrem eum fuiſſe, vel conſanguineum Poſtumij qui priores duos denarios ſequentis tabellæ cuſit.



IN primis denariis cum duo POSTVMIAE Gentis præclara monumenta expreſſa ſint, primum A. is POSTVMIVS quis fuerit, quærendum eſt, deinde denariorum hiſtoria explicanda. A. igitur Poſtumius quod A. F. S. N. deſcriptus ſit, credi poteſt filius fuiſſe A. Poſtumij eius, quem a Sp. Poſtumio fratre, cui Conſuli Numidia obuenerat, legatum Pro-Prætore in prouincia ad bellum contra Iugurtham gerendum, relictum fuiſſe in ſuperiore tabella ex Salluſtio docuimus: qui quidem Aulus Sp. Albini Magni

1. Magni filius fuit, Conſulis anno DCV. Primus denarius ab eodem, vt opinor, percuſſus eſt in memoriam A. Poſtumij Albini, qui vt ſcribit Liuius, X-Vir ſacris faciundis factus eſt anno DLXXXI. P. Aelio Ligure, C. Popilio Lænate Coſſ. quique ludis ſæcularibus quartis Magiſter X-Virorum, aut certe X-Vir interfuit, cum in eo Collegio fuiſſet annos plus minus viginti quinque, ſi Cenſorinum, & quos ipſe ſecutus eſt ſcriptores, qui tamen de anno inter ſe paulullum diſſident, nos quoque ſequi velimus. X-Viros autem & poſtea XV-Viros ludis ſæcularibus præfuiſſe, & Tacitus teſtatur, & inſcriptio hæc Capitolina confirmat. Lib. 41. Lib. 11.

LVDI SAECVLARES TERT.
M. AEMILIO M. F. MAG. X-VIR
M. LIVIO M. F. M. N. SALINATORE.

Ad hos vero ſæculares ludos ſpectant ea quæ in primo denario impreſſa ſunt, Dianæ ſcilicet imago, in cuius honorem ludi celebrabantur, & bos ad aram ſtans in monte erectam, quod id animal his ludis Apollini & Dianæ, cuius templum erat in Auentino monte, ſacrificari conſueuerat. Horatius in Carmine ſæculari,

Quique vos bobus veneratur albis &c.
Quæque Auentinum tenet, Algidumque
Quindecim Diana preces Virorum
Curet &c.

Itaque Magiſter ipſe XV-Virorum, ſiue X-Virorum aræ adſtans in eodem denario ſignatus eſt. De templi autem Auentinenſis Dianæ dedicatione memoria exſtat in lapidis Tiburtini fragmento, quod in eius templi ruinis non multis abhinc annis repertum eſt huiuſmodi.

LAPIS AVSP. S. Q. CAECILIO METELLO
PONT. MAX. SOLEMNI CVM
PRAECATIONE PAL. POP. ROM. CONIECTVS
IN FVNDAMENTA PORTICVS MINER . .
AVENTINENS AB LATER. COLL. . . .
VIC. ARMILVSTR. D. . , .
IN NVNC D. AVGVR. AVSP. . . . .
TEMPL. CONSECRA. . . . . . .
M. CASCELL. AED. CVR. . . . . .

Aræ vero Dianæ, quæ in Auentino monte fuit, mentio eſt in antiquis duabus inſcriptionibus, quarum altera Narbone reperta eſt, altera Salone. Verba ex Narbonenſi deſcripſimus tantum hæc: CETERAE LEGES HVIC ARAE TITVLISQVE EAEDEM SVNTO QVAE SVNT ARAE DIANAE IN AVENTINO &c. Ex altera vero hæc; CETERVM LEGES HVIC ARAE EAEDEM SVNTO QVAE ARAE DIANAE SVNT IN AVENTINO MONTE DICTAE. Narbonenſi autem inſcriptioni Conſules adſcripti ſunt, T. Statilius Taurus, & L. Caſſius Longinus X. Kal. Octobr. in ea vero quæ Salone reperta fuit, L. Ælius
2. Cæſar II. & P. Cœlius Balbinus Vibullius Pius VII. Id. Octobr. Secundus

denarius ab eodem A. POSTVMIO cuſus eſt ad illuſtrandum, vt opinor, L. Poſtumij Albini Pro-Pr. de Vaccaeis & Luſitaneis ex Hiſpania vlteriore
Lib. 41. triumphum, actum anno DLXXV. cuius meminit Liuius. Qui quidem Poſtumius is eſt, quem ſupra ex primo huius tabellæ denario, & Liuio Flaminem Quirinalem inauguratum fuiſſe diximus. *Qui autem tertio nummo* 3.
Lib. 45. *inſcribitur nuſquam apparet. M. enim Poſtumius qui Cenſor cum M. Camillo fuit* A. V. C. CCCI. *vnus hoc prænomine occurrit apud rerum Romanarum ſcriptores. Huius fortaſſe memoriam renouat ille qui cuſit hunc nummum figura hominis togata, quam ſtantem exhibet, nec abhorret ab officio Cenſoris hic habitus. Nam Cenſorum inter alia munus fuit luſtrum condere: luſtrari autem ſolebat Pop. Rom. in campum Martium conuocatus, aqua pura, cuius aſperginem oliuæ ramo*
Æneid. l. 6. *mittebant, qui luſtrabant; quod innuens Virgilius ait,*

Idem ter ſocios pura circumtulit vnda
Spargens rore leui & ramo fœlicis oliuæ
Luſtrauitque viros, dixitque nouiſſima verba.

M. autem POSTVMIVS *ille de quo ſuſpicor apud Val. Max. narratur iuſſiſſe vt æra pœnæ nomine in ærarium deferrent qui ad ſenectutem cœlibes peruenerant. Natura, inquit, vobis vt naſcendi ita gignendi legem ſcribit, parenteſque vos alendo nepotum nutriendorum debito, ſi quis eſt pudor, alligauerunt &c.*

PROCILIA·




PROCILIAM Gentem e Lanuuio municipio oriundam fuiſſe, intelligere poſſumus ex eo, quod L. PROCILIVS, qui huius tabellæ denarios cuſit, Iunonis Soſpitæ ſimulacrum, quæ Lanuuij colebatur, quale deſcribit Cicero in oratione pro L. Murena, & lib. 1. de Legibus, in eis ſignauit: cuius verba, quod primi denarij notam maxime illuſtrent, eo libentius ſubiiciam.
» Tam Hercle, inquit, quam tibi illam noſtram Soſpitam, quam tu nunquam
» ne in ſomnis quidem vides, niſi cum pelle caprina, cum haſta, cum ſcutulo,
Lib. 8. » cum calceolis repandis &c. Lanuuinis ciuitas data, inquit Liuius, ſaraque
» ſua reddita cum eo, vt ædes lucuſque Soſpitæ Iunonis communis Lanuuinis
Lib. 29. » municipibus cum populo Romano eſſet. Et alibi. In æde Iunonis Soſpitæ
» Lanuuij cum horrendo fragore ſtrepitum editum &c. P. Victor in x. regione, hoc eſt in Palatio ædem Matris Deum collocat, cui fuiſſe dicit conterminum delubrum Soſpitæ Iunonis. Eius delubri Kal. Febr. dedicati
Lib. 2. Faſt. meminit Ouidius, apud quem mendoſe pro Lanuuio ſcriptum eſt


Lauinium. Sed idem error irrepſit cum in alios Scriptores, tum in Silij verſum, ex lib. XIII.

Lauinio generate, inquit, quem Soſpita Iuno
Dat nobis Milo &c.

Erat enim ſcribendum Laniuio. In æreo autem Antonini Pij Imp. numiſmate, hoc ipſum Iunonis Soſpitæ ſimulacrum, & Lanuuinus ſerpens expreſſus eſt cum inſcriptione SISPITA: De qua ita ſcribit Feſtus: Siſpitam Iunonem (ſic enim verba Feſti corrigenda ſunt) quam vulgo " Soſpitam appellant, antiqui vſurpant, cum ea vox ex Græco videatur " ſumpta, quod eſt σώζω &c. Opinor autem Iunonem cum caprina pelle, vt " inquit Cicero, ab antiquis fictam fuiſſe, quod ei capræ immolarentur, a Lib. 35. c. 4. quibus Αἰγοφάγος appellata a Spartanis fuit, vt ſcribit Plinius. PROCLIVIVS igitur, qui tabellæ denarios percuſſit, cuius vt arbitror meminit Cicero ad Lib. 2. Quintum Fratrem, vt ſe Lanuuinum eſſe, vel majores ſuos inde ortos indicaret, Iunonis Soſpitæ ſignum cum Laniuino ſerpente, de quo infra dicemus in Gente Roſcia, in eis impreſſit.



PROCVLEIAE *Gentis Equeſtris rara omnino mentio eſt apud hiſtoricos. Hanc a Proculo dictam fuiſſe conſtat quod Plautiorum cognomen fuiſſe docent Faſti Capitolini. Proculus autem ille dicebatur, qui patre procul a patria degente genitus fuerat, vt ait Plutarchus in Coriolano; vel qui ſene patre, hoc eſt, procul a florente ætate conſtituto natus ſit.* PROCVLEIVS *autem ille, cuius nomen in primo nummo ſignatum eſt, quiſnam fuerit, cum prænomine careat, incertum eſt. Poteſt is eſſe quem in Cleopatræ gremio moriens Antonius laudauit & commendauit, quod is eſſet maxime omnium Cæſaris aſſeclarum, cui fidem habere poſſet Cleopatra.* Μάλιστα ὧν τῶ Καίσαρος ἑταίρων ΠΡΟΚΛΗΙΩι πιστεύσασαν. *Is eſt quem morte Antonij audita feſtinanter miſit ad Cleopatram Auguſtus, vt huic ſpem vitæ liberatiſque iniiceret, ne ſibi manus afferret quam in triumphum reſeruari volebat. Et certe dum promiſſis & officioſa collocutione miſeram conſolatur & eludit Gallus: ille per ſcalam quam apponi iuſſerat in feneſtras clanculum irrupit, correptamque, pugionem dimittere coëgit. Hunc* Γάϊον ΠΡΟΚΟΥΛΙΟΝ ἱππέα *vocat Dio.* Lib. 51.




QVINCTIAM Gentem, Alba diruta, Romam a Tullo rege
Lib. 1. tranſlatam fuiſſe, & inter Patricias cooptatam, ſcribit Liuius, cum
„ inquit: Principes Albanorum in Patres, vt ea quoque pars Reip.
„ creſceret, legit Tullios, Seruilios, Quinctios, Geganios, Curiatios, Cloelios.
Eadem de his familiis narrat Dionyſius, apud quem pro Κοιντιλίους, vt eſt in
Lib. 1. vulgatis libris, corrigendum Κοιντίους. Eius verba ſunt: Βουλῆς δὲ μετέχειν καὶ ἀρχὰς λαμβάνειν τοὺς δὲ τοὺς οἴκους, Ἰουλίους, Σερουιλίους Γεγανίους, Μαικιλίους, Κουριατίους,
„ Κοιντίους, Κλουλίους. Hoc eſt, In Senatum vero & ad Magiſtratus gerendos
„ admitti familias has, Iulios, Seruilios, Geganios, Mæcilios, Curiatios,
„ Quinctios, Cloelios &c. Alterius autem QVINCTIAE quæ fuit plebeia,
Lib. 14. facit mentionem Cicero in oratione pro A. Cluentio, & Liuius, ex qua genus duxit L. Quinctius Tr. Pl. homo humili loco natus. T. CRISPINVS SVLPICIANVS qui huius tabellæ nummos ſignauit, is eſt qui Conſul fuit
Gruter. anno DCCXLIIII. cum Nerone Claudio Druſo, cuius Conſulatus mentio eſt in antiqua inſcriptione, quam in Cæſia Gente protulimus. E Sulpicia vero familia in Quinctiam iure adoptionis inſertus T. QVINCTIVS SVLPICIANVS appellatus eſt. Ad eum exiſtimabat amicus meus ſcriptam
Lib. 2. eſſe Horatij Oden XI.

Quid bellicoſus Cantaber, & Scythes
Hirpine Quincti cogitet &c.

Male enim inſcriptam eſſe ad Q. Hirpinum, pro Quinctium Criſpinum: atque in Horatij verſu, pro Hirpine Quincti legendum eſſe Criſpine Quincti. Mihi amici mei coniectura valde placeret, ſi eam vnus ſaltem antiquus liber adiuuaret. Cum autem omnia quæ viderim ſcripta exemplaria


repugnent, nihil temere mutandum cenſeo. De hoc, vt opinor, Criſpino dixit Velleius, Quinctiuſque Criſpinus, ſingularem nequitiam ſupercilio „ Lib. 2.
truci protegens, & Ap. Claudius, & Sempronius Gracchus, ac Scipio, aliiſque „
minoris nominis, vtriuſque ordinis viri, quaſi cuiuſlibet vxore violata, pœnas „
pendere, cum Cæſaris filiam, & Neronis violaſſent coniugem. *Sextus*
6. *Quinctius nuſquam, quod ſciam, legitur præterquam in ſexto denario.*

QVINCTILIA.



QVINCTILIORVM *nomen ab vltima origine Gentis Romanæ repetitum eorum fuit qui Lupercalium ludorum inſtitutione Romulum ſequuti ſunt, cum Fabiorum nomen haberet Remi factio. Patricia gens fuit, nam apud Liuium ſub annum* V. C. CCCL. M. QVINCTILIVS VARVS *Trib. Militum Conſulari poteſtate. Ille autem omnes Patricios creatos primum fuiſſe Tribunos milit. ait, anno* V. C. CCCXX. *item anno* CDXXII. *Dictator Cn. Quinctilio claui figendi cauſa creatus eſt, vt mirer de tam antiqua & tam nobili Gente dixiſſe Velleium* VARVM QVINCTILIVM (*eum cuius hic nummus eſt*) *illuſtri magis quam nobili ortum familia fuiſſe. Cæterum quod ad hunc attinet & nummi typum ac titulum, mirifice rem patefacit Velleij locus. Antiochia Syriæ Antiochenæ caput eſt, quam palmis abundare nemo non nouit: Hanc Orons amnis diuidit, cuius fortaſſis* Plinius cap. 21. l. 5.
effigies infra ſymbolum vrbis cernitur. Syriæ autem Præſes fuit QVINCTILIVS VARVS, *quem eumdem fuiſſe ſuſpicor cum eo qui Ti. Neronis Collega in annum* Lib. 2.
DCCXI. *a Caſſiodoro conijcitur. Ille, inquit Velleius, Vir ingenio mitis, moribus* „
quietus vt corpore, & animo immobilior, otio magis caſtrorum quam bellicæ adſuetus „
militiæ. Pecuniæ vero quam non contemptor, Syria cui præfuerat declarauit, quam „
pauper diuitem ingreſſus diues pauperem reliquit. Is quum exercitui, qui erat in „
Germania, præeſſet, concepit eſſe homines qui nihil præter vocem membraque haberent „
hominum quique gladiis domari poterant, poſſe iure mulceri. Quo propoſito mediam „
ingreſſus Germaniam velut inter viros pacis gaudentes dulcedine, iuriſdictionibus, „
agendoque pro tribunali ordine, trahebat æſtiua. At illi, quod niſi expertus vix „
credebat, in ſumma feritate verſutiſſimi natumque, mendacio genus, ſimulantes „
fictas litium ſeries, & nunc prouocantes alter alterum iniuria, nunc agentes gratias, „
quod eas Romana iuſtitia finiret, feritaſque ſua nouitate incognitæ diſciplinæ „
miteſceret, & ſolita armis diſcerni iure terminarentur. In ſummam ſocordiam „
perduxere Quinctilium; vſque eo vt ſe Prætorem vrbanum in foro ius dicere, non „
n mediis Germaniæ finibus exercitui præeſſe crederet. Tum iuuenis genere nobilis, „

» *manu fortis, ſenſu celer, vltra barbarum promptus ingenio, nomine Arminius, Sigimeri*
» *Principis Gentis eius filius, ardorem animi vultu oculiſque præferens, adſiduus*
» *militiæ noſtræ prioris comes, & iam ciuitatis Romanæ ius, equeſtremque conſequutus*
» *gradum, ſegnitia ducis in occaſionem ſceleris vſus eſt: haud imprudenter ſpeculatus,*
» *neminem celerius opprimi quam qui nihil timent; & frequentiſſimum initium eſſe*
» *calamitatis, ſecuritatem. Primo igitur paucos, mox plures in ſocietatem conſilij recipit;*
» *opprimi poſſe Romanos, & dicit & perſuadet: decretis facta iungit, tempus inſidiarum*
» *conſtituit. Id Varo per virum eius Gentis fidelem, clarique nominis Segeſten,*
» *indicatur, ſed præualebant iam fata conſiliis, omnemque animi eius aciem præſtinxerant.*
» *Quippe ita ſe res habet, vt plerumque qui fortunam mutaturus eſt, conſilia corrumpat,*
» *efficiatque quod miſerrimum eſt, vt quod accidit, etiam merito accidiße videatur, &*
» *caſus in culpam tranſeat &c. Hoc duce tam ſupino maximum poſt Craſſi in Parthis damnum accepit Romana gens. Tres Legiones, totidem alæ, ſex cohortes ad internecionem deletæ ſunt: Vt cum tantam ſtragem reputaret Auguſtus, caput poſtibus illideret, & a* QVINCTILIO VARO *qui in pugna ſeipſum transfixerat, paterni & auiti exempli ſucceßor, magna voce velut impos animi Legiones repeteret.*



R ABIRIA *Gens alia Senatoria fuit alia Equeſtris.* C. RABIRIVM POSTVMVM *repetundarum poſtulatum defendens Cicero ait filium eße C. Curij, alij legunt Curtij, Principis ordinis Equeſtris fortißimi & maximi publicani. In quo miratus ſum, obiter dicam, quomodo Curij vel Curtij* RABIRIVS *filius eße poßit. Nec enim conuenit aliud patris, aliud filij nomen eße, crederemque hunc adoptiuum patrem eße, niſi ſubiungeret Cicero. Hoc ille natus quamvis patrem ſuum nunquam viderat &c. C. etiam Rabirium perduellionis reum deffendit Cicero quemquidem alium eße a ſuperiori indicat, dum hunc non filium C. Curtij ſed propinquum eße ait. Hunc Labienus accuſabat quod L. Appuleium Saturninum interfecißet, cuius caput, vt ait Aurelius Victor,* RABIRIVS *quidam Senator per conuiuia in ludibrium circumtulit. Sitne aliquis ex his qui in hoc nummo ſignatus eſt, aut ſit ne omnino Romanus, incertum eſt. Nam vix credibile eſt ita patriæ gloriam contempſiſſe Romanum & ſeipſum exuiſſe vt ſe Chium vocitauerit: quam tamen dubitationem minuit, quod ait Cicero, Ptolemæi Auletis, cui ingentem pecuniam crediderat diœcetem ſeu diſpenſatorem, & inuitum factum fuiſſe C. Rabirium Poſtumium, itaque pallium ſumpſiſſe Alexandriæ, ſine quo, inquit, poſtea*

In Orat. pro Rabir.

Pro Rabirio perduellionis reo. In viris Illuſtr.

In Orat. pro Rabir. Poſt.


nec nomen illud poterat nec munus tueri. Quod etiam a P. Rutilio Conſulari viro factum fuiſſe ait, vt ſoccos & pallium ſumeret qui Græcorum veſtitus erat. Sed quomodo Chios inſula ad Ptolomæum Ægypti Regem pertineat ignoro. Præterea poteſt illa vox ΧΙΟΣ *ita intelligi, vt inſulæ nomen potius quam hominis cognomen ſit. Certe diota ſeu amphora vtrinque anſata, ad Chium inſulam pertinet, ideo quia vini generoſiſſimi ferax eſt,*

Quo Chium precio cadum
Mercemur &c.

ait Horatius. Hoc autem fictilibus recondi ſolitum eſſe teſtis eſt hæc eiuſdem inuitatio, Ode 9. l. 1.


——————— Atque benignius
Deprome quadrimum Sabina
O Taliarche merum diota.

Idem indicat vua ante ſphingem pendens. Hanc mirum eſt in nummis Chiorum perpetuo imprimi, cum ea potius Thebanorum ſit, in quorum agro nata eſſe dicitur.



RENIAE Gentis nulla apud Scriptores, quos ipſe legerim, mentio reperitur. Neque vero RENIVS ipſe, qui denarium cuſit, ab aliquo veterum hiſtoricorum nominatur vnde, quis fuerit, quove reſpiciens, hircos currum trahentes in denario ſignauerit, ſcire poſſimus. Alij non hircos, ſed Renos eſſe, qui currum ducant, opinantur: affirmantque ex veteris Scriptoris autoritate, animal id eſſe hirco perquam ſimile, a quo fortaſſe Renius nomen familiæ deductum fuiſſe, indicare voluerit: multa enim nomina, vt inquit Varro, ab vtroque pecore habemus, vt Porcios, Ouilios, Caprilios, Equitios, a porcis, ouibus, capris, equis. In antiqua quadam inſcriptione nominatur M. RHENIVS TI. CAESARIS SERVVS, cuius exemplum eſt huiuſmodi. Lib. 2. de re Ruſtic. cap. 1.

M. RHENIVS LIBER XYSTVS TI. CAESARIS SER.
GERMANIC. APOLLONIO VICARIO SVO AMICO XX.
C. LVRIVS IVCVNDVS ESSEDARIVS A. XXV.
FILIA MATRI
HVIC MONIMENTO VSTRINVM APPLICARI NON LICET.




ROSCIAM Gentem plebeiam fuiſſe, vel ex eo conſtat, quod L. Roſcius Otho, qui Tr. Pl. legem theatralem tulit, ex ea ortus fuit. E Lanuuio vero municipio veniſſe, colligere poſſumus ex iis, quæ in huius tabellæ denario ad indicandam Gentis originem a L. ROSCIO impreſſa ſunt. Iunonis ſcilicet Soſpitæ ſimulacrum, de quo diximus in Gente Procilia, & Lanuuinus draco, de quo exſtat Propertij Elegia inſcripta de Cynthia & dracone. Lib. 4.


Lanuui annoſi vetus eſt tutela draconis,
  Hic vbi tam raræ non perit hora moræ.
Qua ſacer abripitur cæco deſcenſus hiatu,
  Qua penetrat virgo, tale iter omne caue.
Ieiuni ſerpentis honos cum pabula poſcit
  Annua, & ex ima ſibila torquet humo.
Talia demiſſæ pallent ad ſacra puellæ,
  Cum temere anguino creditur ore manus.
Ille ſibi admotas a virgine corripit eſcas,
  Virginis in palmis ipſa caniſtra tremunt.

His autem Propertij verſibus altera denarij pars mirifice illuſtratur, L. ROSCII FABATI, qui vt ex libris commentariorum intelligitur, Cæſaris in Gallia Legatus fuit, mentio eſt in Epiſtolis Aſinij Pollionis ad Ciceronem. Ep. 33. lib. 10. Quod autem fuerit Lanuuinus, ſatis indicant ea quæ apud Ciceronem de Diuinatione, de hoc ipſo Roſcio leguntur. Lib. 1. „ Quid, inquit, amores ac deliciæ „ tuæ Roſcius? num aut ipſe, aut pro eo Lanuuium totum mentiebatur? „ qui cum eſſet in cunabulis, educareturque in Selonio (qui eſt campus agri „ Lanuuini) noctis lumine appoſito, experrecta nutrix, animaduertit puerum „ dormientem circumplicatum ſerpentis amplexu, quo aſpectu exterrita „ clamorem ſuſtulit. Pater autem Roſcij ad Aruſpices retulit, qui reſponderunt, „ nihil illo puero clarius, nihil nobilius fore &c.

RVBELLIA



RVBELLIA *Gens qualis nam fuerit Patricia ne an plebeia non conſtat. Apud Corn. Tacitum legitur quidam* RVBELLIVS PLAVTVS, *cui, inquit, nobilitas per matrem ex Iulia familia. Dubitat Lipſius an* BLANDVS *an* PLAVTVS *ſit legendum: vtrumque enim ait in ſtemmate Auguſtæ domus. In hoc certe denario* BLANDVS *legitur, quod nomen ab librariis deprauatum fuiſſe facile crediderim. Cæterum ille-ne* RVBELLIVS *hoc numiſmate ſignetur, cuius mores & vitam & necem celebrat Cornelius, an eius pater, ambiguum eſt. Poſt quinquennale ludicrum quod Romæ primum anno V. C.* DCCCXIII. *inſtitutum eſt Cometes effulſit: Vulgi quædam opinio eſt quaſi mutationem regis oſtendat. Igitur quaſi depulſo iam Nerone omnium ore* RVBELLIVS PLAVTVS *celebratur. Ipſe placita maiorum colebat habitu ſeuero caſta & ſecreta domo quantoque metu occultior tanto plus famæ adeptus: inde Neroni metus Plauti. Hunc in Aſiam amotum Tigellinus apud Principem grauiter inſimulat. Plautum magnis opibus ne fingere quidem cupidinem otij, ſed veterum Romanorum imitamenta præferre aſſumpta etiam Stoïcorum arrogantia ſectaque, quæ turbidos & negotiorum appetentes faciat. Itaque neci deſtinatur, rumor ſpargitur Corbulonem magnis tum exercitibus præſidentem ab eo petitum: ſexaginta percuſſores ſummittuntur. Libertus Plauti cum mandatis Antiſtij Veteris ſoceri ad Plautum propere miſſus (neque enim in tanta amicorum copia, tanto ſpatio itineris ac maris res diu tegi potuit) percuſſores præcurrit. Omnium admonebat eum ſocer, hortabatur effugeret ſegnem mortem, reperturum bonos, conſociaturum audaces, vnos ſexaginta milites propellendos interim dum alia manus a Nerone rurſus mittitur, aut ſalutem quæri aut nihil grauius audenti quam ignauo patiendum eſſe. Plautum ea non mouere ſeu tædio ambiguæ ſpei ſeu amore coniugis & liberorum quibus placabiliorem fore Principem arbitrabatur, ſi nihil amplius timeret. In hac ceſſatione repertus eſt per medium diei nudus exercitando corpori, talem eum Centurio trucidauit. Nec ideo aut ſocer eius L. Antiſtius Vetus aut L. Veteris ſocrus Sextia, aut Pollutia Veteris filia Plauti vxor necem effugere. Sed omnes quaſi viuendo Plautum occiſum exprobrarent, vt crudelitatem Principis effugerent in eodem cubiculo inuicem reſpicientes & certatim precantes libenti animæ celerem exitum inciſis venis occubuere. Hæc de illo quem in hoc nummo ſcriptum* Lib. 16. *fuiſſe ſuſpicor, paulo latius quod ad inſtitutum noſtrum ſpectat; ſed quia perilluſtria mihi viſa ſunt, leuius etiam fortaſſe quam res poſtularet a me ſunt deſignata.*



RVBRIAE Gentis plebeiæ facit mentionem Cicero in libro de claris oratoribus, Appianus, & Plutarchus in Ti. & C. Gracchis. In quo quidem libro, nominat RVBRIVM Tr. plebis, Gracchi in Tribunatu Colleg. qui rogationem tulit de Colonia Carthaginem a Scipione euerſam, deducenda. Cæſar autem meminit L. RVBRII, qui Pompeianarum partium cum eſſet Corfinij captus cum Domitio fuit: quem nos eum eſſe exiſtimamus qui huius tabellæ denarios cuſit. Cæſaris verba, quia RVBRIVS quiſnam » fuerit aperte indicare videntur, eo libentius ſubiiciam. Cæſar vbi illuxit, » omnes Senatores, Senatorumque liberos, Tribunos militum, Equiteſque » Romanos ad ſe produci iubet. Erant Senatorij ordinis L. Domitius, & P. » Lentulus Spinther, L. Vibullius Rufus, Sex. Quinctilius Varus Quæſtor, » L. Rubrius, præterea filius Domitij, aliique complures adoleſcentes, & » magnus numerus Equitum Romanorum, & Decurionum quos ex municipiis » Domitius euocauerat. Hos omnes productos a contumeliis militum, » conuitiiſque prohibet: pauca apud eos loquitur, quod ſibi aperte eorum » gratia relata non ſit, pro ſuis in eos maximis beneficiis: dimittit omnes » incolumes &c. Is eſt, vt opinor, L. RVBRIVS, cuius hæreditatem M. Antonium inuaſiſſe ſcribit Cicero. Idemque Macedoniæ Prætor a Plutarcho deſcribitur a Catone maiore: atque in Cæſarem cum aliis coniuraſſe dicitur, vt tradit Appianus quamvis eius, qui Cæſarem interfecit, cognomen fuerit

Lib. I. bel. ciuil.

Lib. de bel. ciuil.

Lib. 2. Philipp.

Lib. 2. de bel. ciuil.

Rex; huius autem, vt ex nummi titulo cognoſcimus, DOSSENVS, ſiue vt eſt apud Horatium, Dorſenus: Doſſum enim antiqui decebant, pro dorſum. In Ep. ad Aug. lib. 2.
Videtur autem Rubrius hic, quicunque fuerit, familiæ ſuæ monumentum aliquod celebrare voluiſſe: cum anguem aræ inuolutum, & attollentem
1. caput, in primo argenteo nummo & octauo æreo ſignauit. Aut enim ſalutis
8. ædem ipſe reſtituit, aut maiorum ſuorum aliquis, vnus fuit ex iis Legatis, qui ad accerſendum ex Epidauro Æſculapium miſſi ſunt. Serpentem autem Liuius l. 2. dicatum eſſe non modo Æſculapio, ſed eius etiam filiæ Hygeiæ, quam Val. Max. lib. 1. cap. 8. Romani Salutem vocarunt, neminem arbitror eſſe, qui neſciat. In primi denarij altera parte, præter ipſam Salutis aram, Victoriæ quoque ſignum adiectum eſt, quo indicari opinor Rubriæ Gentis inſignem aliquam de hoſtibus populi
2. Romani victoriam: Thenſa vero, quæ in ſecundi & tertij denarij altera parte
3. impreſſa eſt, pertinet (quantum ego coniicere poſſum) ad ipſius Rubrij ſacerdotium aliquod vel maiorum ſuorum alicuius. Erant enim thenſæ Pontificum, vt ex his Ciceronis verbis in oratione de Aruſpicum reſponſis intelligere poſſumus. Te appello Lentule, cuius ſacerdotij ſunt thenſæ, curricula, præcentio, ludi, libationes &c. Erant & Ædilium, vt ex eiuſdem libro VII. in Verrem colligi poteſt. Omnes, inquit, Dij, qui vehiculis thenſarum ſolemnes cœtus ludorum initis &c. His accedit Feſti quoque autoritas, qui thenſam, inquit, vocari Sinnius Capito ait, vehiculum quo exuuiæ Deorum ludicris Circenſibus in circum ad puluinar vehuntur. Fuit & ex ebore vt apud Titinium in Barbato, & ex argento &c. Aut igitur ædilitatem a ſe geſtam, vel maiorum ſuorum aliquo, ſignificare Rubrius voluit, aut Pontificatum, ſiue aliud Sacerdotium, quod thenſis vteretur: vel certe (quod magis placet) ad thenſam Cæſari Dictatori decretam reſpexit, cuius Cap. 76. meminit Suetonius, his verbis: Non enim modo honores nimios recepit &c. Sed ampliora etiam humano faſtigio decerni ſibi paſſus eſt: ſedem auream in curia & pro tribunali, thenſam & ferculum Circenſi pompa, templa, aras, ſimulacra iuxta Deos, puluinar, Flaminem, lupercos, appellationem menſis e ſuo nomine &c. Veriſimile autem eſt RVBRIVM. Corfinio capto incolumem a Cæſare dimiſſum, ac illi poſtea amicum factum, thenſæ honorem huiuſmodi a Senatu ei decretum, in cuſis a ſe denariis celebraſſe, vel vt nouam a Cæſare gratiam iniret, vel vt veteris accepti beneficij referret. Thenſas huiuſmodi a diuinitate dictas Aſconius putat, hoc eſt ἀπὸ τοῦ θείου In 3. Verrina. eius verba ſunt hæc, Thenſæ ſunt ſacra vehicula: pompa ordinum & hoſtiarum. Thenſas alij a diuinitate dici putant: alij quod ante ipſas lora tenduntur, quæ gaudent manu tenere & tangere, qui eas deducunt. Seruius in explicatione Virgiliani verſus, Hic currus fuit &c. Thenſam ſignificari ſcribit, qua Deorum ſimulacra portantur. De thenſis ſic ait Liuius. Quæ Lib. 5. Auguſtiſſima veſtis eſt thenſas ducentibus triumphantibuſ-ve: ea veſtiti medio ædium eburneis ſellis ſedere. Ex quibus Liuij verbis, ita corrigendum arbitror Suetonij locum. Quum forte ludis Circenſibus duceret pompam In Augusto.
6. &c. In ſexto denario nihil eſt aliud, præter Trium-Virorum Monetalium nomina, notatu dignum, quæ ſingulis litteris ſingula ita indicantur, vt L. R. poſſis etiam L. Roſcium interpretari.



RVSTIAE Gentis mentio eſt in antiqua hac inſcriptione, cuius exemplum Tiburi deſcripſimus,

C. RVSTIVS C. F. FLAVOS ITER.
L. OCTAVIVS L. F. VITVLVS
IIII-VIR D. S. S.
VIAM INTEGENDAM
CVRAVER.

& in tabula Sutrina, in qua PONTIFICES A COLONIA CONIVNC. IVLIA SVTRIN. IN ORD. RELAT. inter eos enim Pontifices deſcriptus eſt L. RVSTIVS L. F. Plutarchus autem in Craſſo & Appianus in Parthico mentionem faciunt Ruſtij, qui ſub Craſſo contra Parthos militauit, in cuius impedimentis Ariſtidis Mileſiaca laſciuos libros repertos fuiſſe ſcribunt. Τὴν δὲ γερουσίαν τῶν Σελευκέων, inquit Plutarchus, & qui ex eo verbum deſcripſit Appianus, ἀθροίσας Συρήνας ἐσήνεγκεν ἀκόλαστα βιβλία τῶν Ἀριστείδου Μιλησιακῶν. οὔτι ταῦτά γε καταψευσάμενος. εὑρέθη γὰρ ἐν τοῖς Ρουστίου σκευοφόροις. καὶ παρέσχε τῷ Σουρήνᾳ καθυβρίσαι πολλὰ, καὶ κατασκῶψαι Ῥωμαίους, εἰ μὴ δὲ πολεμοῦντας
» ἀπέχεσθαι πραγμάτων καὶ γραμμάτων δύνανται τοιούτων. Hoc eſt, Surena Senatu
» coacto Seleucenſium, intulit laſciuos libros, Ariſtidis Mileſiaca inſcriptos.
» Neque fuit hoc commentitium. Fuerant enim in Ruſtij impedimentis reperti:
» præbueruntque Surenæ argumentum multis modis ſuggillandi, & eludendi
» Romanos, quod nec in bello temperare his rebus & ſcriptis valerent &c.

Hæc autem Ariſtidis Mileſiaca, ex Græco tranſtulit L. Cornelius Siſenna, cuius librum XIII. ex Mileſiis citat Flauius Soſipater Chariſius. Ruſtij denarius nihil habet quod notatu magnopere dignum ſit, præter expreſſum in altera eius parte arietem, quo ſcilicet pecore antiquiſſimum æs ſignatum fuit, & a quo pecunia dicta eſt, vt ſcribit M. Varro, & Plutarchus in Poblicola. Secundus denarius a Q. RVSTIO cuſus eſt, qui ſub Auguſto Trium-Vir cudendæ monetæ fuit. In eo autem duo Fortunæ ſimulacra Reducis ſcilicet & Antiatis, ſiue Antiatinæ in Auguſti gratiam impreſſa ſunt. De Fortuna Reduce, quam Dio Ἐπαγωγὸν appellat, ſcripſimus ſupra in Gente Meſcinia. De Antiate meminit Horatius,


Lib. 2. de re ruſtica cap. 1. Plin. lib. 18. cap. 3.

Ode 25. lib. 1.


O Diua gratum, quæ regis Antium
Præſens vel imo tollere de gradu

Mortale corpus, vel ſuperbos
Vertere funeribus triumphos.

Acron interpres in hos verſus ita ſcribit. Apud Antium Fortunæ templum eſt famoſiſſimum, multorum etiam principum donis ornatum, vnde ciuitas Fortunæ ipſius tutela dicta eſt. Monuerunt & ſortes Antiatinæ, vt a Caſſio caueret, inquit Suetonius. De Antiate Fortuna videndus etiam Macrobius. In Caio. Lib. I. Saturn.



RVTILIA Gens duplex fuit, Patricia ſcilicet & Plebeia. Eius autem cum plures a ſcriptoribus familiæ nominentur. FLACCI tamen huius qui tabellæ denarium ſignauit, nullam in veteribus vel ſcriptorum vel lapidum monumentis inuenire mentionem potui. RVTILII CRASSI, meminit Liuius. CALVI lib. XLV. RVFI, Cicero in Orat. pro Plancio; LVPI, Cæſar de bello Ciuili & Quinctilianus lib. I. cap. II. CENSORINI, Valerius Max. lib. IV. cap. I. FLACCI, vt dictum eſt, nullus vt ſciam facit mentionem. Lib. 4. Lib. I.



SALVIAM Gentem Ferentino oppido, atque ex principibus Etruriæ, vt inquit Suetonius, oriundam, plebeiam principio fuiſſe, vel ex eo intelligere poſſumus, quod, vt tradit Appianus, ex ea natus eſt Saluius is, qui Tr. pl. anno DCCX. Ciceronis ſententiæ de M. Antonio hoſte iudicando interceſſit. Poſtea inter Patricios a Claudio Imp. cooptatam fuiſſe ſcribit Suetonius in Othone. Q. autem SALVIVM, qui primum In Othone. Lib. 3. bel. ciuil. Cicero ep. 10. lib. 9. ad Varronem. Cap. I.

huius tabellæ denarium cuſit, opinor eum eſſe qui a Velleio, Suetonio & Dione Saluidienus Rufus appellatur: propterea quod Conſul deſignatus & Imperator in denario deſcribitur, qui quidem honos ab iiſdem ſcriptoribus vterque ei tributus eſt. Sed cur Saluius pro Saluidienus in denariis nominatus ſit, vt libere dicam, fateor me neſcire: nec enim placent ea, quæ de eius adoptione a quibuſdam, licet antiquitatis bene peritis, allata ſunt: quia a Saluia Gente Saluidiam, & a Saluidia Saluidienam: Gentis item nomen, non autem adoptionis cognomen, quemadmodum a Naſidia, Cluuia, Titia, Clodia, Naſidienam, Cluuienam, Titienam, Clodienam ductum eſſe cum ex lapidum, tum ex ſcriptorum monumentis conſtat. Sed ne de pluribus referam, inquit Suetonius, Saluidieno Orfito obiectum eſt, quod tabernas tres de domo ſua circa Forum Ciuitatibus ad ſtationem locaſſet &c. Et in Domitiano: Complures Senatores, in his aliquot Conſulares interemit; ex quibus Ciuicam Cerealem in ipſo Aſiæ Pro-Conſulatu, Saluidienum Orfitum, Acilium Glabrionem, exilio quaſi molitores rerum nouarum &c. M. Saluidienus, inquit Vopiſcus in Saturnino, hanc ipſius orationem vere fuiſſe dicit, & fuit reuera non parum litteratus &c. In libro veterum inſcriptionum Romæ impreſſo, C. quidam SALVIDIENVS deſcriptus eſt, Ɔ. L. ANTVLVS. Sed Saluidienum, Gentis nomen fuiſſe, ſexcentis confirmare exemplis poſſumus. De hoc autem Saluio, ſiue vt a ſcriptoribus nominatur, Saluidieno ita ſcribit Velleius. Per quæ tempora Rufi Saluidieni ſceleſta conſilia patefacta ſunt: qui natus obſcuriſſimis initiis, parum habebat ſummam accepiſſe, & proximus a Cn. Pompeio, ipſoque Cæſare ex Equeſtri ordine Conſul eſſe, ni ſimul aſcendiſſet, quo infra ſe Cæſarem videret, & Remp. &c. Neque enim temere, inquit Suetonius in Auguſto, ex omni numero in amicitia eius afflicti reperirentur, præter Saluidienum Rufum, quem ad Conſulatum vſque, & Corn. Gallum, quem ad Præfecturam Ægypti, ex infima vtrumque fortuna euexerat. Τόν τε Ρούφον τὸν Σαλουιδιῆνον, inquit Dio, ὡς καὶ ἐπιβουλεύσαντα οἱ ἀπέκτεινε. οὗτος δ᾽ ἦν μὲν ἐξ ἀφανεστάτων, καὶ αὐτῷ ἡ κεφαλὴ ποιμαίνοντι φλόγα ἀνέδωκεν, ἐς τοσοῦτον δὲ ὑπὸ τοῦ Καίσαρος προήχθη, ὥστε αὐτόν τε ὕπατον, μηδὲ βουλεύοντα ἀποδειχθῆναι, καὶ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ προαποθανόντα διὰ τῆς Τιβέριδος γεφύρας αὐτῷ τούτῳ ποιηθείσης ἐξενεχθῆναι. Hoc eſt, Saluidienum Cæſar, quod ab eo inſidiis peteretur, necauit. Ei Saluidieno, obſcuriſſimo genere nato, paſcenti gregem flamma e capite emicuit. Eumque Cæſar ad id dignitatis erexerat, vt Conſul cum Senator nunquam fuiſſet, deſignaretur, vtque frater eius, qui prior vita abierat, ponte in Tiberi facto ſuper eum efferretur &c. Imperatorem appellatum Saluium hunc, ſiue Saluidienum ſuſpicari poſſumus fuiſſe ex Sentinatium oppido a ſe capto, incenſoque, cuius obſidioni a Cæſare præpoſitus fuerat. Cum autem ſcribat Liuius Saluidienum Cæſaris in Sicilia Legatum fuiſſe, credi etiam poteſt, Imperatorem in eo honore a militibus appellatum, aut certe ſalutatum fuiſſe. Secundus tabellæ æreus nummus & tertius pertinent, vt opinor, ad 2. M. Saluium Othonem, Othonis Imp. auum, de quo ita ſcribit Suetonius. 3. Auus M. Saluius Otho, patre Equite Romano, matre humili incertum an

In Nerone cap 37. Cap. 10.

Lib. 2.


Cap. 66.

Lib. 48.

Dio lib. 1. In Epiſt. lib. 123.


Cap. 1.

ingenua, per gratiam Liuiæ Auguſtæ, in cuius domo creuerat, Senator factus eſt, nec Præturæ gradum exceſſit &c. Tacitus de Othonis origine eadem ſcribit. Origo, inquit, illi municipio Ferentino, pater Conſularis, "
auus Prætorius, maternum genus impar &c. M. Othonis huius filius fuit L. "
Saluius Otho Conſul anno DCCLXXXV. ex Kal. Iul. ſuffectus, quem ſcribit Suetonius a Claudio Imp. inter Patricios cooptatum fuiſſe & M. Saluium Othonem, qui poſtea Romæ imperauit, & L. Saluium Othonem Titianum appellatum genuiſſe, cuius meminit Tacitus, quique in antiquis inſcriptionibus inter Fratres Aruales ſub Nerone Imp. nominatus eſt.




SANQVINIAE Gentis vnus, quod ſciam, Tacitus facit mentionem, qui M. Sanquinij Maximi meminit, qui Conſul ex Kal. Martiis ſuffectus fuit anno DCCLXXXI. quem nos exiſtimamus filium fuiſſe M. SANQVINII huius, qui in aereo numiſmate Q. F. deſcriptus eſt, quique Trium-Vir cudendæ monetæ cum L. Meſcinio Rufo fuit anno DCCXXXVI. quo Auguſtus Cæſar ludos Sæculares fecit, vt ex inſcriptione alterius partis
1. primi denarij intelligi perſpicue poteſt. A cuius quidem Trium-Viratu cum ad alterius Conſulatum anni interſint XLV. male in Faſtis M. Sanquinius Q. F. notatus eſt, cum potius M. F. Q. N. deſcribendus ſit. Salij ſimulacrum cum apice, clypeo, & caduceo, cuiuſmodi in Domitiani quoque Imperatoris argenteo denario impreſſum eſt, in quo ludi Sæculares ſexti ab eo facti
2. notati ſunt, mihi quidem obſcurum quo pertineat. Secundus tabellæ denarius ab eodem cuſus Sanquinio, habet in altera parte imaginem quamdam, cuius vertici ſtella adiecta eſt, quam nos Cæſaris Dictatoris Cap. 88.
ſtellam eſſe exiſtimamus, de qua his verbis meminit Suetonius. Siquidem "
ludis quos primo conſecratos ei heres Auguſtus edebat, ſtella crinita per "
ſeptem dies continuos fulſit, exoriens circa vndecimam horam. Creditumque "
eſt animam eſſe Cæſaris in cœlum recepti: & hac de cauſa ſimulacro eius in vertice additur ſtella. De hoc ſic loquitur Dio: Ἐπεὶ μέντοι ἄστρον τι παρὰ Lib. 45.
πάσας τὰς ἡμέρας ἐκείνας, ἐκ τῆς ἄρκτου πρὸς ἑσπέραν ἀνεφάνη, καὶ αὐτὸ κομήτην τέ τινων καλούντων, καὶ προσημαίνειν οἷά που εἴωθε λεγόντων, οἱ πολλοὶ τοῦτο μὲν

ἐπίστευον, τῷ δὲ δὴ Καίσαρι αὐτὸ, ὡς καὶ ἀπαθανατισμένῳ, καὶ ἐς τὸν τῶν ἄστρων ἀριθμὸν
» συγκατειλεγμένῳ ἀνετίθεσαν &c. Hoc eſt, Cæterum ſtella quædam quotidie
» inter Septentrionem & occaſum apparuit, eamque Cometen vocantes
» nonnulli, ea portendere dicebant, quæ alias huiuſmodi ſignum ſequi
» conſueuiſſent: creditum quidem hoc a plebe eſt, ſed tamen Cæſari eam,
» immortalitatem nimirum iam adepto, inque ſiderum numerum allecto,
» ſacram eſſe dixerunt &c. Imago tamen, quæ in denario impreſſa eſt, iunioris cuiuſdam viri, non autem Cæſaris Dictatoris effigiem repræſentare videtur.




SATRIENAE Gentis in vno tantum hoc denario, nec alibi quod ſciam in veteribus monumentis mentio exſtat. Quemadmodum vero ab Allio Allienus, a Naſidio Naſidienus, & a Saluidio Saluidienus, ita a Satrio Satrienus nomen deductum eſt. Lupa in altera denarij parte impreſſa, in tanta Satrienæ Gentis ignoratione, quo pertineat, mihi quidem obſcurum eſt.



Ep. 3. lib. 1. Ep. 1. lib. 7. ad Attic.

SAVFEIAE Gentis & L. Saufeij huius, qui priores tabellæ nummos 1.
percuſſit, mentio eſt apud Ciceronem. Item C. Saufeij in Orat. pro 2.
Rabirio. De M. autem Saufeio, quem accuſatum deffendit Cicero anno DCC. Pædianus meminit in Miloniana. Poſt Milonem, inquit, eadem lege
» Pompeia primus eſt accuſatus M. Saufeius. M. F. qui Dux fuerat in expugnanda taberna

taberna Bouillis, & Clodio occidendo, accuſauerunt eum L. Caſſius, L. "
Fulcinius C. F. C. Valerius: defenderunt M. Cicero, M. Cælius: obtinue- "
runtque vt vna ſententia abſolueretur. Condemnauerunt Senatores X. "
abſoluerunt VIII. condemnauerunt Equites Romani IX. abſoluerunt VIII. "
Sed ex Tribunis Ærariis X. abſoluerunt, ſex condemnauerunt: manifeſtumque "
odium Clodij ſaluti Saufeio fuit, cum eius vel peior cauſa fuiſſet, qui aperte "
Dux fuerat expugnandæ tabernæ repertus &c. Horum autem alter, L. Saufeij "
huius, qui in prioribus tabellæ nummis deſcriptus eſt, pater fuiſſe credi
3. poteſt. C. SAVFEIVS *qui in tertio nummo ſignatus eſt, is eſt fortaſſe quem Quæſtorem Marius Coſſ.* VI. *ex mandato Senatus ob C. Memmij conſulatus petitoris cædem, armis proſequutus eſt, & in Capitolium compulſum inciſis fiſtulis aquarum cum Glaucia Prætore, & Apul. Saturnino factionis principe, deditionem facere coëgit, ſub conditione, vt ſalui dimitterentur. Hos tamen omnes Marius contra fidem necauit, vt eſt apud Appianum. Spectat hoc ad annum* V. C. DCLIII. *Ap. Sauſeium memorat Plinius, quem a balneo reuerſum multum bibiſſe atque acum ſorbuiſſe ſcribit, vnde ſubito mortuus eſt. Alter eſt D. Sauſeius Scriba qui domi* Cap. 53. l. 7. hiſt. nat. *prandens interiit, vt idem narrat.*



SCRIBONIAM Gentem plebeiam fuiſſe, inter veteres ſcriptores ſatis conſtat. Eius duæ tantum familiæ CVRIONVM, vt arbitror, &
1. LIBONVM in denariis reperiuntur: in quorum primo & ſecundo, vel C.
2. Scribonius Curio pater notatus eſt, qui Conſul fuit cum Cn. Octauio anno DCLXXVII. vel C. Curio filius, qui cum Tribunus plebis eſſet anno DCCIII. cum M. Antonio & Q. Caſſio ad Cæſarem profugit. Ad eum Cicero ſcripſit Epiſtolam VII. lib. II. in qua illi de Tribunatu plebis gratulatur, Cæſar lib. I. quem IV. Idus Decembr. inierat. Sed de Curione, eiuſque interitu videndus de bel. ciu.
3. Dio. Tertius tabellę denarius & quartus pertinent ad L. Scribonium Libonem, Lib. 43.
4. qui Conſul cum M. Antonio II. fuit, anno DCCXIX. quemque Sex. Pompeij ſocerum fuiſſe ſcribit Dio his verbis: Καῖσαρ δὲ ἐν Σέξτῳ ὡς καὶ πιστότερον Lib. 48.
ἢ καὶ ἰσχυρότερον τοῦ Ἀντωνίου περιθυμήσας, τὴν τε μητέρα, αὐτοῦ Μουκίαν ἔπεμψε, καὶ τὴν τοῦ πενθεροῦ αὐτοῦ ΛΟΥΚΙΟΥ ΣΚΡΙΒΩΝΙΟΥ ΛΙΒΩΝΟΣ ἀδελφὴν

ἔγημεν, εἴπως ἔκ τε τῆς εὐεργεσίας, καὶ ἐκ τῆς συγγενείας φίλον αὐτὸν ποιήσαιτο.
» Hoc eſt, Cæſar Sextum & fidei & virium, pluſquam Antonium habentem,
» vt ſibi conciliaret, matrem ei Muciam miſit: ſororemque L. Scribonij
» (ſocer is Sexti erat) ipſe duxit, ſperans & beneficio, & affinitate amicum
» ſibi Pompeium redditurum. Vel hic igitur Libo in poſtremis duobus tabellæ
In lib. de Oratore. denariis deſcriptus eſt, vel eius pater L. Scribonius Tribunus pl. cuius Cicero facit mentionem. Magis tamen vt ad Libonem filium referantur, placet: propterea quod in altera tertij denarij parte, Paullus Lepidus notatus ſit, qui Liboni Conſuli ex Kal. Iul. ſuffectus eſt. Dicendum nunc de Puteali, quod in duobus his denariis impreſſum eſt. Puteal in Foro Romano fuiſſe prope
Lib. 1. ficum Ruminalem ante Curiam ſcribit Dionyſius: quod autem prope habitaret Libo, vel quod eius impenſa factum, aut reſtitutum eſſet PVTEAL LIBONIS appellabatur.

Horat. ep. 3. lib. 1. ——————Forum, Putealque Libonis
Mandabo ſiccis &c.

Prope Puteal eius Prætoris tribunal fuiſſe, qui de fœnore ius diceret, ex
Lib. 2. de rem. Amor. Ouidij verſu colligi poteſt,


Qui Puteal, Ianumque timet, celereſque Kalendas.

(Ad Ianum enim ſummum, medium, & imum habitaſſe fœneratores conſtat)

Horat. Sat. 6. lib. 2. ——————Ante ſecundam
Roſcius orabat ſibi adeſſes ad Puteal cras.

Perſius Sat. 4. Si Puteal multo cautus vibice flagellas.

Pomponius autem Porphyrio in Horatiani verſus explicatione, Puteal tribunal quoddam fuiſſe ſcribit, cum potius tribunal prope Puteal dicere debuiſſet: eſt enim Puteal tectum illud, quo puteus operitur, prope quod vt dictum eſt, Prætoris de fœnore ius dicentis tribunal fuit. *Simulacrum*
Lib. 34. c. 8. *Boni Euentus Plinius ait ab Euphranore fictum, dextra pateram ſiniſtra ſpicam & papauer tenens.*




SEMPRONIA Gens Patricia primum fuit, poſtea ad plebem traducta,
plebeia facta eſt. Eius in nummis quos habemus, familiæ tres reperiuntur.
ATRATINORVM, qui Patricij fuerunt: GRACCHORVM, qui plebeij
& PITIONVM, quos plebeios item fuiſſe opinor. L. SEMPRONIVS PITIO
1. qui in primo tabellæ denario deſcriptus eſt, mihi quidem incertum, quis
fuerit, nec enim quidquam apud ſcriptores de eo me legiſſe memini. *Ad*
2. *eundem fortaſſis refertur ſecundus nummus, ſed quia cognomine caret amplius*
dicendum non arbitror. TITVM autem SEMPRONIVM GRACCHVM,
3. qui in tertio & quarto denario notatus eſt, eum indicari arbitror de quo
4. his verbis Velleius meminit. Quinctiuſque Criſpinus ſingularem nequitiam « Lib. 2.
ſupercilio truci protegens, & Ap. Claudius, & Sempronius Gracchus, ac «
Scipio, aliique minoris nominis, vtriuſque ordinis viri, quaſi cuiuſlibet «
vxore violata, pœnas pependere, cum Cæſaris filiam, & Neronis violaſſent «
conjugem. Iulia relegata in inſulam, patriæque & parentum ſubducta oculis «
&c. Par cauſa ſæuitiæ, inquit Tacitus, in Sempronium Gracchum, qui « Lib. 1.
familia nobili, ſolers ingenio, & praue facundus eandem Iuliam in matrimonio «
M. Agrippæ temerauerat. Nec is libidini finis, traditam Tiberio peruicax «
adulter contumacia & odiis in maritum accendebat. Litteræque quas «
Iulia patri Auguſto cum inſectatione Tiberij ſcripſit, a Graccho compoſitæ «
credebantur &c. Fuit autem Gracchus hic vnus e Quartum-Viris argento «
publice ſignando a Cæſare Dictatore inſtitutis, de quibus in Iulia Cæſarum
familia diximus; quo quidem munere, C. Cæſaris primo Triumviratus
quinquennio functus eſt; vt ex quarti denarij inſcriptione apparet, quem
cuſit, cum Quæſtor etiam eſſet deſignatus. Cum autem quæ in altera
denariorum parte impreſſa ſunt: *Signum cohortis aquila Legionis, aratrum,*

decempeda, deductæ coloniæ ſymbola ſint, atque ea ad Caſilinum coloniam, in Cæſaris denariis pertinere dixerimus, ſuſpicari poſſumus, tertio quoque denario eandem coloniam deſignari: nec enim aliquam ex iis, quas Auguſtus deduxit, ſignificari credendum eſt, cum ob alia tum quod huiuſmodi denarius primo Trium-Viratus quinquennio, vt dictum eſt, cuſus fuit: quo quidem tempore, nondum Cæſar coloniam aliquam, quantum ex hiſtoriis colligimus, deduxerat. Itaque magis placeret, vt ad eas colonias denarius referretur, quibus deducendis Ti. Sempronius Gracchus Tr. pl. ſe Caiumque fratrem creauit: quorum alterius Quartum-Vir iſte nepos


Lib. 2. eſſe potuit, aut certe vtriuſque conſanguineus, niſi pernicioſum id factum » Reip. fuiſſe conſtaret. De Ti. Graccho, inquit Velleius, Trium-Viros » agris diuidendis, coloniiſque deducendis creauit ſe, ſocerumque ſuum » Conſularem Appium, & Gracchum fratrem admodum iuuenem. Paulo » poſt: In legibus Gracchi inter pernicioſiſſima numerauerim, quod extra » Italiam colonias poſuit. Id maiores (cum viderent tanto potentiorem Tyro » Carthaginem, Maſſiliam Phocæa, Syracuſas Corintho, Cyzicum, ac » Byzantium Mileto, genitali ſolo) diligenter vitauerant, vt ciues Romanos » ad cenſendum ex prouinciis in Italiam reuocauerint. Prima autem extra » Italiam colonia Carthago condita eſt &c. De C. autem Graccho in eodem » libro ita ſcribit: Dabat ciuitatem omnibus Italicis, extendebat eam pæne » vſque ad Alpes, diuidebat agros, vetabat quemquam ciuem plus quingentis » iugeribus habere: quod aliquando lege Licinia cautum erat: noua conſtituebat » portoria: nouis coloniis replebat prouincias, iudicia a Senatu transferebat » ad Equites, frumentum plebi dare inſtituerat &c. De coloniis autem a C. Graccho Trium-Viro in Italia deductis, ſcriptores adeo multi meminerunt,

Epitom. lib. 60. vt eorum loca de hac re putidum ſit colligere. Vnius tantum Liuij verba » proferam. C. Gracchus, inquit, Ti. frater pernicioſas aliquas leges tulit, » inter quas frumentariam, vt ſemiſſe & triente frumentum plebi daretur. » Alteram legem agrariam, quam frater eius tulerat. Tertiam qua equeſtrem » ordinem cum Senatu conſentientem corruperat (trecenti Seantores erant, » ſexcenti equites) vt trecenti Senatoribus admiſcerentur, id eſt, vt equeſter » ordo bis tantum virium in Senatu haberet. Et continuato in alterum » annum tribunatu, legibus agrariis latis effecit, vt complures coloniæ in » Italia deducerentur, & vna in ſolo dirutæ Carthaginis, quo ipſe Trium-Vir creatus coloniam deduxit &c. Illud autem in Gracchi denariorum inſcriptionibus notandum eſt, cognomen ſine aſpiratione in eis notatum eſſe,

Lib. 1. c. 9. de quo ita ſcribit Quinctilianus. Diu deinde obſeruatum, ne conſonantibus aſpiraretur, vt in Graccis & Triumpis. *Eumdem eſſe puto qui in quinto aureo* 5. *nummo & ſexto æneo notatus eſt. Fortunæ typus cum temone & cornucopia*, 6. *Auguſti fortaſſis proſperam fortunam indicat, quam ſæpe aduerſam ſuſtinuerat.*




1\. Primvs huius tabellæ nummus ad eumdem Ti. Sempronivm Gracchvm pertinet de quo in ſuperiori tabella abunde dictum
2\. eſt. Secundus æreus nummus percuſſus eſt a L. Sempronio Atratino, qui anno dccxix. in M. Antonij iterum Conſulis Kal. Ian. abdicantis locum factus eſt. Αντώνιος δὲ, inquit Dio, ἐν τούτῳ τῆς μὲν ἀρχῆς αὐθήμερον ἐξέστη, Lib. 49. Λούκιον Σεμπρώνιον Ατρατῖνον ἀντικαταστήσας. ὅθεν εἰσὶν οἱ τοῦτον, ἀλλ' οὐκ ἐκεῖνον ἐν τῇ τῶν ὑπάτων ἀπαριθμήσει ὀνομάζουσι. Hoc eſt, Hoc tempore Antonius eadem « die & iniit Conſulatum & depoſuit, ſubſtituto in ſuum locum L. Sempronio « Atratino: itaque hunc nonnulli, non Antonium in enumeratione Conſulum « recenſent. Ex his autem Dionis verbis, & ex iis quæ in nummo ſignata « ſunt, colligi poteſt, L. Atratinvm Antonianarum partium fuiſſe, & nummum huiuſmodi cuſiſſe, cum eſſet Antonius in Ægypto. *Neque abhorret coniectura figuras eas quæ equis marinis inuehuntur eſſe M. Antonij & Cleopatræ; terræ mariſque imperium illis hoc ſigno tribui videtur. L. illum Sempronium Atratinum, niſi docerent marmora Capitolina prorſus ignoraremus Pro-Cos. ex Africa triumphum egiſſe, anno* dccxxxii. iii. *Id. Octobr. nullus enim Scriptorum quod ſciam eius mentionem habet. Delphicum tripodem idem fortaſſis nummis imprimi curauit cum in Græcia laſciuiret Antonius, & ex oraculo expeditionem in Parthos adornaret, de qua Plutarchus. Eundem fortaſſis inculcat denarius aut quod magis mihi probatur alium vetuſtiorem, ſed quiſnam ille ſit nulla nota docet: quemadmodum nec quis ſit ille quem deſignant vltimi tres nummi.*



Sentia Gens, incertum Patricia-ne, an plebeia fuerit. Neque vero rerum Romanarum ſcriptores aliquem ex hac Gente nominant, qui Lucij prænomen habuerit. Velleius meminit C. Sentij Saturnini, qui a Trium-Viris R. P. C. proſcriptus, Auguſti poſtea Legatus in Germania fuit, & Conſul cum Q. Lucretio Veſpillone anno DCCXXXIV. cuius filius credi poteſt fuiſſe L. Sentivs Satvrninvs hic qui Trium-Vir argento publice ſignando, huius tabellæ denarios cuſit, in quibus C. F. deſcriptus eſt. Velleij verba ſunt hæc. In hoc pacis fœdere placuit, Siciliam, Achaiamque Pompeio concedere: in quo tamen animus inquies manere non potuit: id vnum tantummodo ſalutare aduentu ſuo patriæ attulit, quod omnibus proſcriptis, aliiſque qui ad eum ex diuerſis cauſis fugerant, reditum, ſalutemque pactus eſt. Quæ res & alios clariſſimos viros, & Neronem Claudium, & M. Silanum, Sentiumque Saturninum, & Arruntium reſtituit Reip. &c. Aliquanto, inquit Valerius Maximus, ſpecioſius Sentij Saturnini Vetullionis in eodem genere caſus vltimæ ſortis auxilium. Qui cum a Trium-Viris inter proſcriptos nomen ſuum propoſitum audiſſet, continuo Præturæ inſignia inuaſit: præcedentibuſque in modum lictorum & apparitorum, publicorumque ſeruorum ſubornatis, vehicula comprehendit, hoſpitia occupauit, obuios ſummouit, ac tam audaci vſurpatione imperij, in maxima luce denſiſſimas hoſtilibus oculis tenebras offudit. Idem vt Puteolos venit, perinde ac publicum miniſterium agens, ſumma cum licentia correptis nauibus in Siciliam, certiſſimum tunc proſcriptorum profugium penetrauit. De Conſulatu C. Sentij ita ſcribit Velleius, Præclarum excellentis viri factum C. Sentij Saturnini Conſulis ne fraudetur memoria. Aberat in ordinandis Aſiæ Orientiſque rebus Cæſar; tum Sentius forte, & ſolus & abſente Cæſare Conſul, cum alia priſca ſecuritate, ſummaque conſtantia


Lib. 2.

veterum Conſulum more ac ſeueritate geſſiſſet, protraxiſſetque publicanorum “
fraudes, puniſſet auaritiam, regeſiſſet in Aerarium pecunias publicas, tum “
in comitiis agendis præcipuum egit Conſulem: nam & Quæſturam petentes, “
quos indignos iudicauit, profiteri vetuit: & cum id facturos ſe perſeuerarent, “
Conſulem ſi in campum deſcendiſſent, vindictam minatus eſt &c. Paulo “
poſt: Cum omnem partem aſperioris & periculoſiſſimi belli Cæſar vindicaret, “
in iis quæ minoris erant diſcriminis, Sentium Saturninum, qui tum legatus “
patris eius in Germania fuerat, præfeciſſet &c. Vel huius igitur C. Sentij “
filius fuit, L. SENTIVS qui C. F. in primo denario deſcribitur, frater C. Sentij eius, qui Conſul anno DCCLVI. in Faſtis notatur, vel ad Sentium eum, qui Prætor Macedoniam prouinciam obtinuit, tres hi denarij referendi ſunt, de quo mentio exſtat apud Plutarchum, Ἐνταῦθα γὰρ, inquit, τῷ Μιθριδάτῃ Βρέττιος Σύρρας ἀπήντησε, πρεσβευτὴς μὲν ὢν Σεντίου τοῦ στρατηγοῦ τῆς Μακεδονίας, ἀνὴρ δὲ τόλμῃ καὶ φρονήσει διαφέρων. Hoc eſt, Illic occurrit Mithridati “ In Sulla.
Brutius Sura, Prætoris Macedoniæ Sentij legatus, virtute & conſilio vir “
ſingularis &c. Suræ autem legati nomen mendoſe ſcriptum apud Plutarchum opinor, nec ſine ope veteris alicuius libri emendari a quopiam poſſe; Brutiæ namque familiæ nomen, inter Romanas Gentes numeratum, nuſquam reperitur, *Niſi forte Sura* Βρέττιος, *ſiue Brutius a loco ita nominetur,*
1. *Primi & ſecundi denarij triumphos quo referam, ignoro, vt duplicem*
2. *triumphum qui in quarto denario cernitur. Vnus ille huiuſcemodi occurrit quod ſciam, quemadmodum & tertius, cuius vtraque facies Romæ caput habet. AR Genti PVBlici nota in primo nummo Pone Romæ caput occurrit. Cur autem Sentiæ potius quam Apuleiæ genti hæc adiiciantur monumenta in quibus vnum cognomen ſcriptum eſt, non video: Quidni enim ad L. Appuleium Saturninum Tr. pl. referantur, qui anno V. C.* DCLIII. *horribilem hanc ſeditionem concitauit; in qua cum Mario commodauiſſet ferendis legibus agrariis, ab eo tandem* VI. *Conſule oppreſſus eſt.*



SEPVLLIAE Gentis, nullus quod ſciam veterum ſcriptorum facit mentionem. Eius autem memoria, quamuis fuerit ſub Cæſare Dictatore,

& Trium-Virorum etiam temporibus non obſcura, nulla pene exſtaret, niſi antiqui aliquot denarij ſupereſſent, quibus P. Sepvllii nomen inſcriptum eſt, eius qui Cæſare iam rerum potito, vel recens a coniuratis occiſo, ſub ipſo Trium-Viratus initio, cudendæ præfuit monetæ. His enim omnino temporibus floruiſſe P. Sepvllivm Macrvm, colligere poſſumus ex iis quæ in huius tabellæ & Æmiliæ Lepidorum familiæ denariis, impreſſa ab eo ſunt.



Sergiae Gentis Patriciæ, vel vnius Virgilij teſtimonio nobilis Silorvm tantum exſtat in denariis familia, cum plures & quidem claræ, & illuſtres a Scriptoribus nominentur,

Virgil. l. 5. Æneid. Sergeſtuſque domus tenet à quo Sergia nomen.

Huius autem tabellæ denarius, ſiue a M. Sergio Silo, qui Prætor in Faſtis deſcribitur anno dlvi. & M'. prænominetur a Liuio, ſiue ab huius, vt opinor, filio M. Sergio Silo, qui L. Æmilij Paulli Conſulis anno dlxxxv. legatus in bello Perſico fuit, cuius idem Liuius meminit, cuſus ſit, in M. Sergij Sili honorem ſine dubio ſignatus eſt, eius qui egregia bellicæ laudis monumenta reliquit, quæ a Plinio referuntur: quamvis inter ea non numeretur factum id, quod in altera huius denarij parte expreſſum eſt. Plinij verba ſunt hæc. „M. Sergio, vt quidem arbitror, nemo quemquam „hominum iure prætulerit: licet pronepos Catilina gratiam nomini deroget. „Secundo ſtipendio dexteram manum perdidit: ſtipendiis duobus ter & „vicies vulneratus eſt: ob id neutra manu, neutro pede ſatis vtilis: vno „tantum ſeruo, plurimis poſtea ſtipendiis debilis miles. Bis ab Annibale „captus (neque enim cum quolibet hoſte res fuit) bis vinculorum eius „profugus: viginti menſibus nullo non die in catenis aut compedibus non „cuſtoditus, ſiniſtra manu ſola quater pugnauit, duobus equis inſidente eo „ſuffoſſis. Dexteram ſibi ferream fecit, eaque religata præliatus, Cremo eo „obſidione exemit, Placentiam tutatus eſt, duodena caſtra hoſtium in Gallia „cepit. Quæ omnia ex oratione eius apparent habita cum in Prætura ſacris „arceretur a collegis, vt debilis. Quos hic coronarum aceruos constructurus „hoſte mutato? Etenim plurimum refert in quæ cuiuſque virtus tempora „inciderit: quas Trebia, Ticinus, aut Thraſimenus, ciuicas dedere? quæ „Cannis corona merita? vnde fugiſſe virtutis ſummum opus fuit. Ceteri profecto

Lib. 32. Lib. 44. Lib. 7 c. 28. Solinus cap. 6.

profecto victores hominum fuere, Sergius vicit etiam Fortunam. Solini «
verba ſunt ex eadem Sergij oratione deſcripta. Poſt hunc, inquit, M. «
Sergius duobus ſtipendiis, primo, aduerſo corpore ter & vicies vulneratus. «
Secundo ſtipendio in prœlio dexteram perdidit. Qua de cauſa ferream ſibi «
manum fecit: & cum neutra pæne idonea ad prœliandum valeret, vna die «
quater pugnauit, & vicit ſiniſtra, duobus equis eo inſidente confoſſis. Ab «
Annibale bis captus refugit, cum viginti menſibus, quibus captiuitatis «
ſortem perferebat, nullo momento ſine compedibus fuerit & catenis. «
Omnibus aſperrimis prœliis, quæ tempeſtate illa Romani experti ſunt, «
inſignibus donis militaribus a Traſimeno, Trebia, Ticinoque coronas «
ciuicas retulit. Cannenſi quoque prœlio, de quo refugiſſe eximium opus «
virtutis fuit, ſolus accepit coronam. Beatus profecto tot ſuffragiis gloriarum, «
ni heres in poſteritatis eius ſucceſſione Catilina tantas odio damnati nominis «
obumbraſſet &c. M. autem Sergij oratio ſi exſtaret, non eſſet nobis ignotum, cuius nam Carthaginenſium Ducis in prœlio caput fuiſſet ab eo amputatum, quod in altera denarij parte Sergius ipſe equo inſidens manu geſtat. Valerius Max. facit mentionem Cn. Sergij Sili, qui anno DCLXXXIV. Lib. 6 c. 1.
in Romana Rep. floruit, a quo denarius hic in M. Sergii memoriam ſignatus eſſe credi etiam poteſt.




SERVILIAM Gentem Albanam a Tullo rege, Alba diruta, Romam Lib. 1.
tranſlatam fuiſſe, inque Patriciorum ordinem allectam, ſcribit Liuius,

Lib. 2. & Dionyſius. Eius autem in antiquis denariis familiæ reperiuntur patriciæ
& plebeiæ: in vtraſque enim diuiſam hanc gentem fuiſſe ſatis inter ſcriptores
conſtat. In primo tabellæ denario ſignata eſt imago C. Seruilij Ahalæ, qui 1.
Mag. Eq. Sp. Melium regnum affectantem interfecit. *Anno V. C.* CCCXIV.
In Catilinam. C. Seruilius, Ahala, inquit Cicero, Sp. Melium nouis rebus ſtudentem manu
ſua occidit &c. Et alibi, Si quidem aranti L. Quinctio Cincinnato nuntiatum
In Catone. eſt, eum Dictatorem eſſe dictum; cuius Dictatoris iuſſu Mag. Eq. C.
Seruilius Ahala Sp. Melium, regnum appetentem, occupatum interemit
&c. Opinor autem denarium huiuſmodi cuſum eſſe à P. & C. Seruiliis
fratribus qui in Cæſarem cum aliis conſpirarunt, vt indicarent ſe C. Seruilij
gentilis ſui exemplo, ad occidendum Cæſarem, regnum item appetentem,
Lib. 2. Philipp. " incitatos eſſe. Etenim, inquit Cicero, ſi autores ad liberandam Patriam
" deſiderarentur, illis autoribus Brutos ego impellerem? quorum vterque L.
" Bruti imaginem quotidie videret, alter etiam Ahalæ? &c. Quamuis ſi a
Bruto coniurationis principe denarium ſignatum fuiſſe malimus, non laboro:
Brutus enim Seruilia matre natus fuit, quæ generis ſui originem ad C. hunc
Ahalam referebat, vt ſcribit Plutarchus, in Bruto. Secundum denarium ſcio 2.
ab aliis referri ad M. Seruilium C. F. qui Mag. Eq. fuit, P. Sulpicio Dict.
anno DL. & Conſul anno DLI. eiuſque pugnam aliquam equeſtrem ſigni-
ficari equitum ſignis in ſecundo denario impreſſis, quam item indicare
voluerit, qui tertium denarium cuſit C. Seruilius eius filius. Mihi autem 3.
magis placeret ſi equites, qui ſunt in quattuor denariis expreſſi, alter ad
Sp. Melium Equeſtris ordinis virum, alter ad C. Seruilium Ahalam Mag.
Eq. referretur, a quo diximus Sp. ipſum Melium regnum affectantem
interfectum fuiſſe: denarioſque huiuſmodi crediderim a M. & C. Seruiliis
Ahalis in progenitoris memoriam ſignatos eſſe, cum & ipſi quoque occiſi
In Bruto. Cæſaris, liberatæque patriæ laudem aliquam vindicarent. Nec enim obſtat
quod ſcribit Plutarchus, C. Seruilium Ahalam pugionem ſub ala ferentem;
& Sp. Melio prope adſiſtentem, quaſi haberet quod cum eo ageret, caput
inclinantem, illum percuſſiſſe, quia vt alterius ex Equeſtri ordine genus,
alterius Magiſterium Equitum indicaretur, equitum vtroſque forma in his
Lib. 2. Philipp. denariis ſignatos eſſe, veriſimilius eſt. Ciceronis autem verba ſatis declarant,
præter P. & C. Seruilios Caſcas fratres, duos etiam Ahalas cum aliis coniu-
" ratis Cæſarem interfeciſſe, ea ſunt. Quid duos Seruilios? Caſcas Dicam an
" Ahalas? & hos autoritate mea cenſes excitatos potius, quam caritate Reip.
ita enim legendum eſſe Ciceronis locum Plutarchi verba de duobus
fratribus Caſcis, quæ in vita Cæſaris leguntur, aperte demonſtrant. Πρῶτος
δὲ ΚΑΣΚΑΣ, inquit, ξίφει παίει παρὰ τὸν αὐχένα, πληγὴν οὐ θανατηφόρον,
οὐδὲ βαθεῖαν, ἀλλ' ὡς εἰκὸς, ἐν ἀρχῇ τολμήματος μεγάλου ταραχθείς. ὥστε καὶ τὸν Καίσαρα
μεταστραφέντα τοῦ ἐγχειριδίου λαβέσθαι, καὶ κατασχεῖν. ἅμα δέ πως ἐξεφώνησεν, ὁ μὲν
πληγεὶς, Ῥωμαϊστὶ, μιαρώτατε Κάσκα. ὁ δὲ πλήξας ἑλληνιστὶ πρὸς τὸν ἀδελφὸν ἀδελφὲ
" βοήθει. Hoc eſt, Primus CASCA gladio vulnus ſecundum ceruicem infligit
" ei, neque letale, neque graue; nimirum in magni facinoris exordio attonitus.
" At Cæſar conuerſus pugionem corripuit, & tenuit, ſimulque clamorem

ſuſtulere: Cæſar, latine, ſcelerate Caſca quid agis? Caſca, Græce ad fratrem, " frater ades &c. His accedunt Suetonij verba: Alter Caſca aduerſum " In Cæſ. cap. 82. vulnerat, paulum infra iugulum &c. Sed qui nam Ahalæ hi fuerint, quos e Seruiliis præter Caſcas, conſpirationi interfuiſſe à Cicerone dicuntur, quærendum nunc eſt. Eorum certe vnum opinor M. Seruilium fuiſſe, qui Caſſij legatus in primis duobus ſequentis tabellæ denariis deſcriptus eſt, quique Tribunus pl. cum eſſet anno DCCX. C. Panſa, A. Hirtio Coſſ. Ciceronem in concionem produxit. De altero, quis fuerit nondum Cicero ep. 7. lib. 12. ad Caſſium. quicquam ex antiquis ſcriptoribus elicere potui. *Ad eundem C. Seruilium*

7. *pertinere poteſt ſextus nummus.* Septimus denarius pertinet ad P. SERVILIVM RVLLVM, qui Tr. pl. anno DCXC. legem Agrariam promulgauit, vt Decem-Viri ſummo cum imperio crearentur, qui in ſua poteſtate Italiam totam, Suriam vniuerſam, eaque omnia quæ virtute Pompeij recens imperio Romano adiecta erant, haberent: venderent quicquid publicum populi Romani eſſet, iudicarent de omnibus, de quibus ipſi vellent, exules eiicerent, colonias deducerent, pecuniam ex ærario caperent, milites quot opus haberent, conſcriberent & alerent. Plutarchus in Cicerone, cuius exſtat oratio contra Rullum, de hac ipſa lege Agraria. Dio facit mentionem Lib. 48. P. Seruilij Rulli, quem Cæſar, qui poſtea Auguſtus appellatus eſt, in bello contra M. Antonium Brundiſio præfecit. Poteſt autem is eſſe filius P. Rulli, quem diximus legem Agrariam tuliſſe. Dionis verba ſunt. Πράξαντος δὲ αὐτοῦ ταῦτα ὁ Καῖσαρ τάς τε δυνάμεις (ἐκ γὰρ τῆς Γαλατίας ἤδη παρῆν) ἤθροισε, καὶ Πούπλιον μὲν Σερουίλιον Ροῦλλον πρὸς Βρεντέσιον, Ἀγρίππαν δὲ ἐπὶ Σιποῦντα ἔπεμψεν &c. *Hunc nummum Imp. Veſpaſianus reſtituit.*



Philipp. lib. 2. — **P**RIMVS huius tabellæ denarius & ſecundus item, pertinent (vt opinor) 1.
ad M. Seruilium Ahalam, quem deſignari ſupra diximus a Cicerone, 2.
cum inquit, Quid duos Seruilios? Caſcas dicam, an Ahalas &c. Quemque cum aliis coniuratis Cæſaris neci interfuiſſe, ac poſtea Tr. pl. factum, Ciceronem in concionem produxiſſe demonſtrauimus. (Ep. 7. l. 12. ad Caſſ.) Ex denariorum autem titulis eum non modo C. Caſſii, Cæſaris percuſſoris legatum, ſed claſſis etiam, ex acroſtirio, aliiſque rei naualis impreſſis ſymbolis, præfectum fuiſſe intelligimus. Tertius denarius ſpectat ad P. Seruilium Caſcam, qui 3.
inter coniurationis, principes numeratur; de quo præter Plutarchum, Appianum, Dionem & alios meminit Suetonius his verbis (In Cæſare cap. 82.), Cæſar Caſcæ brachium abrepto graphio traiecit: conatuſque proſilire, alio vulnere tardatus eſt &c. Ita enim eſt in veteribus libris, non vt vulgo legitur: Cæſar Caſcæ brachium abreptum graphio traiecit. Quam lectionem confirmant ea, quæ ſupra adduximus Plutarchi verba: quamvis pro γραφεῖον, ſit apud Plutarchum ἐγχειρίδιον. Nos autem ex iis quæ in coniuratorum denariis impreſſa ſunt, colligimus M. Brutum coniurationis caput in occidendo Cæſare ἐγχειριδίῳ, hoc eſt, pugione vſum fuiſſe (Lib. 2. Philipp.) (quod à Cicerone confirmatur, cum inquit, Cæſare interfecto ſtatim cruentum alte extollens M. Brutus pugionem &c.) eoque ſine dubio reſpiciunt duo pugiones. Marci, vt opinor, vnus, alter Decimi, qui in Bruti denariis ſignati ſunt. P. vero & C. Caſcas γραφείῳ,

hoc eſt, ſtilo Cæſarem vulneraſſe indicant, cum ea quæ modo protuli Suetonii verba, tum ſtili duo, qui ſub Victoriæ pedibus in tertio denario
4. impreſſi ſunt, quæque in quarto SERVILIORVM fratrum imagines ſignatæ ſunt, ſtilos huiuſmodi erecta acie manibus geſtantes, ad quos omnino reſpexiſſe eum qui denarium cuſit, dubitandum non eſt: in cuius quidem altera parte, aliud etiam Seruiliæ Gentis ſignatum eſt monumentum, atque eius, vt ex inſcriptione apparet, C. SERVILII C. F. qui FLORALIA PRIMVS FECIT. Quem nos C. Seruilium C. F. ſignificari arbitramur eum, qui Mag. Eq. anno DXLV. T. Manlio Torquato Dictatore fuit: quo quidem anno Ædilis Curulis cum idem eſſet ludos Florales primum feciſſe credendum eſt: nec enim multum me Plinij mouet autoritas, qui non eo quo nos coniicimus anno, ſed quingenteſimo ſexto-decimo ex Sibyllæ oraculis, vt omnia bene defloreſcerent, ad IV. Kal. Mai. Floralia inſtituta fuiſſe tradit. Aut enim alios ſecutus eſt annales Plinius, & quidem diuerſos ab iis, quos habuit is, qui denarium ſignauit, aut certe in annorum numero, vt plerumque fit, lapſus eſt apud eum librarius, qui I & L litterarum deceptus ſimilitudine vniuſque litteræ facta tranſpoſitione, pro DXLV. ſcripſerit DXVI. Sed de Floralibus ludis dicendum nunc aliquid eſt. Eorum quidem procurationem Ædilium Curulium fuiſſe teſtatur Valerius Max. cum inquit: M. Catone, ludos Florales, quos Meſſius Ædilis faciebat, ſpectante, populus vt mimæ nudarentur, poſtulare erubuit. Porphyrio quoque Horatij interpres in Floralibus Ædiles cicer & fabam populo ſpargere conſueuiſſe ſcribit. Fuiſſe etiam Prætorum, ex Suetonij verbis in GALBA colligere poſſumus. Prætor, inquit, commiſſione ludorum Floralium, nouum ſpectaculi genus elephantos funambulos edidit. Floræ autem deæ ludos huiuſmodi dicatos fuiſſe, omnes fere Scriptores tradunt,


Liuius lib. 27.

Lib. 2. c. 10.

> Mille venit variis florum Dea nexa coronis. *Ouid. lib. 4 Faſt.*
> Mater ades florum ludis celebrata iocoſis. *Lib. 5. Faſt.*


Sed de Flora variant inter ſe veteres ſcriptores, quorum diuerſas de ea opiniones diligenter collegit Gregorius Giraldus. De SERVILII auguratu, qui litui ſigno in altera denarij parte impreſſo indicatur, nihil a Liuio traditum eſt in eo libro, in quo de eius Ædilitate & Magiſterio Equitum factam eſſe
5. ab eo mentionem diximus. Quintus denarius ad quem pertineat Cæpionum, mihi quidem obſcurum eſt: illud certe ex iis, quæ in eo impreſſa ſunt, ſatis conſtat, Cæpionem hunc quicunque fuerit, Piſonis in Ædilitate collegam ad frumentum emundum ex S. C. fuiſſe: *Quem etiam magiſtratum innuere videtur duplex ſpica in æreo nummo decuſſatim poſita.* Niſi forte malit aliquis Cæpionis cognomen ad Fannium eum referre, qui Ædilis plebeius in Fanniæ gentis denariis deſcriptus eſt: quod mihi non ſatis placet. Reliqua quæ ad huius denarij intelligentiam faciunt, in Calpurnia Piſonum familia ſcripta
6. ſunt. *Quamuis Cæpio Seruiliæ familiæ cognomen in ſexto denario reperiatur, ad M. Brutum referendus eſt, qui ideo Cæpio dictus eſt, quod fuerit à Q. Seruilio Cæpione adoptatus. De eo in gente* IVNIA *ſatis dictum eſt.*

In lib. de Diis gentium.



SESTIAM Gentem Patriciam fuiſſe (nam Sextiæ plebeiæ nulla eſt in Lib. 3. denariis mentio) ſatis ex Liuio conſtat, qui nominat P. SESTIVM CAPITOLINVM Patriciæ vt ipſe inquit gentis virum, qui cum T. Menenio Lanato Conſul fuit anno CCCI. & CCCII. X-Vir Conſulari poteſtate legum ferendarum cauſſa, a quo duxiſſe originem L. SESTIVS hic credi poteſt, qui huius tabellæ denarios ſignauit cum eſſet Q. Cæpionis Bruti in Mace- Lib. 4. bell. ciuil. donia prouincia Pro-Quæſtore. De eo facit Appianus mentionem, qui tamen Bruti Quæſtorem non Pro-Quæſtore fuiſſe Seſtium dicit, niſi forte librarij errore erratum ſit, qui Ταμίαν pro Ἀντιταμίαν ſcripſerit. Λεύκιος δὲ Σήστιος, inquit, (in vulgatis autem libris mendoſa eſt Πούπλιος) ὁ Ταμίας Βρούτου, τῶν ἀμφὶ τὸν Ἀντώνιον αὐτὸν πειθόντων προδοῦναι Βροῦτον, οὐκ ἀνασχόμενος· διὸ δὴ καὶ προεγράφη, καὶ κατήχθη, καὶ Καίσαρι φίλος ἐγένετο, καὶ ἐπιόντι ποτὲ τῷ Καίσαρι προύθηκεν εἰκόνας Βρούτου, καὶ ἐπῃνέθη καὶ ἐπὶ τῷδε ὑπὸ τοῦ Καίσαρος. Hoc eſt, L. „ Seſtius Bruti Quæſtor ab Antonianis de proditione fruſtra ſollicitatus, „ proſcriptuſque ob eam cauſam, tandem in patriam reuerſus, in Cæſaris „ amicitiam receptus eſt: cui aliquando effigies Bruti domi ſuæ ſpectandas Lib. 53. „ præbuit, id quoque probanti. Dio L. Seſtium Auguſto in XI. conſulatu ſuffectum fuiſſe ſcribit, anno DCCXXX. Καὶ ὅτι Λεύκιον, inquit, ἀνθ' ἑαυτοῦ Σήστιον ἀνθείλετο, ἀεί τε τῷ Βρούτῳ συσπουδάσαντα, καὶ ἐν πᾶσι τοῖς πολέμοις συστρατεύσαντα, καὶ ἔτι καὶ τότε μνημονεύοντα αὐτοῦ, καὶ εἰκόνας ἔχοντα καὶ ἐπαίνους ποιούμενον. Hoc eſt, » Laudatum eſt hoc eius factum, idque etiam, quod in ſuum locum ſubrogauit » L. Seſtium, qui vir ſemper Bruti rebus fauerat, omnibuſque in bellis ei » adfuerat, ac adhuc eius memoriam colebat, imagines eius habebat, eumque » laudare ſolebat. Amicitiæ vero obſeruantiam, fidemque Seſtii non modo non odio, ſed honore etiam habebat Auguſtus. In Colotiana quoque Faſtorum tabella L. hic Seſtius P. F. Conſul Auguſto ſuffectus deſcribitur. Sit ne autem is quem Appianus Seſtium Naſonem app ellat, & nter coniuratos numerat, qui Cæſarem occiderunt, haud facile dixerim. *De pugionibus in gente Iunia dictum eſt.*


SICINIA.




SICINIAE Gentis plebeiæ frequens eſt mentio apud Scriptores. Q. vero SICINII huius qui Trium-Vir monetæ cudendæ argenteos tabellæ denarios cuſit, nullus, quod ſciam, facit mentionem. Poteſt autem filius eſſe Cn. Sicinij eius, qui anno DCLXXVII. Tribunus plebis fuit Cn. Octauio, C. Scribonio Curione Coſſ. quos in concionem produxiſſe Sicinius dicitur, cum id egit, vt Tribunicia poteſtas populo redderetur. Cicero in Bruto & Pædianus in Diuinatione. Sed ſiue huius filius fuerit Q. SICINIVS, ſiue conſanguineus, illud certum eſt, L. Sicinij Gentilis ſui fortitudinem celebrare his denariis voluiſſe. Fuit autem Sicinius is cognomento Dentatus, Trib. pl. anno CCXCIX. & CCCIV. X-Virorum fraude occiſus, de cuius fortitudine ſcribunt autores plurimi, & inter eos præcipue Agellius lib. II. cap. XI. cuius hæc ſunt verba. L. Sicinium Dentatum qui Trib. pl. fuit Sp. Tarpeio, A. Aterio Coſſ. ſcriptum eſt in libris Annalium, « pluſquam credi debeat, ſtrenuum bellatorem fuiſſe: nomenque ei factum « ob ingentem fortitudinem, appellatumque eſſe Achillem Romanum. Is « pugnaſſe in hoſtem dicitur centum & viginti prœliis. Cicatricem auerſam « nullam, aduerſas quinque & quadraginta tuliſſe: coronis eſſe donatum « aureis octo, obſidionali vna, muralibus tribus, ciuicis quattuordecim, « torquibus tribus & octoginta, armillis plus centum ſexaginta, haſtis duode- « viginti, phaleris item donatus eſt quinquies viciesque. Populi militaria « dona habuit multiiuga. In his prouocatoria pleraque. Triumphauit cum « Imperatoribus ſuis triumphis nouem &c. In altera primi denarij parte, «
1\. Fortitudinis imago ſine titulo, in ſecundo denario cum inſcriptione FORT.
2\. P. R. impreſſa eſt, hoc eſt, Fortitudo Populi Romani. Hæc autem, & quæ in ſecundi denarij altera parte ſignata ſunt, ad ea pertinent, quæ de Sicinij Fortitudine narrantur ab iis ſcriptoribus, quos modo nominaui. Palmam vero Agellius tradit ex Plutarcho in certaminibus ſignum eſſe victoriæ, quoniam ingenium eius arboris eiuſmodi eſt, vt vrgentibus opprimentibuſque non cedat.

Dion. l. 10. Plin. lib. 7. c. 27. Solin. c. 6. Val. Max. lib 3. c. 6.

Lib. 7. Sympoſ.




Lib. 4. SILIAM Gentem plebeiam fuiſſe conſtat ex Liuij verbis: Non alias,
„ inquit ægrius plebs tulit Tribunicia ſibi comitia non commiſſa. Eum
„ dolorem Quæſtoriis comitiis ſimul oſtendit, & vlta eſt, tunc primum
„ plebeiis Quæſtoribus creatis, ita vt in quattuor creandis vni Patricio C.
„ Fabio Ambuſto relinqueretur locus: tres plebeij Q. SILIVS, P. Aelius,
„ P. Pipius clariſſimarum familiarum iuuenibus præferuntur &c. SILIVS autem qui huius tabellæ nummos ſignauit, vt opinor, is eſt qui Conſul anno DCCLXV. cum L. Munatio Planco in Faſtis deſcriptus eſt; filius P. Silii eius, qui A. Licinium Neruam ex adoptione Silianum dictum
Lib. 2. adoptauit, cuius Velleius meminit, *Cætera ad Auguſtum videntur ſpectare, quæ alibi explicantur.*



Lib. 4. SPVRILIAE Gentis plebeiæ facit mentionem Liuius, qui Spurilium
„ Tribunum plebis nominat, cum inquit, Plebs Tribunos plebis abſentes
„ Sex. Tempanium Agellium, & Antiſtium, & Spurilium fecit: quos & pro
„ centurionibus ſibi præfecerunt Tempanio autore equites. Appianus inter
Lib. 2. Cæſaris interſectores numerat M. quemdam Spurilium. Quidam A. SPVRI. quod legitur in nummo, interpretantur A. Spurinam.


STATIAE

STATIA.




STATIAE Gentis plebeiæ Cicero meminit in ep. II. ad Q. Fratrem & Liuius
plures alij autores. Ex ea MVRCVS ortus eſt qui huius tabellæ denarium lib. 2. Dionyſ.
cuſit, quique a ſcriptoribus appellatur L. STATIVS MVRCVS. Male lib. 9.
enim apud Ciceronem in vulgatis libris legitur: Hic rumor eſt T. Murcum Ep. 1. lib. 2.
periiſſe naufragio: cum Murci prænomen fuerit Lucius & in veteribus ad Attic.
Ciceronis codicibus ſcriptum ſit; Hic rumor tamen Murcum periiſſe naufragio. Caſſij autem verba, in ep. XI. ad Ciceronem, multum faciunt Lib. 12.
ad huius denarij inſcriptionem. In Suriam, inquit, me profectum eſſe ſcito «
ad L. Murcum, & Q. Criſpum Imperatores. Sed ex qua prouincia fuerit «
Murcus Imperator appellatus, non conſtat, niſi forte ex eadem Suria. Nam Dio, L. Statium Murcum, cum M. Criſpus Prætor Bithyniam obtineret, Lib. 47.
in Suriam miſſum fuiſſe, cum poteſtate quadam, teſtatur. Καὶ ὁ μὲν (de Cæcilio Baſſo inquit) δυνηθεὶς τινὰ χρόνον, ἔπειτα ὑπό τε Μάρκου Κρίσπου, καὶ ΣΤΑΤΙΟΥ ΜΟΥΡΚΟΥ κατείρχθη. Paulo poſt. Μετὰ δὲ τοῦτο τόν μὲν Βάσσον καὶ τὸν Κρίσπον, τούς τε ἄλλους τοὺς ἐθελήσαντας οἱ συστρατεύσαι, ἔπεμψεν ἀδικήσας. τῷ δὲ δὴ Στατίῳ τότε ἀξίωμα, μεθ᾽ οὗ ἐτήρησε, καὶ προσετι, καὶ τὸ ναυτικὸν ὑπέτρεψεν.
Hoc eſt, Baſſus vero cum aliquandiu præualuiſſet, poſtea a M. Criſpo, & L. «
Statio Murco iterum eſt in obſidione habitus. Paulo poſt. Secundum hæc «
Baſſum & Criſpũ reliquoſque qui ſub ſe militare nollent, nulla iniuria affectos «
dimiſit. Statio autem, & eam dignitatem, cum qua ad ſe venerat integram «
reliquit, & claſſem præterea commiſit &c. Cuiuſmodi vero fuerit ἀξίωμα «
id, cum quo Dio dicit Statium in Suriam veniſſe, facile poſſumus ex Appiano Lib. 3. & 4.
intelligere, qui ſcribit Statium Murcum a C. Cæſare, qui poſtea Auguſtus dictus eſt, miſſum in Suriam fuiſſe cum tribus legionibus contra legionarios milites, qui interfecto Sex. Iulio Cæſare Suriæ quæſtore, ad Cæcilium Baſſum deſciuerant. Murco autem magna vi eis repulſo, Minucium Criſpum qui Bithyniæ præerat, cum aliis tribus legionibus auxilio veniſſe, a quibus cum legionarij illi milites acriter obſiderentur, ſuperueniſſe Caſſium, atque obſeſſos in fidem recepiſſe, ſimulque legiones ſex, quæ Baſſum obſidebant, in amicitiam parteſque ſuas pellexiſſe. Appiani verba ſunt hæc. Lib. 3.
Ὁποτέρως δὲ ἐλύετο Στάτιον Μοῦρκον μετὰ τελῶν τριῶν ἐπιπεμφθέντα σφίσιν ὑπὸ τοῦ Καίσαρος ἐγκρατῶς ἀπεμάχοντο. ἕως ὁ Μοῦρκος ἐπεκαλεῖτο Μινούκιον Κρίσπον ἡγούμενον Βιθυνίας, καὶ ἀφίκετο αὐτῷ βοηθῶν ὁ Κρίσπος τέλεσιν ἄλλοις τρισίν. ὡς δὲ ὑπὸ τούτων

ἐπολιορκοῦντο ὁ Κάσιος σὺν ἐπείξει καταλαβὼν, τά τε τοῦ Βάσου δύο τέλη περιελάμβανεν
Lib. 4. αὐτίκα καὶ τὰ τῶν πολιορκούντων, αὐτῷ ἐξ φιλίας τε παραδόντων. Et alibi, Καὶ
ΣΤΑΤΙΟΝ ΜΟΥΡΚΟΝ ὑπὸ Καίσαρος αὐτοῖς σὺν τρισὶ τέλεσιν
ἐπιπεμφθέντα γενναίως ἀπεμάχοντο. ΜΟΥΡΚΩ δ' ἧκεν ἐπίκουρος Μινούκιος Κρίσπος
ἐκ Βιθυνίας μετὰ τριῶν τελῶν ἄλλων. Καὶ τὸν Βάσον ἐπολιόρκουν ὁ μὲν πάντες ἐξ
τέλεσιν ἤδη Κάσιος δὲ τὴν πολιορκίαν σπουδῇ καταλαβὼν, τό τε τοῦ Βάσου στρατὸν
αὐτίκα περιελάμβανεν ἑκόντα, καὶ ἐπ' ἐκείνῳ τὰ Μούρκου τέλη, καὶ Μινουκίου, κατά τε
φιλίαν αὐτῷ παραδιδόντων, καὶ κατὰ τὸ δόγμα τῆς βουλῆς ἐς πάντα ὑπακουόντων.
Credendum eſt autem Mvrcvm & Criſpum ob aliquod in legionarioum
& Baſſi obſidione egregium factum, Imperatores appellatos fuiſſe. Fuit
Lib. 3. Mvrcvs Cæſaris legatus bello ciuili contra Pompeium, vt Cæſar ſcribit
» his verbis. Sed cum eſſent in quibus demonſtraui anguſtiis, ac ſe Libo cum
» Bibulo coniunxiſſet, loquuntur ambo ex nauibus cum M'. Acilio &
» Statio Mvrco Legatis, quorum alter oppidi muris, alter præſidiis
» terreſtribus præerat &c. Poſtea inter Cæſaris interfectores, vt ſcribit Appianus,
Lib. 2. numerari voluit, cum tamen eius cædi non interfuiſſet. De Mvrci morte eadē
Lib. 2. Lib. 48. „ tradunt Velleius & Dio. Velleij verba ſunt hæc. Statium autem Murcum,
„ qui aduentu ſuo claſſiſque celeberrimæ vires eius duplicauerat, inſimulatum
„ falſis criminationibus, quia talem virum collegam officij Mena & Menecrates
„ faſtidierant, Pompeius in Sicilia interfecerat. Ex Appiano quoque Mvrcvm
Lib. 2. in Sicilia Sex. Pompeio ſe coniunxiſſe intelligimus, eius ſunt hæc verba.
Ἕως ὁ μὲν ΜΟΥΡΚΟΣ ἀχθόμενος, ἐς Συρακούσας ὑπεχώρει.



Statiliae Gentis aliquot a ſcriptoribus familiæ nominantur. Ex eis
Lib. 2. autem Tavrorvm nouam fuiſſe, ex Velleij verbis intelligere
„ poſſumus. Raro, inquit, eminentes viri non magnis adiutoribus ad
„ gubernandam Fortunam ſuam vſi ſunt: vt duo Scipiones duobus Læliis,
„ quos per omnia æquarunt ſibi: vt Diuus Auguſtus M. Agrippa, & maxime
„ ab eo, Statilio Tauro. Quibus nouitas familiæ haud obſtitit, quominus ad
„ multiplices Conſulatus, triumphoſque & complura eueherentur ſacerdotia.
Lib. 5. bel. ciuil. Statilij Tauri meminit Appianus his verbis: Ταῦρος δὲ ὀρχουμένου τοῦ πνεύματος

ἐς Τάραντα ἐπαλινδρόμει &c. Taurus enim præfuit claſſi in bello nauali C. Cæſaris & Sex. Pompeij, & paulo poſt: Καὶ ὁ ναυτικὸν εἶδε ὁ ὑπὸ Ταύρῳ &c. Meminit etiam Dio his verbis: Τότε δὲ ὥστε ἐν Σικελίᾳ διώκει, καὶ τὴν Λιβύην ἑκατέραν ἀμαχεὶ διὰ Στατιλίου παρεστήσατο. T. autem Statilius Taurus Pro-Cos. triumphauit ex Aſia pridie Kal. Iul. anno DCCXIX. ſed ad hunc ne pertineant primi tres ærei nummi, an ad eius filium, qui Conſul fuit anno DCCLXIII. cum M. Æmilio Lepido, incertum eſt. Vter autem eorum Trium-Vir A. A. A. F. F. Auguſti argenteos denarios ſignauerit ad Tauri cognomen certe reſpexit, cum in eorum altero id animal impreſſit. Lib. 49.
Cornucopiæ, manus iunctæ cum caduceo Pontificatus & Auguratus inſignia Auguſto potius quam STATILIO *tribuenda ſunt.* STATILIVS LIBO SACERDOS *nuſquam quod ſciam apud veteres occurrit. Fortaßis* SACERDOS *ad Liciniam gentem, cuius cognomen eſt, refertur.*



SVLPICIAM Gentem Camerio oppido oriundam fuiſſe coniicere poſſumus ex Ser. Sulpicii cognomine, qui primus ex ea Gente Romam veniſſe creditur, & e patriæ nomine Camerinus dictus eſſe. Ita enim Claudia quoque gens e Sabinis profecta, Sabini cognomen adepta fuit. Nullus autem in gente Sulpicia antiquior reperitur eo, qui Conſul anno CCLIIII. cum M. Tullio Longo fuit, quique, vt diximus, primus Camerini cognomine vſus eſt. Quamvis Ser. Galba Imp. ex hac gente natus, eius originem ad Iouem retulerit, vt Suetonius ſcribit. Gens autem Sulpicia fuit duplex, Lib. 7. c. 2.
ſiue vt quibuſdam placet, triplex, patriciorum ſcilicet plebeiorum, &
1. equeſtrium: Patriciorum GALBAE in antiquis denariis: Equeſtrium
2. Rufi reperiuntur. P. GALBAM qui in primo, ſecundo & tertio tabellæ
3. denario notatus eſt, opinor eum eſſe, quem Cicero habuit in petitione


Conſulatus competitorem. Aſconius in oratione in toga candida & Q.
Ep 1. lib. 1. ad Attic. Cicero in petitione Conſulatus. De eo ſic ſcribit Cicero. Prenſat vnus P. GALBA. Paulo poſt: Competitores qui certi eſſe videantur, Galba & Antonius, & Q. Cornificius. Eundem Ædilem Curulem fuiſſe ex ſecundi denarij inſcriptione intelligimus: in cuius altera parte inſtrumenta quoque, quibus in ſacris vtebantur, ſeceſpita, ſimpulum, & ſecuris impreſſa ſunt, vt Galbæ ſcilicet Pontificatus, vel aliud ſimile ſacerdotium indicaretur. In quarto denario effigiem opinor expreſſam eſſe Ser. Sulpicij Rufi, qui 4.
In Orat. pro Mur. Iuriſconſultus fuit, quique Conſul in Faſtis cum M. Marcello, anno DCCII.
» deſcriptus eſt. De eo meminit Cicero, cum inquit: Tua nobilitas Ser.
» Sulpici, hominibus litteratis & hiſtoricis notior, pater enim fuit equeſtri
» loco, auus nulla illuſtri laude celebratus. Itaque non ex ſermone hominum
» recenti, ſed ex Annalium vetuſtate eruenda eſt memoria nobilitatis tuæ &c. Cæſar cum ad bellum Africanum proficiſceretur, Ser. Sulpicium Græciæ præfecit. Cicero Ep. VI. lib. VI. quo quidem tempore ad illum ſcripſit epiſtolas, quæ in lib. XIII. leguntur. Ad M. Antonium bello Mutinenſi ex
De iuris origine. S. C. legatus de pace cum L. Piſone, & L. Philippo miſſus, in Legatione mortem obiit. De quo ornando cum in Senatu ageretur, Cicero ſuaſit, vt Sulpicio ſtatua pedeſtris ænea in Roſtris poneretur, quam ſua ætate pro Roſtris Auguſti extitiſſe Pomponius teſtatur. Senatuſconſultum in Ciceronis ſententiam factum de honoribus Ser. Sulpicio Q. F. Lemonia Rufo tribuendis exſtat in lib. Philipp. IX. Illud autem in huius denarij inſcriptione maxime dignum eſt, vt notetur Sulpitiam Ruforum familiam duobus ſimul prænominibus vſam fuiſſe, cuius quidem rei ignoratio cauſa fuit, cur
In vita Attici. quidam docti viri, Cornelij Nepotis locum deprauarint, apud quem, altero e Sulpicij fratris prænominibus deleto, altero retento, corrigere arbitrati hiſtorici verba quæ vacabant mendo macularunt. Itaque vt ſuæ nobiliſſimus ſcriptor reſtituatur integritati, eius verba ita erunt corrigenda, vt in
» manuſcriptis omnibus libris legi animaduertimus. Namque Anicia Pomponij
» conſobrina nupſerat M. Seruio fratri Sulpicij &c. Liuius ad annum V. C.
Lib. 3. CCXCIIX. P. Sulpicium nominat vnum ex tribus legatis miſſis in Græciam ad deſcribendas leges, quique poſt X-Vir fuit; quem antea in Conſulatu anno CCXCI. Ser. nominauit: Nam eumdem eſſe ex Dionyſio Halicarnaſſeo conſtat, qui hos legatos viros fuiſſe Conſulares ſcribit. Itaque ille ipſe Sulpicius inter tres legatos conſulares miſſos a Senatu ad plebem in ſecunda
In Corneliana. eius ſeceſſione, ab eodem Liuio ad annum V. C. CCCIII. & ab Aſconio, P. nominatur, a Græcis vero ſcriptoribus Ser. Sed ad hanc noſtram de duobus Ruforum familiæ prænominibus confirmandam obſeruationem, illud etiam addi poteſt, SER. SVLPICIVM RVFVM nominari, quod puto animaduertiſſe doctiſſimum virum Bernardum Rutilium, qui in eo libro quem de vitis Iuriſconſultorum edidit, in P. Seruio Sulpicio, ita ſcribit.
» Itaque redeo ad Ser. Sulpicium, cui quidam prænomen P. addunt, Cicero
» etiam Rufi, & Lemoniæ cognomine. Alterum quidem vidit Rutilius, P. ſcilicet Seruium prænominari Sulpicium. Lemoniam vero, Tribus, in qua

cenſebātur nomen eſſe, non vidit. Vt autem eorum, quę ad denarij explicationem faciunt, nihil omittamus, dicendum aliquid eſt de Seruij prænomine: id enim cum tribus tantum litteris SER. notari in veteribus monumentis ſoleat, quærendum eſt, cur in hoc denario integrum prænomen SERVIVS ſcriptum ſit. Prænomina apud Romanos vnica tantum littera, vel duabus, vel ad ſummum tribus notari ſolita fuiſſe vel mediocriter Romanæ antiquitatis peritis notum eſſe opinor. Eorum vero quædam aliquibus familiis ita peculiaria fuerunt, vt pro nominibus poſita ſæpiſſime inueniantur. Exempla occurrunt hæc. Claudia gens non aliis frequentius prænominibus vſa eſt, quam AP. & TI. cum igitur Ap. Claudius vel Ti. Claudius a ſcriptoribus nominantur, ſolo prænomine, atque eo tunc non diminuto, notari ſolent, Ep. 1. lib. 1.
Appius ſcilicet & Tiberius. Hinc Cicero ad Appium, Quamquidem, inquit, " ego ſi forte de tuis ſumpſero, non ſolum Pallada, ſed etiam Appiada " nominabo &c. Dixiſſet enim Claudiada, niſi tunc Appius ex prænomine notior, quam ex nomine fuiſſet. Sulpiciæ autem genti, Seruij prænomen ita familiare fuit, vt Sulpicij qui eo vſi ſunt, ſolo prænomine fere ſemper ſignificentur. Seruius tamen tuus, inquit Cicero ad Ser. Sulpicium, omnibus officiis, quæ illi tempori tribui potuerunt, declarauit &c. Et alibi: Seruius " quidam tuus in omnibus ingenuis artibus, in primiſque in hac, in qua ego " me ſcripſi acquieſcere, ita verſatur, vt excellat. Satis ſibi nominis, inquit " Tacitus, ſatis poſteris ſuis nobilitatis quæſitum: poſt Iulios, Claudios, " Seruios, ſe primum in familiam nouam imperium intuliſſe, &c. Ita enim eſt " in manuſcriptis omnibus libris. Sergios autem pro Seruios video repoſitum fuiſſe ab iis, qui inter Iulios & Claudios gentium nomina, male Seruios quod prænomen eſſet, poſitum exiſtimarunt. Si quis vero denarij inſcriptione Sulpicium eum, quem diximus Iuriſconſultum fuiſſe, indicari non putat (quod is P. Seruius dictus ſit, hic autem L. Seruius) ſed alium eiuſdem gentis inſignem virum, cuius etiam imago in denario depicta ſit, deſignari mauult, non multum laboro, dummodo illud conſtanter retineatur, duobus, quicunque is ſit, prænominibus notatum eſſe. Magis tamen vt dixi placeret referri denarium ad Rufum iuriſconſultum, cuius in primo prænomine facile a librariis errari potuit. Niſi forte imago quidem Iuriſconſulti ſit, inſcriptio vero ad L. Seruium Rufum eius filium pertineat, qui denarium in patris honorem ſignauerit. Ab eodem autem quintum

(Margin notes: Ep. 4. l. 4. — Ep. 3. — Lib. 18.)

5. quoque tabellæ aureum nummum cuſum fuiſſe crediderim, ad illuſtrandum aliud familiæ ſuæ monumentum, ex qua exſtiterit Ser. Sulpicius is, qui TVSCVLVM obſidione exemerit. Huius rei exſtat apud Liuium hiſtoria. Lib. 6.
Veliterni, inquit, coloni geſtientes otio, quod nullus exercitus Romanus " eſſet, & agrum Romanum aliquoties incurſauere, & Tuſculum oppugnare " adorti ſunt. Eaque res Tuſculanis veteribus ſociis, nouis ciuibus opem " orantibus verecundia maxime, non patres modo, ſed etiam plebem mouit. " Remittentibus Tribunis plebis, comitia per Interregem ſunt habita. Creati " Tribuni militum L. Furius, A. Manlius, Ser. Sulpicius, Ser. Cornelius, A. " & C. Valerij, haud quaquam tam obedientem in delectu, quam in Comitiis "

» plebem habuere: ingentique contentione exercitu ſcripto profecti, non ab » Tuſculo modo ſubmouere hoſtem, ſed intra ſuamet mœnia compulere. » Obſidebanturque haud paulo vi maiore Velitræ, quam Tuſculum obſeſſum fuerat. Sextus denarius vt ex inſcriptione intelligitur a Ser. Sulpicio cuſus 6. eſt: ſed a quo Sulpicio, mihi quidem incertum eſt, cum multi in hac gente eo prænomine vſi reperiantur. Ex iis vero, quæ in altera denarij parte impreſſa ſunt, captiui ſcilicet ſigno, & naualibus inſtrumentis, ſatis conſtat, in P. Sulpicij memoriam ſignatum eſſe, qui Conſul cum C. Aurelio fuit anno DLIII. Nauis enim, velum, anchora, temo, & acroſtirium,
Lib. 32. ad naualem Sulpicij in Macedoniam traiectum pertinent, de quo Liuius, » his verbis, meminit. Tum P. Sulpicius ſecundum vota in Capitolio » nuncupata, paludatus cum lictoribus profectus, ab vrbe Brundiſium venit, » & veteribus militibus voluntariis ex Africano exercitu in legiones deſcriptis, » nauibuſque ex claſſe Conſulis Cornelij lectis, altera die quam a Brundiſio » ſoluit, in Macedoniam traiecit &c. Idem Sulpicius Daſſaretiorum poſtea in Macedonia fines populatus eſt, & cum Philippo congreſſus, regis copias fudit, fugauitque: ad quod factum celebrandum captiui ſignum in denario » impreſſum eſſe opinor. Liuius paulo poſt. Sulpicius in ipſa Macedonia » congreſſus, fudit fugauitque regem, partem opulentiſſimam regni eius » depopulatus.



PRIMVS tabellæ denarius niſi ad Ser. Galbam, qui Romæ imperauit, 1. referatur, dubium non eſt, quin Ser. Sulpicio tribuendus ſit ei, a quo
Lib. 7. c. 3. Galba Imp. genus duxiſſe dicitur. De eo Suetonius meminit his verbis: » Familiam illuſtrauit Ser. Galba, Conſularis temporum ſuorũ eloquentiſſimus: » quem tradunt Hiſpaniam ex Prætura obtinentem XXX. Luſitanorum

millibus perfidia trucidatis Viriatini belli cauſam exſtitiſſe. Eius nepos ob repulſam conſulatus infenſus Iulio Cæſari, cuius legatus in Gallia fuerat, conſpirauit cum Caſſio & Bruto. Propter quod Pedia lege damnatus eſt. Ab hoc ſunt Imp. Galbæ auus & pater. Hiſpaniæ imagini ob prouinciæ fertilitatem & in re militari præſtantiam, ſpicas, clypeum, & haſtas appingi in Numiſmatibus ſolere ſupra diximus. Statua vero equeſtris, quæ eſt in altera denarij parte ſignata, poteſt ad Galbæ equeſtrem aliquam ſtatuam pertinere, quæ ab Hiſpanis ei decreta fuerit. Tertius huius tabellæ denarius tribuitur a quibuſdam C. Sulpicio C. F. Galo, qui Conſul anno DLXXXVII. cum M. Claudio Marcello fuit, propterea quod in denario C. F. vt etiam in Faſtis deſcriptus ſit. Ad quem referendos etiam putant nummos æreos, qui cum MESSALAE, SISENNAE, & APRONII nominibus circumferuntur, quique ſunt a nobis APRONIO GALO tributi, cum ob alia, tum quod moneta illa a III-Viris, vt ex eius inſcriptione apparet, cuſa, non a IIII-Viris, fuit, tot enim Monetales in eo numerantur, Si GALVS Apronij cognomen non eſſet. Mihi vero magis placeret, ſi denarius huiuſmodi ad C. Sulpicium Platorinum referretur, a quo ſunt ſequentes denarij ſignati: quique apud Lauinium, vt videtur, ortus, porcam & Penates deos, qui Lauini colebantur, vt patriam indicaret ſuam, in tertio denario fortaſſe impreſſit. Sed primum mihi de Penatibus, & porca Lauini-ne eorum ſimulacra fuerint, dicendum eſt: deinde ex gente Sulpicia quærendum an aliquis natus apud Lauinium fuerit. De Penatibus quidem diis Varro ita ſcribit. Oppidum, quod primum conditum in Latio ſtirpis Romanæ Lauinium, nam ibi dij Penates noſtri. Crimini, inquit Pædianus, dabat ſacra publica populi Romani deum Penatium, quæ Lauinij fierent, opera eius minus recte, caſteque facta eſſe. Valerius Maximus ſcribit Æneam Penates deos Troja aduectos Lauinij collocaſſe. Cum eo conſentiunt Dionyſius, & Macrobius. Addit præterea Dionyſius, duos tantùm eſſe Penates deos, pilaque in manibus habere. Qua forma in altera denarij parte expreſſi ſunt. De porca, Varronis tantum verba ſat erit proferre, quæ ſunt hæc. In quo illud antiquiſſimum fuiſſe ſcribitur, quod ſus Æneæ triginta porcos peperit albos. Itaque quod portenderit, factum, triginta annis vt Lauinenſes conderent oppidum Albam. Huius ſuis ac porcorum etiam nunc veſtigia apparent: iam ne ſimulacra eorum ænea etiam nunc in publico poſita, & corpus matris ab ſacerdotibus quod in ſalſura fuerit, demonſtratur &c. De Sulpicia familia, quæ Lauini domicilium habuit poſſem Taciti locum afferre, ſi Lauinium ab aliquo ſcriptorum municipium appellari alicubi obſeruaſſem eius tamen verba, ſi quid ad rem faciunt, adducam. Sub idem tempus, inquit, vt mors Sulpicij Quirini Publicis exequiis frequentaretur, petiuit a Senatu. Nihil ad veterem & Sulpiciam Patriciorum familiam Quirinus pertinuit, ortus apud municipium Laniuium, ſed impiger militiæ, & acribus miniſteriis Conſulatum ſub Diuo Auguſto, mox expugnatis per Ciliciam Homonadenſium caſtellis inſignia triumphi adeptus &c. Paſſim autem a librariis in eo erratur, vt pro Lauinio ſcribant Laniuium, & pro Laniuio Lauinium.

Lib. 4. de Lingua Latina.

In Orat. pro M. Scauro.

Lib. 1. c. 8.

Lib. 1.

Lib. 3. Saturnal.

Lib. 2. c. 4. de re ruſt.

In quarti denarij altera parte, Roſtra quædam, & duo in eis ſedentes viri, 4.
quantum ego coniicio, Auguſtus & Agrippa, ſignati ſunt: ac Roſtra
quidem opinor eſſe ea, quæ Iulia ſiue Noua appellata ſunt, de quibus
Lib. 56. meminit Dio. Προτεθείσης δὲ, inquit, τῆς κλίνης ἐπὶ τοῦ δημηγορικοῦ βήματος, ἀπὸ
μὲν ἐκείνου ὁ Δροῦσος τὶ ἀνέγνω, ἀπὸ δὲ τῶν ἑτέρων ἐμβόλων τῶν Ἰουλίων, ὁ Τιβέριος
„ δημόσιον δή τινα κατὰ δόγμα λόγον ἐπ' αὐτῷ τοιόνδε ἐπελέξατο. Hoc eſt, Feretro poſito
„ ad Roſtra, pro illis Druſus quamdam orationem de ſcripto recitauit:
„ Ceterum pro Roſtris Iuliis Tiberius ex S. C. ad populum in hæc propemodum
„ verba peiorauit. Suetonius tamen Auguſtum bifariam laudatum ſcribit,
pro æde Diui Iulij a Tiberio, & pro Roſtris Veteribus a Druſo Tiberii filio.
Earumdem vero nauium fortaſſe roſtris ſuggeſtum huiuſmodi ornatum fuit,
quibus Iulii quoque ſacrarium ſiue heroum ab Auguſto exornatum fuiſſe
Lib. 51. idem Dio ſcribit, his verbis. Τά τε γὰρ νικητήρια αὐτῷ ὡς καὶ τῆς Κλεοπάτρας,
καὶ ἁψῖδα τροπαιοφόρον ἔν τε τῷ Βρεντεσίῳ καὶ ἑτέραν ἐν τῇ Ῥωμαίᾳ ἀγορᾷ ἔδωκαν.
Τήν τε κρηπῖδα τοῦ Ἰουλιείου ἡρῴου τοῖς τῶν αἰχμαλωτίδων νεῶν ἐμβόλοις κοσμηθῆναι καὶ
πανηγυρεῖν οἱ πεντετηρίδα ἄγεσθαι, ἔν τε τοῖς γενεθλίοις αὐτοῦ καὶ ἐν τῇ τῆς ἀγγελίας τῆς
„ νίκης ἡμέρᾳ. Hoc eſt, Nam ei & de Cleopatra triumphus conceſſus eſt, &
„ fornix trophæum gerens Brundiſij, aliuſque in Foro Romano, vtque ſacrarii
„ Iulii baſis, captiuarum nauium roſtris ornaretur: ludique in honorem eius
„ quinquennales haberentur: feriæ eſſent natali eius die, ac ea die, qua
„ victoriæ nuncius allatus fuit &c. Iiſdem vero roſtris columnam etiam in
Lib. 5. Foro Romano exornatam fuiſſe ſcribit Appianus cui Auguſti ſtatua aurea
ſuperimpoſita fuit, quæ in argenteo quodam Auguſti denario expreſſa eſt.
Appiani verba ſunt hæc. Καὶ ἐπὶ κίονος ἐν ἀγορᾷ χρύσεος ἔστη μετὰ σχήματος οὗπερ
ἔχων εἰσῆλθε καὶ περικειμένων τῷ κίονι νεῶν ἐμβόλων. καὶ ἔστη μὲν ἡ εἰκὼν ἐπιγραφὴν
ἔχουσα, ὅτι τὴν εἰρήνην ἐστασιασμένην ἐκ πολλοῦ συνέστησε κατὰ γῆν καὶ θάλασσαν. Sed
in Appiani vulgatis codicibus mendoſe leguntur cum alia, tum vox ἐπινίκιος,
pro ἐπὶ κίονος, quæ nos auxilio veteris denarii ſuæ, integritati reſtituimus.

TARQVITIA.




TARQVITIAE Gentis Patriciæ mentio frequens eſt cum in Faſtis Capitolinis, in quibus L. Tarquitius Flaccus L. Quinctio Cincinnato Dictatore Magiſter Eq. anno CCXCV. deſcribitur, tum in antiquis inſcriptionibus, quarum exempla ſunt hæc.

L. TARQVITIO

L. TARQVITIO
L. F. POM.
ETRVSCO
SVLPICIANO
SCRIBAE QVAESTORI
EX TESTAMENTO
DE HS. XX.


L. TARQVITIO MARCIANO
FILIO DVLCISSIMO QVI
VIXIT ANNIS VIIII. MENS. VI.
DIEBVS XVIIII. HORIS XI.
L. TARQVITIVS TROPHIMVS
ET TARQVITIA EVTYCHIA
PARENTES FILIO DVLCISSIMO
FECERVNT CVIVS CORPVS CAVSA
PONDERIS ANTE ARA POSITV EST.

Cornelius Tacitus facit Tarquitij Creſcentis memoriam. C. autem TARQVITIVM qui in huius tabellæ denario notatus eſt. Sertorij in Lib. 15. Hiſpania partes, contra quem, vt ſcribit Plutarchus C. Annius Sullæ legatus miſſus eſt, ſecutum fuiſſe, colligi poteſt ex Salluſtij hiſtoriarum In Sertorio. fragmento, quod eſt apud Seruium Grammaticum in lib. 1. Æneid. in quo ſcriptum eſt. Igitur diſcubuere, Sertorius inferior in medio, ſuper eum L. " Fabius Hiſpanienſis Senator ex proſcriptis, in ſummo Antonius, & infra " ſcriba Sertorij Verſius: alter ſcriba Mæcenas in imo; medius inter " Tarquitium & dominum Perpennam &c. Ex eadem gente M. Tarquitius " ille ſub Nerone Proconſul de quo nihil exſtat apud veteres ſcriptores quos quidem legerim apparet ex verbo παρεάγοντος & particula NEIK rem geſſiſſe apud Nicopa, vel Nicopolim, vel Nicomediam.



TERENTIA Gens inter plebeias ab antiquis ſcriptoribus numeratur. Ex ea enim exſtitit C. Terentius Tr. pl. qui anno CCXCI. legem tulit, vt Quinque-Viri crearentur, legibus de imperio Conſulari ſcribendis, ne ipſi libidinem ac licentiam ſuam pro lege haberent. C. TERENTIVS Liuius l. 3. LVCANVS qui in primo tabellæ denario notatus eſt, nominatur a Plinio. Dion. l. 10. Lib. 35. c. 7. Pingi autem, inquit, gladiatoria munera; atque in publico exponi cœpta a

C. Terentio Lucano. Is auo ſuo a quo adoptatus fuerat, triginta paria in foro
per triduum dedit, fabulamque pictam in nemore Dianæ poſuit. Eiuſdem,
vt opinor, Donatus Grammaticus in vita Terentij facit mentionem, his
verbis. P. Terentius Afer, Carthagine natus, ſeruiuit Romæ Terentio
Lucano Senatori: a quo ob ingenium, & formam non inſtitutus modo
liberaliter, ſed & mature manumiſſus. Ab eodem autem C. Terentio, vt ex
inſcriptione apparet, ſecundus & tertius nummus cuſus fuit: cuius cognomen 2.
tribus notatum litteris LVC ſcio ab aliis Lucrio interpretari; ſed quam 3.
recte ipſi viderint. Quartum tabellæ denarium, in quo Iouis Terminalis caput 4.
impreſſum eſt, a M. TERENTIO VARRONE ſignatum eſſe, quo tempore
Cn. Pompeij in Hiſpania legatus erat, vel ex ipſa quinti denarij inſcriptione,
quæ ab imperito Latine homine (& vt videtur Hiſpano) primum deſcripta,
deinde impreſſa in denario fuit, intelligere poſſumus. Cuſit autem Varro
monetam huiuſmodi, vt ex eius titulo colligitur, cum in Hiſpania præter
legati munus, Pro-Quæſtorio etiam officio fungeretur; cuius argenti publice
ſignandi in prouinciis cura in primis fuit. Pompeium vero Hiſpaniam
prouinciam Pro-Conſulari poteſtate admiſtrandam obtinuiſſe, & ſupra in
eius denariis ſcripſimus, & ad huius monetæ intelligentiam, Velleij verba
„ & Suetonij proferemus. Quippe, inquit Velleius, Pompeius in ſecundo
„ Conſulatu Hiſpanias ſibi decerni voluerat, eaſque per triennium abſens
„ ipſe ac præſidens Vrbi per Afranium & Petreium Conſularem ac Prætorium
„ Legatos ſuos adminiſtrabat &c. Suetonij verba ſunt hæc. Appellatiſque
Lib. 1. cap. „ de Rep. Patribus, validiſſimas Pompeij copias, quæ ſub tribus Legatis M.
„ Petreio, & L. Afranio, & Varrone in Hiſpania erant, inuaſit. Ad hoc autem
Pompeij indicandum imperium, ſceptrum & aquila in altera denarii parte,
vt opinor, impreſſa eſt. Nam delphin ad maris imperium pertinet, quod
Cn. Pompeio ex S. C. bello Piratico demandatum eſt; cui quidem gerendo
Lib. 3. cap. 11. vnus ex eius Legatis M. hic Varro præfuit, quoque confecto, roſtrata
Lib. 7. cap. 30. „ corona donatus a Pompeio fuit. Poſt eum, inquit Plinius, M. Varro cum
„ claſſibus Pompeii Piratico bello præeſſet. Et alibi. Cedunt & roſtratæ,
„ quamvis in duobus maxime ad hoc æui celebres: M. Varrone e Piraticis
„ bellis, dante Magno Pompeio: itemque M. Agrippa, tribuente Cæſare e
„ Siculis; quæ & ipſa Piratica fuere. Sed M. Varronem in bello contra Piratas
Pompeii claſſi præfuiſſe *& tenuiſſe Ægeum & Ponticum mare*, Florus, Appianus
Lib. 3. Lib. 41. in Mithridatico, & Dio ſcripſerunt. QVINTI TERENTII CVLLEONIS
*ſub Auguſto Duum-Viri Col. deducendæ, vt probabile eſt, nulla mentio fit apud
veteres quos quidem legerim.*



THORIAM Gentem plebeiam fuiſſe inter omnes fere ſcriptores conſtat. L. THORIVS BALBVS, qui huius tabellæ denarium cuſit, is opinor eſt, cuius Cicero meminit, his verbis. L. THORIVS BALBVS fuit Lanuuinus: quem meminiſſe tu non potes. Is ita viuebat, vt nulla tam exquiſita poſſit inueniri voluptas, qua non abundaret. Erat & cupidus voluptatum, & cuiuſvis generis eius intelligens, & copioſus; ita non ſuperſtitioſus, vt illa plurima in ſua patria ſacrificia & fana contemneret: ita non timidus ad mortem, vt in acie ſit ob Remp. interfectus &c. Quod autem Lanuuio municipio THORIVS natus fuiſſet, Iunonis Soſpitæ ſimulacrum, quæ Lanuuii colebatur, in altera denarii parte ſignauit, inſcriptionemque adiecit I. S. M. R. hoc eſt, IVNO SOSPITA MAGNA ſeu MAXIMA REGINA. Vtrumque enim Iunoni tributum fuiſſe Virgiliani verſus demonſtrant, (Lib. 2. de finibus.)


——————tibi enim, tibi Maxima Iuno
Mactat ſacra ferens &c. &
Iunonis magnæ primum prece numen adora.

Ouidius quoque Iunonem Magnam appellauit his verſibus. (In Faſtis.)

Monte ſub Exquilio multis inceduus annis,
Iunonis Magnæ nomine lucus erat.

In altera denarii parte THORIVS impreſſit taurum, vel familiæ nomen indicans ab eo animali deductum, (nam multa nomina, inquit Varro habemus ab vtroque pecore, vt Porcius, Ouilius, Caprilius, Equitius) vel certe ad legem reſpiciens, quam tulit Sp. Thorius Tribunus plebis in eos, quorum a pecore agri publici depaſti eſſent. Qui cum ageretur in Senatu de agris publicis, & lege Thoria præmeretur Lucilius ab iis, qui a pecore eius depaſci agros publicos dicerent &c. Alteram quoque legem Thorius tulit, qua agrum publicum vectigali leuauit, cuius Cicero meminit, his verbis: Sp. Thorius ſatis valuit in populari genere dicendi, is qui agrum publicum vitioſa & inutili lege, vectigali leuauit. Appianus autem a Sp. Thorio Tr. Pl. legem latam eſſe ſcribit, ne agri amplius diuiderentur, ſed poſſeſſoribus in iis relictis, vectigalia pro iis penderentur, eaque pecunia populo diuideretur. Eius verba ſunt. Μεχρὶ ΣΠΟΥΡΙΟΣ ΘΟΡΙΟΣ δημαρχῶν εἰσηγήσατο νόμον, τὴν μὲν γῆν μηκέτι διανέμειν, ἀλλ' εἶναι τῶν ἐχόντων, καὶ φόρους (De re ruſt. lib. 2. c. 1.) (Cicero l. 2. de Orat.) (In Bruto.) (Lib. 1. bel. ciuil.)

ὑπὲρ αὐτῆς τῷ δήμῳ κατατίθεσθαι, καὶ τὸ δὲ τὰ χρήματα χωρεῖν ἐς διανομάς, ὅπερ ἦν μέν τις τοῖς πένησι παρηγορία διὰ τὰς διανομάς, ὄφελος δ᾽ οὐδὲν εἰς πολυπληθίαν.



TITIAM Gentem plebeiam fuiſſe, vel ex hoc maxime conſtat, quod multi ex ea Tribuni plebis exſtiterunt, a quibus latæ ſunt leges, quæ de vectigali agrorum, de luſu, de Trium-Viratu Quinquennali, de donis & muneribus inſcriptæ, ſub Titiæ Gentis nomine circumferuntur. Q. autem Titius, qui eſt in huius tabellæ denariis notatus, non ſatis ex ſcriptoribus conſtat, quis fuerit, quove tempore vixerit: nec enim Q. Titium indicari arbitror, qui (vt apud Plutarchum Sulla in x. commentario ſcribit) non obſcurus inter Romanos ciues fuit, qui tunc in Græcia negotiabantur, is enim Marcus prænominatur in antiqua hac inſcriptione, cuius exemplum ſubieci, ſi modo idem ſit cum eo, quem Plutarchus nominat.

CIVES ROMANI QVI
MITYLENIS NEGOTI
ANTVR
M. TITIO L. F. PRO-COS.
PRAEF. CLASSIS COS.
DESIGNATO PATRONO
HONORIS CAVSA.

Pegaſus autem qui eſt in altera denariorum parte impreſſus, adduxit quoſdam, vt ad Titium Poëtam de quo meminit Horatius, referendos hos denarios putarint. Eius verſus ſunt hi, (Ep 3. lib. 1. ad Iulium Florum.)

Quid Titius Romana breui venturus in ora,
Pindarici fontis qui non expalluit hauſtus?

In quorum explicatione Porphyrio ita ſcribit. » Titius Poëta hic voluit » Pindarum Latino ſermone vertere. Deridet autem hunc Horatius, quod » auſus ſit ſacrum opus contaminare. Poteſt tamen & vere laudare; nam » Tiberij comes, & doctiſſimus fuit, & lyrica conſcripſit &c. Vt igitur Titio » huic denarios huiuſmodi quidam referrent, imago etiam impulit, quæ in denario, quadrato Hermæ impoſita eſt. Clarorum enim & inſignium aliqua

virtute virorum capita Hermis imponi ſolita fuiſſe diximus in eo libello, quem nuper de imaginibus eruditorum edidimus. Victoriæ quoque ſimulacrum in vno denariorum impreſſum, ad Titij in Poëticis certaminibus victoriam aliquam referri poteſt, cuiuſmodi multæ Comicorum & Tragicorũ poëtarum inter ſe certantium a Græcis Latiniſque ſcriptoribus celebrantur. Mihi vero magis placeret, ſi pegaſi ſignum, Corintho coloniæ a Cæſare Dictatore deductæ, & ab Auguſto poſtea iuſtauratæ tribueretur: ad quam fortaſſe reſpexerit Q. Titivs, qui frater vel conſanguineus eſſe potuit L. Titij, qui Tr. Mil. legionis Vernaculæ ſub Cæſare, ab Hirtio dicitur. Eius item conſanguineus, qui Antonij iuſſu, cuius partium fuit, Sex. Pompeium in Aſia interfecit; cui, vt inquit Velleius, in tantum durauit hoc facinore contractum odium, vt mox ludos in theatro Pompeij faciens, execratione populi, ſpectaculo quod præbebat, pelleretur. Hunc Appianus P. Titium nominat; eumdemque opinor fuiſſe cum eo, qui Tri. pl. legem tulit, vt Tres-Viri conſulari poteſtate Reipub. conſtituendæ in quinquennium crearentur.

Lib. 4. de bello Alex.

Lib. 4 bell. ciuill.

Liuius in Epit. l. 120.

TITINIA·




Titinia Gens familias habuit Patricias & plebeias. Patriciæ meminit Liuius, cum inquit: Non tamen vltra proceſſum eſt, quam vt vnus « ex plebe vſurpandi iuris cauſa P. Licinius Caluus Tr. Militum Conſulari « poteſtate crearetur: ceteri patricij creati P. Mænius, L. Titinius, P. Melius, « Sp. Furius Medullinus, L. Publilius Vulſus &c. Plebeiæ idem Liuius facit « mentionem, in quo M. Titinium nominat Tribunum plebis creatum anno « CCCIV. quo tempore plebs in Auentinum ob facinus Ap. Claudii Craſſini « X-Viri ſeceſſerat. *Ille eſt fortaſſis qui in ſecundo nummo ſignatur.* C. autem Titinivs qui in primo huius tabellæ denario notatus eſt vt ex numero XVI. in eius altera parte adiecto colligitur, denariorum flandorum curator fuit, anno Vrbis DXXXVI. quo vt Plinii verbis vtar Q. Fabio Maximo « Dictatore, Annibale vrgente, aſſes vnciales facti ſunt, placuitque denarium « ſexdecim aſſibus permutari, quinarium octonis, ſeſtertium quaternis. Hinc « autem factum eſſe opinor vt cum in aliis denariis X nota apponi ſoleat, quod denos aſſes valerent, in hoc XVI appoſita ſit, qua ſcilicet ſignificaretur, denarium non vt ante decem aſſes, ſed ſexdecim valere. Veriſimile etiam eſt populum Romanum ære alieno preſſum, inſequentibus quoque annis

Lib. 5.

Lib.

Lib. 33. cap. 3.


monetæ pondus minuiſſe, denariumque huiuſmodi a C. Titinio eo, qui tunc temporis monetæ cudendæ præfuerit, ſignatum fuiſſe. Multi enim a ſcriptoribus ex Titinia gente nominantur, quibus denarius tribui poſſit. Lib. 3. c. 2. Valerius Max. meminit C. Titinij Minturnenſis qui vxori a C. Mario dotem reddere coactus fuit, quod eam impudicam de induſtria duxerat, vt dote Lib. 4. bell. ciuil. ſpoliaret. Id tradit Plutarchus in Mario. Appianus & Plutarchus in Bruto faciunt mentionem Titinij eius, qui bello Philippenſi a Caſſio de Bruti victoria ſciſcitatum miſſus, quod tardius reuerſus Caſſio mortis cauſa fuiſſet, Lib. 5. ſeipſum interfecit. Idem Appianus Titinii facit mentionem, qui in bello nauali contra Sex. Pompeium Cæſarianæ claſſi præfuit. Sed longum eſſet Titinios omnes colligere, qui ab antiquis ſcriptoribus nominantur: quibus proferendis eo libentius ſuperſedeo, quod ad denarii huius intelligentiam, nihil, vel parum faciunt.



TITVRIAM Gentem e Sabinis Romam veniſſe ſatis conſtat, cum ex eius cognomine, tum ex imagine, quæ eſt in denariis impreſſa T. Tatij Sabini quem Romæ annos quinque cum Romulo regnaſſe, cum eſſet ab eo in regni conſortium adſcitus, notum eſt. Eodem pertinet Sabinarum expreſſus in denariis raptus, & Tarpeia coniectis ſcutis a Sabinis necata. Raptas autem a Romanis Sabinas fuiſſe ludis Conſualibus in Circo, Vrbis conditæ anno quarto, indeque bellum primum Sabinum exortum eſſe,
Lib. 1. omnes fere ſcriptores tradunt. Ludos, inquit Liuius, ex induſtria parat
„ Neptuno equeſtri ſolemnes; Conſualia vocat. Indici deinde finitimis
„ ſpectaculum iubet, quantoque apparatu tunc ſciebant, aut poterant,
„ concelebrant, vt rem claram, expectatamque facerent. Multi mortales
„ conuenere ſtudio etiam videndæ nouæ Vrbis; maxime proximi quique
„ Cæninenſes, Cruſtumini, Antemnates. Iam Sabinorum omnis multitudo,


cum liberis ac coniugibus venit: inuitati hoſpitaliter per domos: cum ſitum mœniaque, & frequentem tectis Vrbem vidiſſent, mirantur tam breui rem Romanam creuiſſe. Vbi ſpectaculi tempus venit: deditæque eo mentes cum oculis erant: tum ex compoſito orta vis, ſignoque dato iuuentus Romana ad capiendas virgines diſcurrit: magna pars forte vt in quem quæque inciderat, raptæ: quaſdam forma excellentes primoribus patrum deſtinatas ex plebe homines, quibus datum negotium erat, domos deferebant &c. Romanis Sabinas rapiendi cauſa quæ fuerit, narrat idem Liuius. De Ibidem Diouyſ.
Tarpeia ſcriptum eſt in gente PETRONIA. L. autem TITVRIVS SABINVS, Halicarn.
4. qui argento publice feriundo præfectus, quatuor huius tabellæ denarios ſignauit, poteſt frater eſſe Q. Titurij Sabini, qui Cæſaris legatus in Gallia
5. fuit. Cuius etiam filius credi poteſt fuiſſe P. SABINVS, qui quintum Quinarium percuſſit: in cuius altera parte trophæum & victoriam expreſſit, ad patris contra Vnellos geſta fortaſſe reſpiciens, de quibus ita ſcribit Lib. 3. de bel. Gallic.
Cæſar. Dum hæc in Venetis geruntur, Q. Titurius Sabinus cum his copiis, quas a Cæſare acceperat, in fines Vnellorum peruenit. Paulo poſt. Sic vno tempore & de nauali pugna Sabinus, & de Sabini victoria Cæſar certior factus eſt: ciuitateſque omnes ſe ſtatim Titurio dediderunt &c. Eiuſdem apud Eburones interfecti, meminit idem Cæſar, & Florus. Titutiæ autem Lib. 4.
familiæ mentio fit a Cicerone, & in veteri inſcriptione quæ reperta Romæ Lib. 5.
in Auentino monte fuit, in quo T. Tatij Sabini ſepulcrum fuiſſe ſcribit Dionyſius Halicarnaſſeus.

T. TITVRIVS. T. F. SABINVS
T. TITVRIVS T. F. PAL. MAMER
CVS TITVRIA SABINA
TITVLVM FECERVNT
H. M. D. M. ABEST.




TREBANIAE *Gentis, ſi attente nomen ſpectetur, nulla reperitur mentio apud eos ſcriptores quos ipſe viderim. Cicero quidem Trebatij meminit* Lib. 7.
quem Caium nominat, ideoque error factus eſt dum pro TREBANIO *Trebatius*

appoſitus eſt. Cuius quidem conuerſionis librariorum errore, admonuit me manuſcriptus locus Ciceronis in Ep. X. *libri* VI. *ad Trebianum, in qua Trebatium habebant vulgatæ editiones, cum tamen libri manuſcripti haberent Trebianum, qui pro Trebanio ſupponebatur: quomodo Ciceronis locum emendandum opinor, accedente præſertim nummorum auctoritate, in quibus manifeſte legitur* L. TREBANI.



TVLLIAM Gentem inter patricias numeratam fuiſſe, ſatis ex ſcriptoribus conſtat. M. autem TVLLIVS, qui in hoc denario notatus eſt, cum multas ea gens familias habuerit, haud facile eſt, nullo eius adſcripto cognomine, ex qua fuerit diuinare: poteſt enim denarius ad M. Tullium Deculam referri, qui Conſul fuit cum Cn. Cornelio Dolabella anno DCLXXII. poteſt etiam M. Tullio Ciceroni tribui, & fortaſſe ad triumphum
Epiſt. ad Caton. Lib. 15. ob res in Cilicia bene geſtas ei decretum ſpectare, de quo ipſe ſcribit Ciceronem autem Ciliciam Pro-Conſulari poteſtate obtinuiſſe Ser. Sulpicio
Lib. 5. ad Atticum. M. Marcello Coſſ. anno DCCII. & ex ea Imperatorem appellatum, ſupplicationeſque abſenti decretas fuiſſe, quod Sepyram, Geminorim, Eleutherocilicum, & Pindeniſſum, magna hoſtium multitudine occiſa cepiſſet, Tibarenoſque in deditionem accepiſſet, ipſe ſcribit in eadem ad Catonem epiſtola. Sed Tulliæ gentis familias, quæ a ſcriptoribus nominantur, ad quas denarius pertinere poteſt, omnes perſequi longum eſſet. Satis autem erit, vnde peti poſſint, indicare. LONGORVM mentio exſtat apud
In Bruto. Ciceronem in libro de Claris Oratoribus. CIMBRORVM in lib. II. Philipp.
Lib. 10. ad Atticum. & apud Plutarchum. MONTANORVM apud eumdem Ciceronem. RVFORVM apud Hirtium lib. V. Annalium. Apud Valerium Maximum lib. IX. cap. II. SENECIONVM & FABIANORVM lib. XV. & XIX.

VALERIAM



VALERIAM Gentem e Sabinis oriundam: cum T. Tatio rege,
quem a Romulo in regni conſortium adſcitum diximus, Romam
veniſſe tradit Dionyſius. Eius vero Principem Voluſum Valerium, Lib. 2.
vel vt tum dicebant, Valeſium, nominat Plutarchus in Poblicola: quem
etiam autorem pacis inter Romanos & Sabinos exſtitiſſe ſcribit: *Hoc præ-*
nomen iterat nummus XV. *huius familiæ.* Cum autem multas hæc gens habuerit
familias patricias & plebeias, quorum exſtat mentio apud ſcriptores, ſoli in
denariis ACISCVLI, FLACCI, MESSALAE, & CATVLLI reperiuntur;
Nam BARBATVS *agnomen eſt Meſſalarum, Quinctiorum, Horatiorum, &*
1. *Scipionum.* Ad ACISCVLOS primi ſex huius tabellæ denarij pertinent: in
2. quorum ſecundo Siren a L. Valerio impreſſa fortaſſe fuit, vt ea ſignificaretur,
Aciſculos, Acidis fluuij, atque eius in Sicilia regionis, quam Sirenes tenuerunt,
accolas aliquando fuiſſe, indeque profectos, Sabinum agrum primo tenuiſſe,
deinde ciuitatem Romanam adeptos eſſe. Acin quidem fluuium ex Ætna
monte ἀκίδος, hoc eſt teli inſtar, vnde dictus eſt, decurrere, tradit Euſtathius
in Dionyſium. Eius vero accolas Valerios fuiſſe, atque ab eo Aciſculos
pro Aciſcolos (vt in veteribus monumentis Poplicula, & Agricula, pro
Poplicola & Agricola) appellatos fuiſſe credendum eſt. Acin autem in
generandi caſu Acis facere, non Acidis, docet Probus in Catholicis; licet Lib. 13. Metam.
Ouidius dixerit,

——— latitans ego rupe, meique
Acidis in gremio reſidens &c.

Eam verò Siciliæ partem, quam iuxta Pelorum præterlabitur, Acis
quamque Apollinis terram Hyginus appellat, Sirenas tenuiſſe teſtatur
Strabo, Hyginus in Fabulis, & Seruius in commentario Æneidos.
Lib. 1. Strabonis quidem verba ſunt hæc. Τὰς γοῦν Σειρῆνας, τοὺς μὲν, ἐπὶ τῆς πελωριάδος
καθιδρύειν, τοὺς δὲ ἐπὶ τῶν Σειρηνουσῶν πλείους ἢ δισχιλίους διεχουσῶν σταδίους. Hoc eſt,
» Itaque ſunt qui Sirenas in tractu Pelorio ponant; alij ad Sirenuſas inſulas,
» quæ pluſquam duo millia abſint ſtadiorum &c. Seruij vero hæc. Sirenes
» ſecundum Fabulam tres, in parte Virgines fuerunt, & in parte volucres,
» Acheloi fluuij, & Calliopes Muſæ filiæ. Harum vna voce, altera tibiis, alia
» lyra canebat. Et primo iuxta Pelorum, poſtea in Capreis inſula habitauerunt:
» quæ illectos ſuo cantu in naufragia deducebant &c. Sirenes, inquit
» Hyginus, Acheloi fluuij, & Melpomenes Muſæ filiæ, Proſerpinæ raptu
» aberrantes, ad Apollinis terram venerunt, ibique Cereris voluntate, quod
» Proſerpinæ auxilium non tulerant, volatriæ factæ ſunt. His reſponſum erat
» tamdiu eas victuras, quamdiu cantantes eas nemo eſſet prætervectus:
» quibus fatalis fuit Vlyſſes, aſtutia enim ſua, cum præter nauigaſſet ſcopulos,
» in quibus commorabantur, præcipitauerunt ſe in mare: a quibus locus
» Sirenides appellatur, qui eſt inter Siciliam & Italiam. Hæc ad confirmandam
noſtram de Aciſculorum familia coniecturam, quod e Sicilia ſcilicet venerit,
adduci poſſunt. In tanta enim antiquitatis ignoratione, nec de Aciſculi
cognomine, nec de impreſſa cum clypeo, galea, & haſtis Sirene, quæque 3.
tauro vecta Europa in tertio denario expreſſa eſt, quicquam certi afferre
Lib. 6. c. 4. poſſum. De Aciſculi tantum cognomine apud Quinctilianum, ita ſcriptum
» inueni. Et hæc tam frigida, quam eſt nominum fictio adiectis, detractis,
» mutatis litteris in Aciſculum, quia eſſet pactus, Paciſculum: & Placidum 5.
» nomine, quia is acerbus natura eſſet: Acidum &c. Quintus tabellæ denarius,
quem etiam ab Imp. Trajano reſtitutum audio, ad L. VALERIVM ACISCVLVM
ſpectat, in eius parte altera Solis caput vel Apollinis, qui cum Sole idem eſt,
expreſſum arbitror eam ob cauſam, quod Valerius is ad Heliopolim vrbem,
hoc eſt Solis terram, vt appellat Hyginus, quod in ea ſolis armenta
paſcerentur, generis ſui originem referret. Hanc vero in ea Siciliæ parte
fuiſſe, qua Acis ex Ætna Pelorum verſus fluit, ſupra docuimus. Ex mallei
autem ſigno quod in pluribus huius gentis denariis impreſſum eſt, coniicere
poſſumus, Valerium hunc Pompeij vel Cæſaris, aut alicuius in bellis ciuilibus
partium ducis, Præfectum fabrum fuiſſe: hoc enim eius officij ſymbolum
in veteribus monumentis obſeruauimus. Præfectos vero fabrum, artificibus
Epiſt. 8 ad Oppium lib. 9. ad Atticum. qui caſtra ſequebantur, præfuiſſe notum eſt. Cæſar, Cn. Magium Pompeij
Præfectum Fabrum nominat his verbis: Cn. Magium Pompeij Præfectum
deprehendi; ſcilicet meo inſtituto vſus ſum: & eum ſtatim miſſum feci.
Iam duo Præfecti Fabrum Pompeij, in poteſtatem meam venerunt, & a me
In Bruto. miſſi ſunt. Plutarchus Flauium, cuius in Flauia gente meminimus, Bruti
Præfectum Fabrum fuiſſe ſcribit, hoc eſt, vt Græcis eius verbis vtar ἔπαρχον
τῶν τεχνιτῶν. Multi autem in veteribus inſcriptionibus nominantur Præfecti

Fabrum, quos hic notare longum eſſet, cum apud antiquitatis Romanæ ſcriptores, in promptu omnibus ſint. Satis igitur erit vnius tantum exemplum quod Alliſis exſtat, proferre.


M. GRANIO M. F.
M. N. CORDO. FRAT.
TR. MIL. PRAEF. EQVIT.
PRAEF. FABR. II. VIRO
TER QVINQ. AED. Q. CVR.
ARAE DVCENDAE ALLIFIS
D. D.

OPPIDIAE
C. F. RVFAE
MATRI.

6. In ſexti denarij vna parte Neptuni caput, in altera Tritonis ſignum inciſum eſt, ad indicandam vel Neptunij templi curationem eius familiæ, vel ad maritimam aliquam populi Romani victoriam duce aliquo ex Aciſculis partam. Reliqui duo huius tabellæ denarij ad Valeriam FLACCORVM

7. familiam ſpectant. In ſeptimo quidem C. VALERIVS FLACCVS notatus Lib. 3. c. 2.
eſt, de quo meminit Valerius Max. cum inquit: Cum Annibal Capuam in « qua Romanus exercitus erat, obſideret, Vibius Acceius Pelignæ cohortis « Præfectus, vexillum trans Pœnicum vallum projecit: ſeipſum, ſuos commilitones, ſi eo hoſtes poſiti eſſent execratus: & ad id petendum ſubſequenti « cohorte primum impetum fecit: quod vt Valerius Flaccus Tribunus tertiæ « legionis aſpexit, conuerſus ad ſuos: Spectatores, inquit, vt video alienæ « virtutis huc venimus: ſed abſit hoc dedecus a ſanguine noſtro, vt Romani « gloria cedere Latinis velimus. Ego certe aut ſpecioſam optaui mortem, « aut felicem audaciæ exitum: vel ſolus igitur præcurrere paratus ſum. His « auditis Pedanius Centurio conuulſum ſignum dextra retinens: Iam hoc, « inquit, intra hoſtile vallum mecum erit; proinde ſequantur, qui id capi « nolunt, & cum eo in caſtra Pœnorum irrupit, totamque ſecum traxit legionem « &c. Hoc Valerij factum exprimere fortaſſe voluit is, qui denarium ex ea familia cuſit C. VALERIVS FLACCVS: quem ex Gallia prouincia, quam Prætor obtinuit, Imperatorem appellatum fuiſſe, colligere poſſumus ex Ciceronis verbis. Expulſus, inquit, atque eiectus e prædio Quinctius, accepta In orat. pro P. Quinctio.
inſigni iniuria, confugit ad C. Flaccum Imperatorem, qui tum erat in prouincia: quem vt ipſius dignitas poſcit, honoris cauſa nomino. De vexillo cohortis, & aquila legionis in altera primi denarij parte impreſſa, ſcriptum eſt in Sempronia Gracchorum familia. De C. VALERIO FLACCO, qui

8. C. F. in octauo denario deſcribitur, mentio apud ſcriptores, quos ipſe viderim non exſtat: credendum tamen eſt, vixiſſe iis temporibus, quibus monetæ pondus minutum a populo Romano fuiſſe, ſupra in denario Titinij diximus. Fuit autem annus is Vrbis DXXXVI. quo factum eſt vt denarius ſexdecim aſſes valeret: ob quam cauſam XVI. nota in primo ſequentis tabellæ denario pro X. adſcripta ſine dubio eſt: quamvis fieri poteſt vt poſterioribus quoque temporibus populus Romanus ære alieno preſſus, argenti pondus minuerit, & denarius huiuſmodi a C. Valerio Flacco percuſſus fuerit, filio C. Valerij eius, qui Conſul fuit cum M. Herennio anno DCLX.



DE nota XVI. *quæ in primo tabellæ denario ſcripta eſt, abunde dictum eſt, & in* 1.
TITINIA *Gente & in ſuperioris tabellæ commentariis.* Secundus denarius 2.
Lib. II. Philipp. ad L. VALERIVM FLACCVM pertinet de quo Cicero meminit, his
„ verbis: Cum Ariſtonico, inquit, bellum gerendum fuit L. Valerio, P. Licinio
„ Coſſ. rogatus eſt populus, quem id bellum gerere placeret: Craſſus Conſul,
„ Pont. Max. Flacco Collegæ Flamini Martiali mulctam dixit, ſi a ſacris
„ diſceſſiſſet: quam mulctam populus Romanus ei remiſit, Pontifici tamen
„ Flaminem parere iuſſit. Et alibi. L. FLACCVM, inquit, hominem cum
In orat. pro C. Rabirio. „ ſemper in Rep. tum in magiſtratibus gerendis, in Sacerdotio, cæremoniiſque
„ quibus præerat, diligentiſſimum &c. Sacerdotium enim, Martiale Flacci
Flaminium intelligit: quod in denario apicis ſigno indicatur. In Faſtis etiam
In orat. pro L. Flacco. L. VALERIVS hic P. Craſſi in Conſulatu collega anno DCXXIII. Flamen
Martialis deſcriptus eſt. Eius autem Ædilitatis, ad quam ſignificandam
„ ſpica in denario impreſſa eſt, mentionem facit idem Cicero. Adiungis,
„ inquit, cauſa inimicitiarum, quod patri L. Flacci Ædili Curuli pater tuus
„ Tr. pl. diem dixerit &c. Ex quibus verbis intelligimus L. Flaccum Ædilem,
patrem fuiſſe L. Flacci eius quem Cicero defendit. Martis ſignum in altera
denarii parte, dextro tantum pede vt apparet, armatum, ad Valeriæ Gentis
originem, a Sabinis ductam pertinet, quos a Pelaſgis oriundos fuiſſe teſtatur
Lib. I. Dionyſius. Pelaſgis vero moris fuit in bello dextrum tantum pedem armare:

quem quidem morem ab Hernicis quoque, qui genus & ipſi a Pelaſgis duxerunt, ſeruatum fuiſſe, ex Virgilij verſibus intelligere poſſumus. Lib. 7. Æneid.

> Quique altum Præneſte viri, quique arua Gabinæ
> Iunonis, gelidumque Anienem, & roſcida riuis
> Hernica ſaxa colunt: quos diues Anagnia paſcit,
> Quos Amaſene pater: non illis omnibus arma,
> Nec clypei, curruſve ſonant: pars maxima glandes
> Liuentis plumbi ſpargit, pars ſpicula geſtat
> Bina manu: fuluoſque lupi de pelle galeros
> Tegmen habent capiti: veſtigia nuda ſiniſtri
> Inſtituere pedis, crudus tegit altera pero.


Macrobius Virgilianos hos verſus explicans, ita de hac re narrat. Hunc morem in Italia fuiſſe, vt vno pede calceato, altero nudo, iretur ad bellum, nuſquam adhuc, quod ſciam, reperi: ſed eam Græcorum nonnullis conſuetudinem fuiſſe locupleti autore iam palam faciam. In qua quidem re mirari eſt Poëtæ huius occultiſſimam diligentiam, qui cum legiſſet Hernicos, quorum eſt Anagnia, a Pelaſgis oriundos, appellatoſque ita a Pelaſgo quodam duce ſuo, qui Hernicus nominabatur; morem quem de Ætolia legerat, Hernicis aſſignauit, qui ſunt vetus colonia Pelaſgorum. Et Hernicum quidem hominem Pelaſgum, ducem Hernicis fuiſſe, Iulius Hyginus, non paucis verbis probat. Morem vero Ætolis fuiſſe, vno tantummodo pede calceato in bellum ire, oſtendit clariſſimus Euripides ſcriptor Tragicus, in cuius tragœdia, quæ Meleager inſcribitur, nuntius deſcribens, quo quiſque habitu fuerit ex ducibus, qui ad aprum capiendum conuenerunt. Eius verſus ſunt. (Lib. 1. Saturn.; Lib. 2. Vrbium.)

> Τελαμὼν δὲ χρυσοῦν αἰετὸν πέλτης ἔπι
> Προσβλῆμα θηρός, βότρυσι δ' ἔστεψεν κάρα
> Σαλαμῖνα κοσμῶν πατρίδα τὴν εὐδαίμονα.
> Καὶ πρὸς δὲ μίσημ' ἀρκὰς Ἀταλάντη κύνας
> Καὶ τόξ' ἔχουσα, πελέκεως δὲ δίστομον
> Γένυ. πέπλ' ἀλλακάταιος. οἱ δὲ Θεστίου
> Παῖδες τὸ λαιὸν ἴχνος ἀνάρβυλοι ποδὸς
> Τὸν δ' ἐν πεδίλοις, ὡς ἐλαφρίζον γόνυ
> Ἔχοιεν, ὃς δὴ πᾶσιν Αἰτωλοῖς νόμος.

Et eumdem pedem nudum Virgilius quoque dixit, veſtigia nuda ſiniſtri &c. Ad hunc igitur Ætolorum morem, vel Pelaſgorum etiam, a quibus Sabinos
3. & Hernicos oriundos diximus quin reſpexerit is, qui denarium ſignauit, dubitari nullo modo poteſt. L. VALERIVS CATVLLVS qui Trium-Vir auro, argento, ære flando feriundo in tertio æreo nummo notatus eſt, C. Valerij Catulli poëtæ filius, vel frater credi poteſt. De eo nulla quod ſciam
4. mentio apud ſcriptores exſtat. Quartum tabellæ denarium ad M. VALERIVM MESSALAM pertinere arbitror, qui Conſul cum Cn. Domitio Caluino fuit anno DCC. quoquidem anno eius filium Meſſalam Ædilem Curulem fuiſſe, ex denarii inſcriptione & ſella in eo impreſſa, coniicere poſſumus: cui ad

indicanda fortaſſe Liberalia, quæ in eo munere Meſſala filius fecit Bacchi thyrſus ſuppoſitus eſt. Meſſalæ autem cognomen primus M'. Valerius Maximus deuicta Meſſana adeptus eſt anno CDXC. in quo Conſulatum geſſit cum M. Otacilio Craſſo, & in eo honore Meſſala appellatus eſt. Ad eiuſdem filium Meſſalam, qui Ædilis Curulis fuit, quintus nummus pertinere 5.
poteſt: qui fortaſſe is eſt, quem Dio proſcriptum ab Antonio ſcribit, poſteaque non ſolum ſeruatum, ſed etiam Conſulem in eius locum factum eſſe anno DCCXXII. Sextus tabellæ denarius cuſus eſt a M. VALERIO 6.
BARBATO, M. Antonii Trium-Viri R. P. C. Quæſtore Prouinciali: ita notas illas interpretor Q. P. Quæſtores enim alios Vrbanos, alios Prouinciales fuiſſe, qui Pro-Coſſ. in prouincia ſequebantur, ſupra docuimus. BARBATI huius qui fuit Antonii Quæſtor, meminit Appianus licet in vulgatis libris mendoſe ΒΑΡΒΑΤΙΟΣ ſcriptum ſit. ΒΑΡΒΑΤΟΣ δὲ, inquit, ὁ Ἀντωνίου ταμίας, Ἀντωνίῳ τι προσκρούσας, καὶ διὰ ταῦτα ἐπανιὼν, ἔλεγε πυνθανομένοις τὸν Ἀντώνιον χαλεπαίνειν τοῖς πολεμοῦσι τῷ Καίσαρι κατὰ τῆς κοινῆς σφῶν δυναστείας, καὶ εἰ μὴ ὅσοι μὴ τῆς ἐξαπάτης ᾔσθοντο τῆς ΒΑΡΒΑΤΟΥ, ἐς τὸν Καίσαρα ἀπὸ τοῦ Λευκίου μετετίθεντο. „Hoc eſt: Interea BARBATVS Antonii Quæſtor, ab offenſo dimiſſus, „ſciſcitantibus militibus reſpondit, eum iraſci gerentibus bellum contra „Cæſarem, & communem potentiam: quo factum eſt, vt quotquot dolum „Barbati non ſenſerunt a Lucio deficerent ad Cæſarem. M. autem Barbati huius filius eſſe poteſt M. Valerius Barbatus Coſſ. qui M. F. in Faſtis deſcriptus eſt anno DCCXLI. de quo Suetonius meminit his verbis: Claudius „Valeriam Meſſalinam Barbati Meſſalæ conſobrini ſui filiam in matrimonium „duxit.

Lib. 5. bel. ciuil. — *Lib. 5.*



VARGVNTEIA Gens, incertum patricia ne fuerit an plebeia: opinor tamen patriciam fuiſſe; eius mentio exſtat in antiquis inſcriptionibus: quarum exempla ſunt hæc:

Gruter.

FORTVNAE EQ.
SACR.
M. VARGVNTEIVS
M. F. STELAPITIVS
7. COHOR. X. PRAEF. ET
VARGVNTEIA HILA
RA. L. SVA SVA PECVN.
V. S. L. M.


SILVANO SANCTO
ET MERCVRIO
ET LIBERO PATRI
SACRVM
M. VARGVNTEIVS M. F.
PAL. AVGVRINVS
SVA PECVNIA D. D.
III. IDVS AVGVST.
PETRONIO TVRPILIANO
ET CAESONIO PAETO COSS.

Ex hac gente fuit L. VARGVNTEIVS, qui cum Catilina coniurauit; cuius meminit Salluſtius his verbis. Eo conuenere Senatorij ordinis P. Lentulus Sura, P. Autronius, L. Caſſius Longinus, C. Cethegus, P. & Ser. Sullæ Ser. filij, L. Vargunteius, Q. Annius, M. Porcius Læca, L. Beſtia, Q. Curius, præterea ex equeſtri ordine M. Fuluius Nobilior, L. Statilius, P. Gabinius Capito, C. Cornelius &c. Quis noſtrum, inquit Cicero, adfuit Vargunteio? nemo: ne hic quidem Q. Hortenſius, præſertim qui illum ſolus antea de ambitu defendiſſet. Ex quibus verbis intelligimus, damnatum fuiſſe L. VARGVNTEIVM cum aliis, quos idem Cicero nominat. M. autem Vargunteius qui in huius tabellæ nummis deſcriptus eſt, vt ex Appiani Parthico colligitur, legatus M. Craſſi in bello Parthico fuit, quamvis mendoſe apud Appianum ΒΑΡΓΟΝΤΙΟΣ πρεσβύτης pro ΒΑΡΓΟΥΝΤΗΙΟΣ ſcriptum eſt. Eumdem indicari arbitror veteri hac inſcriptione.

Pro Flacco.

In Orat. pro P. Sulla.

M. VARGVNTEIVS . . . . .
VARGVNTEIA . . . . . .
. . . .




VERGILIA Gens ad quam pertinere arbitror argenteum denarium qui in hac tabella inciſus eſt, fuit plebeia: Sed Vergilius in eo deſcriptus, quis fuerit, quove tempore vixerit, in tanta antiquitatis ignoratione, difficile eſt affirmare. Quicumque vero ſit, curatorem eum fuiſſe cum Cariſio & Ogulnio denariorum flandorum, ex denarij inſcriptione ſatis conſtat. Hirtius C. Vergilium Prætorium nominat, qui Thapſo oppido

Lib. 5. de bell. Afric.


maritimo præerat: ſed pro Prætorium, vt eſt in vetuſtiſſimo atque optimo libro, vulgati codices habent Petronium, quod ferri nullo modo poteſt. Cicero M. VERGILII facit mentionem, qui Tr. pl. L. Sullæ Imperatori diem dixit: cuius collegam nominat P. Magium quem in dicendo fuiſſe dicit Vergilio paullo copioſiorem. Ad neutrum tamen horum referendum hunc denarium arbitror, quod multo eis antiquior Ogulnius ſit, qui Virgilij in cudenda moneta Collega in eodem denario notatus eſt. Vergilium autem & Virgilium antiquos ſcripſiſſe, quemadmodum Verginium & Virginium (ad quam Gentem poteſt etiam denarius referri) teſtimonio nobis ſunt veteres inſcriptiones, in quibus C. VERGINIVS MARTANVS, M. VERGILIVS NARCISSVS, & C. VERGINIVS RVFVS Conſul cum C. Memmio Regulo nominantur. Vetus autem in Claudianum Epigramma cum Calui carmine conſentit,

Et vates, cui virga dedit memorabile nomen
Laurea &c. Eſt enim in eo Epigrammate ita inciſum.
Ὁ ἐνὶ ΒΙΡΓΙΛΙΟΙΟ νόον, καὶ μοῦσαν Ὁμήρου
Κλαυδιανὸν Ῥώμη καὶ βασιλεῖς ἔθεσαν.



VETTIAM Gentem Sabinam fuiſſe, ex T. Tatij Sabini imagine, quæ in huius denarij altera parte impreſſa eſt, intelligere facile poſſumus: Opinor autem cum ipſo Tatio tum primum Romam veniſſe, cum a Romulo in regni conſortium adſcitus fuit, propterea quod VETTIVS quidam INTERREX a Plutarcho nominatur, quando Numa rex creatus fuit. L. autem VETTIVS qui in hoc denario notatus eſt, poteſt is eſſe, cuius indicio Catilinæ coniurationem Cicero dixerit: cuiuſque Cicero ipſe multis locis
Lib. 1. c. 17. facit mentionem: licet mendoſe apud eum pro IVDEX ſcriptum ſit Index.
„ Quod mendum irrepſit in Suetonio. Recidit rurſus, inquit, in diſcrimen
„ aliud, inter ſocios Catilinæ nominatus, & apud Nouium Nigrum Quæſtorem
Cap. 20. „ a L. Vettio Indice, pro Iudice. Et alibi: Poſtremo in vniuerſos diuerſæ
„ factionis inductum præmiis, vt ſe de inferenda Pompeio nece ſollicitatum
„ a quibuſdam profiteretur, productuſque pro Roſtris, autores ex compacto
„ nominaret: ſed vno atque altero fruſtra nec ſine ſuſpicione fraudis nominatis,
„ deſperans tam præcipitis conſilij euentum, intercepiſſe veneno Indicem
„ creditur: pro Iudicem. Pro inductum autem præmiis, eſt in veteri libro, induxit

induxit Vettium præmiis &c. Quam lectionem confirmare videtur Cicero in Vatinium. Cum L. Vettium, inquit, qui in Senatu confeſſus eſſet, ſe cum « telo fuiſſe, Cn. Pompeio ſummo & clariſſimo ciui ſuis manibus necem « afferre voluiſſe, in concionem produxeris. Iudicem in Roſtris, in illo, inquam, « augurato templo, ac loco collocaris, quo autoritatis exquirendæ cauſſa; « cæteri Tribuni plebis principes ciuitates producere conſueuerunt, ibi tu « Iudicem Vettium linguam & vocem ſuam ſceleri & menti tuæ præbere « voluiſti. Dixerit ne L. Vettius in concione ſua rogatus a te, ſe autores & « impulſores, & ſocios habuiſſe ſceleris illius eos viros, quibus e ciuitate « ſublatis, quod tu eo tempore moliebare, ciuitas ſtare non poſſet? &c. Tota « vero hæc de Vettio hiſtoria e Dione petenda eſt, qui copioſe illam narrat. Lib. 38 Vettiæ gentis aliæ quoque familiæ fuerunt, quæ nominantur a Cicerone in Lib. 5. in Bruto & alibi, ad quas referri poteſt triumphus, & Ædilitatis ſymbolum, Verrem. ſpica, quæ a L. Vettio ad celebranda gentis ſuæ monumenta, in altera denarij parte impreſſa ſunt.



VETVRIAM Gentem patriciam fuiſſe, ex veteribus ſcriptoribus ſatis conſtat. Ad eam autem pertinere arbitror huius tabellæ nummos, argenteum alterum, alterum aureum, tertium æreum: ſi modo litteræ in argenteo & æreo nummo ſignatæ TI. VETVRIVM indicant: quo quidem autore, fœdus fortaſſe a populo Romano cum aliqua gente ictum, in altera eorum parte porcæ ſignum notatum eſt, & fortaſſe fœdus illud, quod inter Romulum & Tatium reges ictum fuit, cui feriundo Veturius aliquis Fetialis interfuit. Veturiam enim gentem Regibus adhuc regnantibus, Romæ domicilium habuiſſe, vel ex eo intelligi poteſt, quod Veturius Mamurius ancylium opifex, ſub Numa Rege vixit. Quod autem in fœderibus faciundis porca mactaretur, Virgilij verſus teſtimonio nobis Lib. 8 ſunt,

————Et cæſa iungebant fœdera porca.

Liuius in deſcribenda fœderis inter Romanos & Albanos icti formula, porcam Lib. 1 adhibuit, cum inquit: Tum ita factum accepimus, nec vllius vetuſtior

» fœderis memoria eſt. Fetialis Regem Tullum ita rogauit. Iubes ne me Rex cũ
» Patrepatrato populi Albani fœdus ferire? iubente Rege Sagmina, inquit, te
» rex poſco. Rex ait, puram tollito. Fetialis ex arce graminis herbam puram
» attulit: poſtea regem ita interrogauit: Rex facis ne me tu regium nuntium
» populi Romani Quiritium? vaſa comiteſque meos? Rex reſpondit, Quod
» ſine fraude mea, populique Romani Quiritium fiat, facio. Fetialis erat M.
» Valerius: Patrem patratum Sp. Fuſium fecit, verbena caput capilloſque
» tangens. Paterpatratus ad iuſiurandum patrandum, id eſt, ſanciendum eſt.
» Fit fœdus: multiſque id verbis, quæ longo effata carmine, non operæ eſt
» referre, peragit: legibus deinde recitatis: audi, inquit, Iuppiter: audi
» Paterpatrate populi Albani: audi tu populus Albanus (vt illa palam prima
» poſtrema-ve ex illis tabulis, cerave recitata ſunt) ſine dolo malo vtique ea
» hic hodie rectiſſime intellecta ſunt. Illis legibus populus Romanus prior
» non deficiet. Si prior defecerit publico conſilio, dolo malo: tu illo die,
» Iuppiter, populum Romanum vi ferito, vt ego hunc porcum hodie feriam:
» tantoque magis ferito, quanto magis potes, polleſque, id vbi dixit, porcum
» ſaxo ſilice percuſſit &c. Alij porcam quæ eſt in denario impreſſa, ad eam referunt, quæ Æneæ apparuiſſe dicitur, cuius ſimulacrum Lauini ſeruabatur: armatos autem, Penates deos eſſe exiſtimant, qui Lauini item colebantur; ſed magis placet, vt denarij notam ad fœdus referamus, quod Ti. Veturius fecerit, vel eius conſanguineus aliquis, cum eſſet populi Romani Fetialis. Nec enim pacem Caudinam, vt quidam putant, quam T. Veturius Caluinus fecit, propterea quod ignominioſa populo Romano fuit, ſignificari ea nota credendum eſt.



VIBIAE Gentis plebeiæ, cum multæ a ſcriptoribus familiæ nominentur in antiquis denariis VARI tantum & PANSAE reperiuntur. Sed C. VIBII VARI, qui ſex primos tabellæ denarios cuſit, nulla exſtat mentio apud eos ſcriptores, quos ipſe viderim: cum tamen ex denariorum inſcriptionibus, Trium-Virorum R. P. C. temporibus in Rep. eum floruiſſe appareat. Huius familiæ memoria exſtat in antiquo lapide, in quo T. VIBIVS VARVS Conſul notatus eſt cum Ap. Annio Bradua, cuius exemplum eſt huiuſmodi,

APPIO ANNIO BRADVA
T. VIBIO BARO COSS.
MAGISTRI FONTIS LOLLIANI
M. VLPIVS FELIX
M. CONFLONIVS VITALIO &c.

1. Primus denarius, in cuius vna parte effigies M. Lepidi, in altera ſignum Concordiæ expreſſum eſt, percuſſus, vt opinor, a Vibio fuit, vt Trium-Virorum in R. P. C. concordiam ea nota ſignificaret. Eius vero deæ ſimulacrum, quale in hoc denario deſcriptum eſt, in æreis quoque Imperatorum numiſmatibus, adiecto titulo CONCORDIA, expreſſum vidimus. Secundus
2. aureus nummus, quod in eo Veneris imago ſignata ſit, ad Iuliæ familiæ
3. originem a Venere per Æneam ductam, pertinere poteſt. In tertio &

quarto denario præter Herculis & Mineruæ ſimulacra, nihil eſt notatu magnopere dignum. Ea vero ad indicandam VIBIORVM originem ſpectant e Vibone oppido, in quo Hercules & Minerua in primis colebantur, vt ex veteribus numiſmatibus Valentiæ (ſic enim poſtea appellatum eſt oppidum Lib. 6. Vibo, quod antea Hipponium dictum fuit, vt ſcribit Strabo) intelligere poſſumus, in quorum vno Herculis caput & claua, in altero Mineruæ caput ex vna parte, ex altera Herculis ſimulacrum ſignatum eſt. Sed de Vibiæ gentis origine copioſius infra in C. Panſæ denariis dicetur. *Venerem genitricem ſeu potius* 5.
victricem, percelebrem & gentilitium Iuliorum typum, Auguſto Vibium affinxiſſe in quinto denario, non mirum eſt, cum in eius familiæ nomen & inſignia Auguſtus venerit, cuius facies in altera huius denarij parte agnoſcitur. Sextus denarius non 6.
eſt dubium, quin ad Liberi patris ſacra pertineat, quæ VIBIVS ipſe aut aliquis ex gente Vibia fecerit, cum eſſet Ædilis; in eius enim vna parte Liberi caput impreſſum eſt, in altera tigris, thyrſus, & perſona aræ impoſita, Virgil. in Bucol. quæ omnia Libero, hoc eſt Baccho, ab antiquis tributa ſunt,

Daphnis & Armenias curru ſubiungere tigres
Inſtituit, Daphnis thiaſos inducere Baccho,
Et foliis lentas intexere mollibus haſtas:
Sutilibus liber committit prælia thyrſis.

Perſonis vero vſos fuiſſe comicos Poëtas Liberalibus, quibus Comœdiæ Baccho ſacræ recitabantur, ita notum eſt, vt nihil neceſſe ſit ſuper hoc diutius Lib. 2. Georg. immorari; inde dixit Virgilius,

Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & veteres ineunt proſcænia ludi,
Præmiaque ingentes pagos, & compita circum
Theſidæ poſuere, atque inter pocula læti
Mollibus in pratis vnctos ſaliere per vtres.

De Liberi ſacris, quod ea C. Iulius Cæſar e Græcia primus Romam In Bucolic. tranſtulerit, multa ſcribit Seruius ſuper illis verſibus, quos modo adduximus, Daphnis & Armenias &c. Hoc, inquit, aperte ad Cæſarem pertinet, quem conſtat primum ſacra Liberi patris tranſtuliſſe Romam. Aut igitur ad hanc Liberalium originem reſpexit C. VIBIVS VARVS, ſi modo ſub Cæſare denarium huiuſmodi ſignauit, aut certe Ædilitatis a ſe geſtæ, vel maiorum ſuorum aliquo, monumenta celebrare voluit. Ad C. VIBIVM PANSAM 7.
pertinent poſtremi duo huius tabellæ denarij, qui Conſul cum Hirtio anno 8.
DCCX. ad bellum gerendum contra M. Antonium hoſtem a Senatu iudicatum, eximendumque obſidione D. Brutum miſſus, ſignis ad Mutinam collatis, prœlio Antonium ſuperauit: ob quam quidem victoriam quinqua- Cicero lib. 14. Philipp. Et ep. 2 6. & 7. ad Brut. ginta dierum ei ſupplicationes, Cicerone cenſente, a Senatu decretæ ſunt. Septimus quidem denarius vel ad Vibiæ gentis originem e Sicilia, in qua Ceres colebatur, pertinet, vel ad Cereales ludos, quod Panſa fortaſſe fecit Ædilis Curulis cum eſſet. Quia vero Cereri porca immolari iis ludis Lib. 2. cap. 4. de re ruſtica. conſueuit, in altera primi denarij parte, deæ pedibus porca adiecta eſt. Ab Suillo, inquit Varro, pecoris genere &c. Cuius veſtigia quod initiis Cereris


porci immolantur. Priuſquam meſſem facias, inquit Cato, porcam præcidaneam hoc modo fieri oportet &c. Cereri porca præcidanea &c. Porca enim præcidanea appellata, quam piaculi gratia ante fruges nouas fieri cœptas immolari Cereri mos fuit &c. Cap. 134. Agellius lib. 4. c. 6.

A boue ſuccincti cultros remouete miniſtri:
Bos aret, ignauam ſacrificate ſuem.

Cererem tædiferam, cuiuſmodi in denario expreſſa eſt, appellauit hoc verſu, Lib. 3.

Luce ſua ludos vuæ commentor habebat,
Quos cum tædifera nunc habet ille Dea.

De Cereris autem tædis Cicero ita ſcribit. Proſerpinam cum inueſtigare, & conquirere Ceres vellet, dicitur inflammaſſe tædas iis ignibus, qui ex Ætnæ vertice erumpunt: quas ſibi cum ipſa præferret, orbem omnium peragraſſe terrarum. Lib. 4. in Verrem.



1. PRIMVS huius tabellæ denarius nihil habet magnopere notandum
2. præter duplicem in eo triumphum ſignatum. In ſecundi autem altera parte perſona ſignata eſt, quæ ad Cereales ludos pertinet, qui in theatro adhibitis poëtarum certaminibus celebrari conſueuerant: de quibus videndus Dio. In altera IOVIS AXVRI ſimulacrum expreſſum eſt, cuius meminit Virgilius hoc verſu, Lib. 47. Lib. 7.

——————queis Iuppiter Anxurus aruis
Præſidet &c.

„ Quo loco Seruius, Circa tractum, inquit, Campaniæ colebatur puer Iuppiter,
„ qui Anxurus dicebatur, quaſi ἄνευ ξυροῦ id eſt ſine nouacula, quia barbam
„ nunquam raſiſſet, & Iuno virgo, quæ Feronia dicebatur. Eſt autem fons in
„ Campania iuxta Terracenam, quæ aliquando Anxur eſt dicta,

Horat. Sat. 5. lib. 1.

Ora manuſque tua lauimus Feronia lympha:
Millia tum pranſi tria repimus, atque ſubimus
Impoſitum ſaxis late candentibus Anxur.


Quos verſus explicans Porphyrio, ita ſcribit. Quæ nunc Terracena dicitur (ſic enim eſt in vetere lapide) pro Tarracina. Porphyrionis autem verba cum in vulgatis codicibus mutila ſint, ita proferemus, vt ſunt in vetuſtiſſimo libro exarata olim Anxur dicebatur, vnde Iouem Anxurum colebant, cuius & Virgilius meminit, cum ait: Iuppiter Anxurus aruis præſidet &c. Merito autem repimus, inquit, & impoſitum ſaxis, quoniam illis temporibus adhuc Terracenenſis vrbs in altiſſimo monte erat, inde poſtea in æquiorem locum depoſita eſt, vt non ſolum ſint adhuc veſtigia ædificiorum in monte, ſed & murorum &c. Iuppiter igitur, ſi ἀπὸ τῆς ξυροῦ & α vt Græci dicunt στερητικοῦ μορίου dictus eſt, vt Seruio placet, A ξυρὸς, quaſi ſine nouacula, non eſt dubium, quin Axurus legendum ſit, cum apud Virgilium & Horatium, tum apud eorum interpretes Seruium & Porphyrionem. Seruij opinionem tuetur antiqui denarij autoritas, in cuius inſcriptione illud præterea notandum eſt, IOVIS pro IVPPITER antique, & in Domitiani Imp. denario IOVIS CVSTOS, inciſum eſſe. Tertium & quartum denarium ad eoſdem Cereris 3.
ludos pertinere arbitror: in eorum enim vna parte Liberæ ſeu Proſerpinæ 4.
ſimulacrum expreſſum eſt, in tertij altera Ceres cum aratro & tædis; in quarta vero draconum vecta curru eadem dea ſignata eſt. A. Poſtumium Dictatorem Cereris ædem, Liberi & Proſerpinæ ad Circum Maximum ex voto locaſſe, quam bello Latino vouerat ex Dionyſio ſupra docuimus; eam poſtea Caſſium Conſulem dedicaſſe ex manubiis abſolutam, cum ex eodem Dionyſio tum ex aliis notum eſt. Maiores noſtri, inquit Cicero, auguſte ſancteque Liberum cum Cerere & Libera conſecrarunt. Et Liuius: Vt qui Tribunis &c. nocuiſſet, eius caput Ioui ſacrum eſſet, familia ad ædem Cereris, Liberi, Liberæque venum iret. Ob quam igitur cauſam communem Cereri, & Libero, Liberæque antiqui ædem dedicarunt, ob eandem communes quoque ludos eis exhibuiſſe credendum eſt. Cereri aratrum ob inuentas fruges, tributum eſſe conſtat: currumque a ſerpentibus trahi, primus Orpheus commentus eſt, a quo ſumpſerunt Latini Poëtæ Ouidius & Claudianus. Quintus denarius ſuperato iam ad Mutinam M. Antonio, 5.
& ob res a C. PANSA præclare geſtas, quinquaginta, vt diximus, dierum ſupplicationibus ei decretis, ſignatus eſt: in eoque ad hanc declarandam victoriam Roma ſedens, cui in manu dextra Victoriæ ſimulacrum inſiſtit, & Libertatis caput, occiſo nuper Cæſare recuperatæ, impreſſum eſt. Sextus 6.
huius tabellæ denarius a C. PANSA, vt opinor, cuſus tunc fuit, cum ad eximendum Mutinenſi obſidione D. Brutum a Senatu miſſus eſt. In eius autem altera parte perſonæ ſignum ad eadem indicanda ſiue Cerealia ſiue

Lib. 6.


Lib. 2. de Natura Deorum.

Liberalia de quibus ſupra diximus, impreſſum eſſe arbitror. In ſeptimo
7. denario eadem Cerealium ludorum ſunt expreſſa ſymbola, quæ in ſuperioribus denariis ſignata ſunt. Sed hæc Cereris & Liberæ, quibus tota Sicilia, vt inquit Cicero, conſecrata erat, in omnibus fere quos cuſit Vibius denariis impreſſa monumenta, facile me adducunt, vt credam ad Vibiæ gentis indicandam originem e Sicilia ductam, pertinere. Quo impellit me Plutarchi etiam autoritas, qui Ciceronem ſcribit, cum Vibonem veniſſet (quod eſt oppidum Lucaniæ a Locris conditum ad fretum, prius Hipponium, poſtea Valentiam appellatum) Vibium hominem Siculum ei præſto fuiſſe (qui cum multa alia commoda ex amicitia Ciceronis perceperat, tum eo Conſule Præfectus Fabrũ fuerat) atque illum in ædes quidem non recepiſſe, ſed fundum ſe ei aſſignaturum denuntiaſſe. Plutarchi verba ex Cicerone ſunt hæc. Ἐν δ' Ἱππωνίᾳ πόλει τῆς Λουκανίας ἣν Οὐιβῶνα νῦν καλοῦσιν Οὐίβιος Σικελὸς, ἄλλά τε πολλὰ τῆς Κικέρωνος φιλίας ἀπολελαυκὼς, καὶ γεγονὼς ὑπατεύοντος αὐτοῦ τεκτόνων ὕπαρχος, οἰκίᾳ μὲν οὐκ ἐδέξατο, τὸ χωρίον δὲ καταγράφειν ἐπηγγέλλετο. Καὶ Γάιος Οὐεργίνιος, ὁ τῆς Σικελίας στρατηγὸς ἐν τοῖς μάλιστα Κικέρωνι κεχρημένος ἔγραψεν ἀπέχεσθαι τῆς Σικελίας. Hoc eſt, Hipponij vero, quod oppidum eſt Lucaniæ (Vibonem dicunt nunc) Vibius Siculus genere, qui cum alios fructus ex Ciceronis amicitia retulerat, tunc fuerat eo Conſule Præfectus Fabrum) non admiſit eum domum, ſed locum oſtendit ei ſe aſſignaturum in agro, quo poſſet recipere. Prætor Siciliæ C. Verginius (Vergilius Ciceronis in Ver.) arctiſſima familiaritate coniunctus, ſcripſit ei vt Sicilia abſtineret &c. A Vibone autem oppido Vibia familia nomen fortaſſe accepit, vt a Gabiniis Gabinia, & a Tarquinis Tarquinia, vnde Siciliam profecta, atque inde in Romanam poſtea ciuitatem adſcita, in Cruſtumina tribu cenſeri cœpit, vt ex inſcriptione apparet, cuius exemplum exſtat huiuſmodi.

C. VIBIVS C. F. CLV. PANSA.
TR. MIL. BIS
DOMITIAE L. F. MAXIMAE VXORI ET
L. DOMITIO L. F. OVF. LIBERALI
FRATRI VXORIS.



PRimi duo tabellæ nummi ænei, vt & vltimus prioris vix quidquam habent notabile. Tertius argenteus his notis ſignatus VIB. *vnico quaſi grammate, niſi ad Vibiam familiam referatur, ignoro ad quam reuocari debeat. An autem ad* VARORVM *aut* PANSARVM *gentem pertineat mihi dubium eſt, nulla enim cognominis nota ſignata eſt.*




VINICIAM Gentem plebeiam fuiſſe, vel ex vno L. Vinicio conſtat, qui cum C. Vibio Panſa Tribunus pl. cum eſſet ei S. C. interceſſit, quod M. Cælius recitat. (In Ep. 8. ad Cicer. lib. 8.) Idem fortaſſe, Trium-Vir poſtea ſub Auguſto Monetalis huius tabellæ denarios cuſit: & Conſul, vt opinor, ſuffectus ex Kal. Sept. anno DCCXX. in Faſtis deſcriptus eſt. Suetonius (Lib. 2. c. 71.) meminit Vinicij huius, cum inquit: Cænaui, mi Tiberi, cum iiſdem: acceſſerunt conuiuæ Vinicius & Silius pater. Inter cœnam luſimus γεροντικῶς & heri & hodie. Is igitur 1. Vinicius in primi denarij altera parte Concordiæ caput lauro coronatum impreſſit, quale ab Ouidio (Lib. 6. Faſtor.) deſcribitur his verſibus.

Venit Apollinea longas Concordia lauro
Nexa comas &c.

Inſcriptionemque

Inſciptionemque adiecit Græca diphthongo CONCORDIAI, iuxtà Virgilianum illud, aulai, & Ennianum, ſiluai: in altera quattuor coronas ſignauit, ad Auguſti fortaſſe quattuor victorias reſpiciens, quarum vnà narratur a Scriptoribus ex Sicilia de Sex. Pompeio: altera de Pannonicis, Delmateis, Iapudibus & Galleis: tertia ex Macedonia & Actio: quarta de regina Cleopatra ex Ægypto. Ac de prima quidem Trium-Vir R.P.C. ouans Vrbem ingreſſus eſt anno DCCXVII. Id. Nou. de tribus vero ſequentibus Conſul quintum anno DCCXXIII. triumphauit, VIII. VII. VI. Id. Sextil.
Secundus denarius, tertius, & quartus ad eos declarandos honores pertinent
qui Auguſto ob vias munitas decreti ſunt. Hi vero, vt teſtatur Dio, &
4. antiquitatis monumenta confirmant, fuerunt ſtatuæ equeſtres, & arcus ſuperimpoſitis ſtatuis. Quod autem Auguſtus vias munierit ſcribit Suetonius: Lib. 2. c. 3
"Quo autem, inquit, facilius vndique Vrbs adiretur, deſumpta ſibi Flaminia via Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia ſternendas diſtribuit. Ἐν μὲν γὰρ τῷ προειρημένῳ ἔτει, inquit Dio, τὰς ὁδοὺς τὰς ἔξω τοῦ τείχους δυσπορεύτους ὑπ' ἀμελείας ὁρῶν οὔσας, τὰς μὲν ἄλλας ἄλλοις τισὶ τῶν βουλευτῶν ἐπισκευάσαι οἰκείοις τέλεσι προσέταξε· τῆς δὲ δὴ Φλαμινίας αὐτὸς, ἐπειδήπερ ἐκστρατεύσειν δι' αὐτῆς ἔμελλεν, ἐπεμελήθη. Καὶ ἡ μὲν εὐθὺς τότε ἐγένετο. Καὶ διὰ τοῦτο καὶ εἰκόνες αὐτῷ ἐπ' ἀψίδων ἔν τε τῇ τοῦ Τιβέριδος γεφύρᾳ, καὶ ἐν Ἀριμίνῳ ἐποιήθησαν. Lib. [illegible]
Hoc eſt, Anno eo quem ſupra demonſtrauimus, cum videret Auguſtus vias extra vrbem aliquandiu neglectas, difficilia itinera exhibere, reliquas patrum quibuſdam, propriis ſumptibus reficiendas mandauit: Flaminiam, quoniam ea ducturus erat exercitum, ipſe procurauit: eſtque ea ſtatim inſtaurata: ac ob id ſtatuæ Auguſti ſunt ſupra arcus in ponte Tiberis & in Arimino poſitæ &c." Baſis autem inſcriptio ſiue columnæ, cui ſuperimpoſita in denario ſtatua eſt, ex Liuij verbis ita poteſt intelligi Lib. 24.
S. P. Q. R. Imp. Cæſari, Quod Viæ Munitæ Sunt Ex EA Pecunia Quam IS AD Ærarium Detulit. Liuij verba ſunt: "Senatus in Capitolio habitus: ibi referente P. Scipione S. C. factum eſt, vt quos ludos inter ſeditionem militum in Hiſpania vouiſſet, ex ea pecunia, quam ipſe ad ærarium detuliſſet, faceret." Huiuſmodi pecuniam Suetonius manubialem appellauit, quod de hoſtium manubiis confecta, in ærarium deferretur. Ad Dionis autem locum quem ſupra adduximus, mirifice facit alius denarius, in cuius vna parte Auguſti imago ſignata eſt, adſcripto titulo S. P. Q. R. CAES. AVGVSTO, in altera ſupra Tiberis pontem arcus impreſſus eſt, & ſuper arcum triumphalis currus cum inſcriptione QVOD VIAE MVN. SVNT Hoc eſt, Quod viæ munitæ ſunt.



VIPSANIAE Gentis, cuius mentio frequens eſt in veteribus monumentis, familiæ plures nominantur ab iis, qui Vipſtanam cum ex confundunt, eamdem eſſe cum Vipſania arbitrati. Eius autem erroris cauſam dedit mendoſus Taciti codex, in quo male Vipſanus ſcriptum

Lib. 10. & alibi. eſt, cum Vipſtanus ſcribi debuerit: C. enim Vipſtanus Apronianus in veteribus inſcriptionibus inter Fratres Aruales numeratur eos, qui Neronis Imp. tempore fuerunt. M. autem VIPSANIVS AGRIPPA, ad quem pertinent


In vita Attici. huius tabellæ denarij, familia ortus eſt equeſtri, vt indicat Cornelius Nepos.
„ His rebus, inquit, effecit vt M. Vipſanius Agrippa intima familiaritate
„ coniunctus Cæſari, cum propter ſuam gratiam & Cæſaris potentiam nullius
„ conditionis non haberet poteſtatem, potiſſimum eius deligeret affinitatem,
„ præoptaretque Equitis Romani filiam generoſarum nuptiis. Suetonius

Lib 4. c. 33. autem Vipſaniæ familiæ ignobilitatem notauit his verbis. Agrippæ ſe nepotem
„ neque credi, neque dici, ob ignobilitatem eius volebat, ſuccenſebatque ſi
„ qui vel oratione, vel carmine imaginibus eum Cæſarum insererent &c.
Hinc factum opinor, vt in publicis Agrippæ monumentis, nuſquam eius nomen, ſed ſolum ſemper cognomen notatum eſt. Primus huius tabellæ 1.
denarius & ſecundus item, cuſus eſt a M. Agrippa, cum nondum primum 2.
Conſulatum adeptus, ſed deſignatus tantum fuiſſet, vt ex eorũ inſcriptionibus apparet. Tertius autem quo expreſſa eſt ipſius Agrippæ effigies, poſt tertium 3.
Conſulatum ſignatus, ſine dubio fuit anno DCCXXVI. quo Imp. Cæſar

eius collega cum eſſet VII. Conſul, in eo honore Auguſtus appellatus eſt. Ante diem, inquit Cenſorinus, XVI. Kal. Febr. Cæſar Diui F. Imp. Auguſtus ſententia Munatij Planci a Senatu ceteriſque ciuibus dictus eſt, ſe ſeptimum *(De die Natali.)*
4. & M. Vipſanio Agrippa Coſſ. Quartum æreum nummum, quo ſupra diximus anno, ſignatum fuiſſe ex eius titulo intelligere poſſumus. Is ab Impp. Tito &
5. Domitiano fratribus reſtitutus eſt vt ex epigraphe quinti & ſexti nummi
6. cernitur. In iis tribus roſtrata Agrippæ imagini corona, in *ſeptimo vero*
7. *argenteo & octauo qui ab Imp. Traiano reſtitutus eſt* roſtrata ſimul & muralis
8. circundata eſt: de roſtrata, Virgilius ita cecinit,

> Parte alia ventis, & diis Agrippa ſecundis, *(Lib. 8. Æneid.)*
> Arduus agmen agens, cui belli inſigne ſuperbum
> Tempora nauali fulgent roſtrata coronæ.

Inſigne coronæ claſſicæ, inquit Velleius, quo nemo vnquam Romanorum *(Lib.)* donatus erat, hoc bello Agrippa ſingulari virtute meruit in eamdem ſententiã Dio, Τοῖς τε ὑποστρατηγοῖς ἄλλοις τε ἄλλα, καὶ τῷ Ἀγρίππᾳ στέφανον χρυσοῦν ἐμβόλοις ἠσκημένον ἐδωρήσατο ὃ μὴ πρότερον μήτ' αὖθις ἄλλῳ τῳ ἐγένετο. Hoc eſt, Legatos alios aliis affecit muneribus, Agrippam roſtrata corona donauit, quod ante eũ *(Lib.)* aut poſtea contigit nemini. Cui aduerſatur Plinius, dum ait M. Varroni e Piraticis bellis datam fuiſſe a Pompeio Magno, itemque M. Agrippæ tribuente Cæſare e Siculis quas & ipſa Piratica fuere. Ad eandem autem indicandam naualem de Siculis & Sex. Pompeio victoriam, ob quam Agrippa roſtrata corona donatus eſt, pertinet Neptuni ſignum in altera parte æreorum nummorum expreſſi.




VOCONIAM Gentem plebeiam fuiſſe, ſatis conſtat vel ex vno Q. Voconio Saxa, qui Tr. pl. de mulierum hereditatibus legem tulit, cuius meminit Cicero variis in locis & plures alij. In antiqua etiam inſcription Voconiæ gentis exſtat mentio cuius exemplum ſubiecimus. *(Lib. 3. in Verr. In or. pro Balbo. In Catone. In lib. 2. de Finibus. Dio lib. 56. Agellius lib. 17. c. 6.)*

D. M.
C. VALERIVS C. F.
FLAVIA SPECTATVS
SISCIA MIL. COH.
VIII. PR. 7. VOCONI
MIL. ANN. VI. VIX.
ANN. XXVIII. H. F. C.

In tres autem hæc gens diuiſa familias apud ſcriptores reperitur: nam præter
Saxam, quem ſupra nominaui, Q. Voconius Naſo ex ea genus duxit, qui
cum Cicerone Prætor deſignatus eſt anno DCLXXXVI. apud quem A.
Cluentius Habitus (ſiue vt rectius dicam, Auitus) veneficij a T. Attio
accuſatus, a Cicerone defenſus fuit. In antiquis vero denariis vna tantum
VITVLORVM familia reperitur: ad quod cognomen reſpexiſſe videtur Q.
VOCONIVS is, qui monetam cuſit, cum in altera denariorum parte
vitulum ſignauit. Quem nos VOCONIVM eſſe exiſtimemus, cuius
Ep. 27. ad Atticum lib. 8. Plutarchus meminit in Cicerone & Cicero ipſe, licet pro Voconius, a
quibuſdam Coponius in ea repoſitum ſit. Poteſt autem Voconius hic filius
eſſe Voconij eius, qui Luculli legatus in bello Mithridatico fuit, de quo
idem Plutarchus meminit in Lucullo. Sed quicumque fuerit, primum
denarium, vt videtur, ſignauit viuente adhuc Cæſare, cum fuiſſet ab eo
Quæſtor deſignatus, vt ex inſcriptione apparet. Quæſtorum enim numerum
a Cæſare, poſt ſubactam Hiſpaniam, auctum fuiſſe, & Quæſtores tunc primum
Lib. 43. quadraginta deſignatos eſſe teſtatur Dio, & Suetonius qui ſcribit Cæſarem
Lib. 1. c. 41. Prætorum, Ædilium, Quæſtorum, minorum magiſtratuum numerum
ampliaſſe. Quæſturam autem inter minores magiſtratus numeratam fuiſſe,
» vel ex his Aſconij verbis in Diuinatione intelligere poſſumus. Licet, inquit,
» Quæſtura ex minoribus magiſtratibus in Vrbe foret, eius tamen dignationis
» erat, vt optimus quiſque & bonæ indolis, adoleſcens ex illa gradum ad
» reliquos honores faceret: namque hinc aditum reliquis ineundis magiſtratibus
» auſpicabatur: ſi quidem primis experimentis Quæſturæ initiati, qui nullis
» ante honoribus vſi erant, inculpatæ vitæ teſtimonio ad Ædilitatem, mox
» Præturam & demum Conſulatum euehebantur &c. Secundus denarius vt 2.
ex titulo DIVI IVLI, qui in altera parte adſcriptus eſt, colligitur, interfecto
iam a coniuratis Cæſare, ab eodem Voconio cuſus fuit. Ab eo autem
originem ducit Q. Voconius, qui in antiqua inſcriptione notatus eſt, cuius
exemplum exſtat huiuſmodi.

Inſcript. Gruter.

MARTI LEVCETIO
PRO SALVTE IMP. DOMINI AVG. PII
Q. VOCONIVS VITVLVS
LEG. XXII. PR. P. F.
PONENDVM CVRAVIT.



VOLTEIA Gens (ita enim antiqui ſcribebant pro VVLTEIA vt
VOLCANVS & VOLTVS, pro Vulcanus , & vultus) incertum
patricia ne fuerit, an plebeia. De ea exſtat mentio apud Ciceronem in Lib. 5. in Verrem.
epiſtola Timarchidis, qui fuit Verris libertus , in qua L. Vulteius quidam
nominatur, qui fortaſſe is eſt, a quo ſextus huius tabellæ denarius cuſus
fuit , nam reliquos a M. Volteio ſignatos eſſe, ex eorum inſcriptionibus
conſtat. Timarchidis qui epiſtolam ſcripſit, verba ſunt hæc. Scribas, "
Apparitores recentes arripe; cum L. Vulteio , qui plurimum poteſt cæde, "
concede. Paulo poſt. Si Vulteium habebis omnia ludibundus perficies &c. "
Hic, inquit Cicero , vehementer errat Timarchides , qui aut Vulteium
pecunia corrumpi putet poſſe, aut Metellum vnius arbitratu gerere Præturam. In Ep. ad Mæcenat. lib. 1.
Vultei Menæ præconis facit mentionem Horatius.

——& narrat Vulteium nomine Menam
Præconem & tenui cenſu ſine crimine notum.

M. autem Volteij, qui denarios cuſit, nullus meminit veterum ſcriptorum,
1. vnde ſcire poſſimus quo ſacerdotio præditus, quove reſpiciens, in primo
2. denario Iouis imaginem ſignauerit, in ſecundo Herculis, in tertio Cereris
3. & Liberæ, in quarto Martis & Cybeles, in quinto Apollinis. Templum
4. certe in altera primi denarij parte impreſſum , quin Iouis ſit, dubitari
5. non poteſt , quamvis eius forma in veteribus monumentis hexaſtylos
reperiatur. Aprum autem, quæ eſt in altera ſecundi denarij parte notatus,
opinor Erymanthium illum repræſentare, quem Hercules interfeciſſe dicitur,
De Cerere tædifera, quæ Draconum vecta curru in tertio denario ſignata Lib. 5. Metam.
eſt, multa in Vibia gente ſcripta a nobis ſunt, quibus adiungi poterunt Lib. 1. de raptu Proſerp.
Ouidij verſus & Claudiani. De Cybeles effigie, quod veteres turritam

effinxerint, præter marmorea eius Deæ ſigna, quæ plura exſtant coronam turribus inſignem geſtantia, Lucretij quoque verſus teſtimonio nobis ſunt. Hi ſunt,

Lib. 2.

Muraliqque caput ſummum cinxere corona
Eximiis munita locis quod ſuſtinet vrbes.
Quo nunc inſigni per magnas prædita terras
Horrifice fertur diuinæ matris imago. & Virgilius.

Lib. 6.

——————qualis Berecynthia mater
Inuehitur curru Phygias turrita per vrbes.

Lib. 1. de raptu Proſerp.


Claudianus quoque Cybelem turrigeram appellauit. Cybeles autem currui leones, vt eſt in quarto denario iunctos fuiſſe, idem Lucretius docuit, quem ſecutus Virgilius ſic cecinit,

Lib. 3.

Hinc mater cultrix Cybele, Corybantiaque æra,
Idæumque nemus: hinc fida ſilentia ſacris,
Et iuncti currum dominæ ſubiere leones.

Diodorus Siculus Cybeles currum a leonibus ideo trahi ſcribit, quod ab iis nutrita ſit, At Varro: Leonem, inquit, adiungunt ſolutum atque manſuetum, vt oſtendant nullum genus eſſe tam remotum, ferumque, quod ſubigi, colique non conueniat. Ex tripode autem, qui eſt in altera quinti denarij parte ſignatus, propterea quod Apollini ſacer eſt, cui Sæculares ludi fiebant, quorum cura ad XV-Viros ſpectabat, coniicere poſſumus M. Volteium hunc XV-Virum ſacris faciundis fuiſſe: hoc enim ſymbolo ad indicandum ſacerdotium, cum alij, tum A. Vitellius Imp. in eius denariis vſus eſt. Litteras autem S. C. D. T. quæ tripodi ſunt ab vtraque parte adſcriptæ, fateor me in tanto ſcriptorum de Volteia gente ſilentio, quid ſignificent, neſcire. Neque vero de Europæ ſigno, quod L. VOLTEIVS L. F. STRABO in altera ſexti denarij parte impreſſit, quo pertineat certi aliquid afferre poſſum, niſi quod ſuſpicor, Iouis templum eius procurationis fuiſſe: a quo quidem deo in taurum verſo abductam Europam in Cretam inſulam poëtæ fabulantur: eamque fabellam eleganti expreſſam pictura cum alibi Romæ ex veteribus ſcriptoribus fuiſſe conſtat, tum in ipſo quoque Iouis templo vt pingeretur, Volteium curaſſe credendum eſt.

INCERTA · I



HVIVS & ſequentis tabellæ denarij, quia nullius præ ſe ferunt familiæ nomen, haud facile dixerim a quo fuerint ſignati: in templorum autem dedicationibus atque exhibitionibus ludorum cuſos eſſe coniicere ex iis poſſumus, quæ impreſſa in eis ſunt. Ac primum quidem denarium & ſecundum in Capitolini Iouis, qui Optimus Maximus dictus
1. eſt, & Veſtæ ædium refectione ſignatos eſſe, ex ipſis Veſtæ & Iouis
2. imaginibus, quæ ſunt in denariis expreſſæ, ſatis conſtat. Reſtituta vero eorum templa a Vitellio Imp. fuiſſe, facile adducor vt credam, eum ex argenteo alio denario, cuius in vna parte Vitellij effigies, in altera hæc ipſa Iouis templi forma, cum eadem inſcriptione ſignata eſt, tum ex iis, quæ de Iouis templo Plinius ſcribit, & Cornelius Tacitus arſiſſe ſcilicet bello Lib. 34. c 7. Vitelliano: quod poſtea refeciſſe Vitellium aliqua ex parte veriſimile eſt. Lib. 19. Capitolinus autem Iuppiter a Cicerone appellatur Optimus Maximus his In orat. pro domo ſua. verbis. Quocirca te Capitoline, quem propter beneficia populus Romanus " Optimum, propter vim Maximum nominauit &c. Veſtæ quoque templum " populi Romani Quiritium, quod primus Numa Rex conſtruxit, ab eodem Vitellio reſtitutum fuiſſe, ex eius, vt diximus, imagine, cui fax æterni ignis, quem virgines Veſtales ſeruabant, in eodem denario adiecta eſt, ſuſpicari poſſumus. Populus autem Romanus Quiritium dici tunc primum cœpit, cum in regni conſortium adſcitus a Romulo T. Tatius fuit; & poſtquam vt inquit Poëta, ——— in partem data Roma Sabinis.

Tunc enim primum in publicis monumentis populus Romanus hoc titulo vſus eſt. Eius autem exempla cum multa ex veteribus ſcriptoribus, & lapidibus afferri poſſint, duo tantum proferam: vnum ex lib. 1. Fabij Pictoris, quod Agellius adducit. Alterum, quod ex Capitolina quadam tabula deſcriptum eſt. Sacerdotem, inquit Pictor, Veſtalem, quæ ſacra faciat, quæ Lib. 1. c. 13. ius ſiet ſacerdotem Veſtalem facere pro populo Romano Quiritibus, vti quod optima lege fiat, ita te Amata capio &c. Capitolini lapidis exemplum eſt huiuſmodi,

. . . .

. . . SVTORIVS M. L. PAMPHILIVS LICTOR CVRIA . . .
. . SACRIS PVBLICIS P. R. QVIRITIVM VIATOR QVI COS. ET PR.
. . . APPARET DECVRIO CONLEGI FABRVM FERRARIVM &c.

Tertius tabellę denarius, quin ad Italicorum coniurationem pertineat, dubitari 3.
Lib. 1. bel. ciuil. non poteſt; de qua cum alij ſcriptores meminerunt, tum etiam Appianus. Ex ea bellum exortum eſt, quod Italicum, Sociale, & Marſicum appellatum fuit, Lib. 2. Lib. 1. quodque Græce conſcripſit L. Cornelius Siſenna. Italicorum autem duces a Velleio nominantur & Appiano. T. Afranius, C. Pontidius, Marius Egnatius, Q. Popedius Silo, C. Papius Mutilus, M. Lamponius, C. Indacilius, Herius Aſinius, T. Vettius Cato, Pontius Teleſinus, T. Herennius, A. Cluentius, Iuuentius, P. Præſentius, & P. Ventidius. Quorum conſpiratio cæſa porca, vt ex denario apparet, facta eſt, cuius immolatione fœdera quoque ab antiquis fieri ſolita, in Veturia gente demonſtrauimus, in qua feriundi fœderis formulam ex Liuio deſcriptam adduximus. *Quartus denarius quid* 4.
indicet ambiguum eſt, neque enim characteres agnoſci poſſunt, nec facile dici cuinam ſit tribuendum caput: Eſt tamen coniectura ad Italiam pertinere, eodem enim eſt filo atque ornatu cum ſuperiori. Coloniam in domitas bello terras deductam arguit altera facies, boue procumbente atque ibi ſedem & cubile ſibi figente. Quintum 5.
denarium ab Imp. Galba cuſum eſſe, ex RENASCENTIS ROMAE ſimulacro, vel vt in aliis eſt, reſurgentis, quod in eo impreſſum eſt coniicere Lib. 1. de re ruſtica. poſſumus. BONI EVENTVS qui inter deos Conſentes a Varrone numeratur, meminit Plinius qui ſcribit, Euphranorem eius dei ſignum feciſſe dextra Lib. 35. c. 11. tenens pateram, ſiniſtra ſpicam. Templum vero Boni Euentus fuiſſe prope thermas M. Agrippæ, cuius reliquiæ adhuc ſuperſunt, inter omnes fere antiquitatis ſcriptores conſtat. In cuius fortaſſe refectione denarius hic ſiue a Galba, ſiue ab alio, vt populo miſſilium more ſpargeretur, cuſus fuit.
Sexto denario Herculis, vt videtur, caput ſignatum eſt, quem cum Samo 6.
Lib. 4. de Ling. Lat. deo, ſiue Fidio eumdem eſſe ſatis demonſtrant Varronis verba. Ælius „ Gallus, inquit, Dius Fidius dicebat Diouis filius, vt Græci Διόσκουρον, Caſtorem: „ & putabant hunc eſſe Sancum ab Sabina lingua, & Herculem ab Græca. „ His accedunt illa Sex. Pompeij. Propter viam, inquit, fit ſacrificium, quod „ eſt proficiſcendi gratia Herculi aut Samo, qui ſcilicet idem eſt deus. Et „ alibi. Cæcilia, inquit, vxor Tarquinij Priſci inueniſſe exiſtimatur, & immiſcuiſſe

zonæ

zonæ ſuæ, qua præcincta ſtatua eius eſt in æde Sanci, qui Deus, Dius Fidius «
vocatur. Herculem igitur, qui Sancus a Sabinis, & Deus Fidius, ex prolatis «
ſcriptorum teſtimoniis dicebatur, Sanctum a Romanis appellatum fuiſſe
tradit Dionyſius, cum inquit; Τούτων ἐστὶ τῶν ὁρκίων μνημεῖον ἐν Ῥώμῃ, κείμενον Lib. 4.
ἐν ἱερῷ Διὸς Πιστίου, ὃν Ῥωμαῖοι Σάγκτον καλοῦσι. Hoc eſt, Eius iuſiurandi monumentum eſt Romæ poſitum in templo Dei Fidij, quem Romani Sanctum vocant. Cum Dionyſio conſentit vetus inſciptio, quæ Reate reperta eſt:

SANCTE
DE DECVMA VICTOR TIBEI LVCIVS MVNIVS DONVM
MORIBVS ANTIQVEIS PRO VSVRA HOC DARE SESE
VISVM ANIMO SVO PERFECIT TVA PACE ROGANS TE
COGENDEI DISSOLVENDEI TV VT FACILIA FAXSEIS
PERFICIAS DECVMAM VT FACIAT VERAE RATIONIS
PROQVE HOC ACQVE ALIEIS DONIS DES DIGNA MERENTI

Sancte Pater ſolue, cui iam faciet aſpera Iuno, Propert. lib. 4.
Sancte velis libro dexter ineſſe meo.
Hunc quoniam manibus purgatum ſanxerat orbem,
Sic Sanctum Tatiæ compoſuere Cures.

Cum autem triplici Sanctus hic nomine fuerit a Sabinis appellatus, Deus ſcilicet Fidius, Sancus & Semo, recte doctiſſimi quidam viri pro Semi pater apud Ouidium Semo pater, reſtituerunt: Ouidij verſus ſunt, Lib. 4. Faſtor.


Quærebam nonas Sanco, Fidione referrem,
An tibi Semo pater? tunc mihi Sancus ait.
Cuicumque ex illis dederis, ego munus habebo,
Nomina terna fero: ſic voluere Cures.
Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini,
Inque Quirinali conſtituere iugo.

Huic emendationi ſuffragatur Denarij titulus D. S. S. hoc eſt, Deus Fidius Semo Sancus, & antiqua inſcriptio Romæ nuper reperta in Inſula Tiberina, cuius exemplum eſt,

SEMONI SANCO DEO FIDIO SACRVM
SEX. POMPEIVS SP. F. COL. MVSSIANVS
QVINQVENNALIS DECVR. BIDENTALIS
DONVM DEDIT.

Liuius etiam ſic inquit, Vitruuium in carcerem aſſeruari iuſſit, quoad Conſul « Lib. 8.
rediſſet, tum verberatum necari: ædes eius quæ eſſent in Palatio, dirimendas, «
bona Semoni Sanco cenſuerunt conſecranda: quodque æui ex eis redactum «
eſt, ex eo ænei orbes facti, poſiti in ſacello Sanci, verſus ædem Quirini &c. «
Quod autem in Quirinali colle, vt Liuius tradit Sanci ædes fuerit, præter Ouidij verſus, quos ſupra adduxi, Varronis quoque verba hæc teſtimonio Lib. 6. de Ling. Lat.
nobis ſunt. Collis, inquit, Quirinalis vbi Quirini fanum, qui a Curetibus, «
qui cum T. Tatio, Curibus venerunt Romam, quod ibi habuerunt caſtra. «
Quod vocabulum coniunctarum regionum nomina obliterauit. Dictos enim «
colles plures apparet ex Argeorum ſacrificiis, in quibus ſic ſcriptum eſt; «

» collis ſalutaris quarticepſos aduerſum eſt pila Naris, ædem Salutis. Collis » Mutialis quinticepſos apud ædem dei Fidij in delubro, vbi æditimus habere ſolet &c. Sancus autem pro Sangus antiqua ſcribendi ratio fuit, qua ceſſit, pro geſſit, & maciſtratus pro magiſtratus, ſcriptum in veteribus monumentis reperitur. Septimus tabellæ denarius in quo Fauſtulus Paſtor impreſſus 7.
eſt, cum pico aui, & prope ſtante cum infantibus lupa, a Sex. Pompeio Foſtlo, vt opinor, cuſus fuit. Quæ vero ad eius explicationem pertinent, peti poſſunt ex gente Pompeia in Foſtlorum familia, quæ vt a Fauſtulo paſtore cognomen ſe accepiſſe indicaret, denarios huiuſmodi ſignauit, ſed alterum adſcripto familiæ nomine, alterum nulla adiecta inſcriptione. Cæſare iam a Coniuratis interfecto, libertateque Reip. reſtituta, argenteum hunc quinarium a Cæſaris Percuſſoribus cuſum eſſe, & ludis Apollinaribus quos Brutus Prætor populo exhibuit, ſparſum fuiſſe, ex Libertatis ſignata in eo imagine, coniicere facile poſſumus. Ex ancora vero & prora nauis, quæ in altera Quinarij parte impreſſa eſt, populi Romani libertatem occiſo Cæſare non modo recuperatam, verum etiam confirmatam intelligimus pace ea, quam cum Antonio & Lepido, ſuadente ἀμνηστίαν Cicerone, Coniurati fecerunt.



AD eam ipſam Antonij & Lepidi cum Coniuratis pacem indicandam non eſt dubium quin primus Denarius ab iiſdem Conſpiratoribus percuſſus fuerit, populoque Apollinaribus datus, quibus Accij Tragœdia Brutus recitata fuit. Pro pacis autem ſymbolo iunctis manibus & caduceo, antiquos vſos fuiſſe conſtat cum ex aliis denariis, tum & huius inſcriptione Pax et Libertas: quiquidem titulus nulli magis, quam huic, quod diximus, ἀμνηστίας tempori conuenire videtur; in quo Cicero orationem in Senatu » habuit, eam cuius facit his verbis mentionem. Nec vero vſquam diſcedebam,

Lib. I. Philipp.

nec a Rep. deiiciebam oculos ex eo die, quo in ædem Telluris conuocati ſumus, in quo templo quantum in me fuit, jeci fundamenta pacis, Athenienſiumque renouaui vetus exemplum, Græcum etiam verbum vſurpaui, quo tum in ſedandis diſcordiis erat vſa ciuitas illa, atque omnium memoriam diſcordiarum obliuione ſempiterna delendam cenſui, præclara tum oratio M. Antonij, egregia etiam voluntas: pax denique per eum & per liberos eius cum præſtantiſſimis ciuibus confirmata eſt &c. Hæc autem Ciceronis oratio, qua in Senatu ἀμνησικακίαν ſuaſit, *cuius mentionem facit Philippica* 1. Græce exſtat apud Dionem qui S. C. de obliuione præteritorum malorum in Ciceronis ſententiam facto, & de pacis conditionibus ita meminit, Συνέβησαν μὲν οὖν ἐφ' οἷς περ ἐψήφιστο. οὐ μέντοι καὶ πρότερον οἱ ἐν τῷ Καπιτωλίῳ ὄντες κατέβησαν, πρὶν τόν τε τοῦ Λεπίδου υἱὸν, καὶ τὸν τοῦ Ἀντωνίου ὁμήρων λόγῳ λαβεῖν. καὶ Βροῦτος μὲν πρὸς τὸν Λέπιδον, καὶ γὰρ ἐν γένει αὐτῷ ἦν κάτεισι Κάσσιος δὲ πρὸς τὸν Ἀντώνιον, ἐπ' ἀσφαλείᾳ. Hoc eſt, Itaque pacem fecerunt iis, quibus conuenerant, conditionibus: neque tamen ante, hi, qui in Capitolio erant, deſcenderunt, quam Lepidi Antoniique filios obſides acceperunt: ita Brutus ad Lepidum propinquum ſuum deſcendit, Caſſius ad Antonium propoſita ſecuritate. Quo anno, inquit Velleius, id patrauere facinus Brutus & Caſſius Prætores erant: D. Brutus Cos. deſ. hi vna cum coniurationis globo, ſtipati gladiatorum D. Bruti manu, Capitolium occupauere; cum Conſul Antonius conuocato Senatu, cum iam Dolabella, quem ſubſtiturus ſibi Cæſar deſignauerat Conſulem, faſces & inſignia corripuiſſet conſularia, velut pacis autor, liberos ſuos obſides in Capitolium miſit, fidemque deſcendendi tuto interfectoribus Cæſaris dedit; & illud decreti Athenienſium celeberrimum exemplum relatum a Cicerone obliuionis præteritarum rerum, decreto patrum comprobatum eſt &c. Corona in altera huius denarij parte impreſſa, quo pertineat, mihi quidem obſcurum eſt: neque enim ob interfectum Cæſarem, Bruto vel Caſſio, vel alicui percuſſorum

2. decretam fuiſſe quernam coronam legimus. Ex ſecundi tamen & tertij
3. denarij qui parum inter ſe differunt inſcriptione, quæ eſt SALVS GENERIS HVMANI, quod hic idem titulus C. CAESARIS DIVI F. IMP. III. VIRI R. P. C. aureo Nummo inſcriptus reperiatur, ſuſpicari quiſpiam poſſit, hos quoque denarios in eiuſdem Cæſaris gratiam, Trium-Viratus tempore cuſos eſſe; cui inter alios honores, quernam quoque coronam a S. P. Q. R. tributam fuiſſe ſcribit Dio: Καὶ τί τοῦτο εἶπον, inquit, ὁπότε καὶ ἐκείνοις (τοῖς τρισὶν ἀνδράσι λέγω) ἄλλα τε ὡς εὐεργέταις, καὶ σωτῆρσι τῆς πόλεως γιγνώσι, καὶ τοὺς στεφάνους τοὺς πολιτικοὺς ἐψηφίσαντο. οὐ γὰρ ὅτι τινὰς ἐφόνευον, αἰτίαν ἔχειν ἠξίουν, ἀλλ' ὅτι μὴ πλείονας, προσεπαινεῖσθαι ἤθελον. Hoc eſt, Quamquam hic quod referre oportuit; cum Trium-Viris iſtis alios honores decreuerint, qui benefactoribus ac ſeruatoribus Vrbis tribui ſolebant, & coronas etiam ciuicas: neque enim ij culpandi, quod interfeciſſent aliquos, ſed laudandi, quod non plures occidiſſent, ſibi videbantur &c. Sed de ciuica corona, quæ Auguſto Ob Ciues Seruatos decreta fuit, quæque in eius Nummis æreis & argenteis, adſcripto titulo, OB CIVIS SERVATOS impreſſa eſt, meminerunt plures Scriptores. Diuerſa eſt autem ab ea, quæ in quattuor huius tabellæ denariis notata eſt, de qua libe-

Lib. 44. — Lib. 2. — Lib. 47. — Val. Max. lib. 2. cap. 5. Dio lib. 53.

rum nos vnicuique iudicium relinquimus ſtatuendi, ſit ne ad Cæſaris, vt ſupra dixιmus, interfectores referenda, an ad C. Cæſarem Trium-Virum R. P. C. qui poſtea Auguſtus appellatus fuit *Quartus ad victoriam Philippenſem pertinere videtur ob quam* MARTI VLTORI *ædem vouit & dicauit Auguſtus, vt ait Suetonius; in qua barbaros quoſdam iurare coëgit ſe manſuros in fide & pace quam peterent. Illum Senatus Populus Que Romanus quaſi Ob Seruatos Ciues, quod innuit corona querna celebrauit hoc Nummo effigiem Dei præ ſe ferente, quod etiam ſi abeſſet inſcriptio ex minaci geſtu & gradu ſuperbo atque infeſto non vtique difficile eſt coniicere. Quintus quid indicet non ita clarum eſt. Sextus ad victoriam ſpectat quam Auguſtus apud Philippos, de Bruto & Caſſio reportauit, in qua Cohortes Prætorianæ egregiam præter ceteras operam nauauerant.*

Ouid. lib. 4. Faſt & de Triſt. lib. 3. eleg. 1.


In Auguſto cap. 29.

4.

5.

6.

OMISSA.




AD ACILIAM *gentem reuocatur iſte Nummus : fortaſſis ad eumdem* M. ACILIVM *pertinet qui vltimus in ea collocatus eſt. Quiſnam ille ſit admodum dubito, operam Octauiano Aug. dediſſe veriſimile eſt, cuius capiti cariſſimam Coniugem adiunxit & Patrem adoptiuum. Huius effigiem victoriola decorauit, capiti coronam imponente.*



T*Ertius ille Nummus in gente* AEBVTIA *collocandus.* L. AEBVTIVS *apud Dionem, Conſul nominatur; ſed cum ad annum Vrbis* CCXC. *ab eo reuocetur, cum eo conuenire non poteſt. Ille autem cuius nullam mentionem inuenio, II·Viri naualis officio ſub Antonio functus eſt, cuius effigies in altera facie percuſſa eſt. Magiſtratum hunc declarat inſcriptio: prora nauis inſinuat* CORINTHI *nomen, Vrbis inter maritimas nobiliſſimæ.*




*R*Euocandus ille denarius ad octauum primæ tabellæ in gente* Antonia, *nihil addit præter nomen* Imperatoris.




*S*Ecundus nummus ad primum gentis* Arriae *pertinet. Quid indicent F. P. R. ignoro, niſi Fœcialem Populi Romani: nec enim recedit ab ea coniectura partis auerſæ typus: nam Fœcialis (hoc eſt eius qui pacis faciendæ, bellique indicendi fidem faciebat, vt ait Varro) Fœcialis inquam erat munus, fœtam porcam cedere, fœderi paciſcundo, ob quam cauſam fortaſſe corona ex olea nexa, quâ illos fœdere feriundo redimiri ſolere non abhorret & haſta præferrata ac præuſta quam ſolebant bello faciundo & indicendo in fines hoſtium, ac veluti inter vallum immittere, ferrum & ignem minitantes, cui rei ſatis conuenit accenſi valli flammula hæc quæ eminet.* Qvintvs Arrivs *in primo nummo ſignatus, is eſt fortaſſe quem Cicero commemorat. Is vt indicat inſcriptio* ex *Decreto Decurionum* II-V ir *QVinquennalis fuit, quamquam Dio ad* XV-*Viros curam ludorum quinquennalium pertinere non obſcure doceat.* Τοῖς πέντε καὶ δέκα ἀνδράσιν οἷς ἐκ περιτροπῆς ἡ διοίκησις τῆς πενταετηρίδος ἐπέβαλλεν. *poteſt conciliari, quod per vices duo ex XV. legerentur ſuis ludis curandis. De ludis quinquennalibus alias. Sed id eo fit quod quamquam ad XV-Viros hæc cura pertineat, duo tantum ex his* ἐκ περιτροπῆς, *hoc eſt per ordinem hanc ſuſciperent.*

In Bruto.
Lib. 54.




POſt ſextum denarium ſecundæ tabulæ, hic Nummus in gente CASSIA collocandus. Quid velit ara, incertum eſt: vt & M. AQVINVS LEGatus cuiuſnam ſit gentis. Huius cognominis mentionem exſtare memini apud Catullum,


——— Cæſios, AQVINOS
Suffenum omnia colligam venena
Atque his ſuppliciis remunerabor.




CELIVM commemorat Plutarchus Antonij legatum Ἀντώνιος μὲ τὸ δέξιον κέρας ἔχων καὶ Ποπλικόλας Κοίλιος δὲ τὸ ἀριστερὸν hoc eſt, aſpiciendum Antonius dextrum cornu cum Poblicola ducebat, CELIVS Siniſtrum. Sitne ille dubitari poteſt. Hunc enim addicit Cæſari Octauiano nomen Pietatis Auguſtæ quod Liuiæ a Nummorum peritis ſolet attribui. Fortaſſis ludos quinquennales Nummus ille ſpectat qui ob reditum Auguſti, anno DCCXXXVIII. exhibiti ſunt. Pietatem Liuiæ in Auguſtum ſic prædicat Suetonius, vt nihil magis: adeo vt laus in conuicium tranſeat; quippe quum ad lenocinia vſque & conditiones & deductiones demittere ſe non puduerit. Eſt autem cordus qui ſero naſcitur, apud Quinctilianum.



MArco Marcello, vt eſt in Epitoma, cognomen AESERNINI ideo fuit inditum quod ad Æſernium captus eſſet: Marcellus autem cognomen eſt CLAVDIAE gentis plebeiæ: quaſi bellicoſus ἄρεος videtur enim a Marte deductum nomen.




POſt primum tertiæ tabulæ in CORNELIA gente collocandus primus ille Nummus: Secundus autem poſt quintum quintæ. Cuiuſnam Deorum ſit caput illud, admodum dubito: Aquila ſtans in fulmine Iouem ſatis aperte declarat. Nummus perrarus & exquiſitæ formæ. Patris cognomen Diuo Auguſto adiunctum vix dici poteſt quam ſit magnificum, ſic enim gentis ſuæ caput ſolebant appellare: ita apud Virgilium ſæpe Pater Æneas, & Pater Aſcanius. Alterum, originem indicat Romæ ſub eo quaſi renaſcentis.




POſt ſecundum gentis CVRTIAE Nummum ille reiiciendus. Videtur ad ſæculares ludos pertinere, quos in honorem Apollinis & Dianæ exhiberi per ſæcula ſolitos


nemo non nouit. Gentem CVRTIAM *patriciam fuiſſe docet Liuius qui C. Curtium nominat Cos. anno* CCCVIII. *cum anno* CCCXXXXVII. *primus e plebe alter Cos. creari cœperit.*




V*Ltimus ille gentis* DOMITIAE *cenſendus eſt.*




Q*Væ ad hunc Nummum pertinent vel in gente* DVRMIA *dicta ſunt vel per ſe patent.*




G*Entis* FADIAE *apud vnum Ciceronem, quodquidem ſciam, memoria ſupereſt. Is initio ſecundæ Philippicæ* Q. FADIVM *nominat libertinum hominem.*




HVnc aureum DIVI IVLII Nummum a Trajano Imp. reſtitut. docet inſcriptio. Princeps hic optimus & Cæſaris victorias prudentiamque populo Romano hocce ſtemmate commendabat, cum rara eiuſmodi monumenta denuo reficienda curaret poſteris communicanda. Ea enim Bruti, Caſſij, cæterorumque Coniuratorum mens fuit vt quantum poſſent, tyranni Reipublicæque oppreſſoris memoriam delerent. Et reuera rariſſima ſunt huius Imperatoris Numiſmata aut aurea aut ærea: argentea plura quidem ſuperſunt, ſed id metalli pretio debemus, quod auro quidem vilius ſed ære pretioſius commode in ſcriniis & priuatis ædibus aſſeruabatur.




QVod originem gentis ad Anteonem Herculis filium referret Antonius, ideo L. REGVLVS IIII-VIR Argento Publico Feriundo eius imaginem expreſſit in clypeo, cui figura ſedens innititur, niſi forte Alexandrum refert ille vultus. Nam vt Alexander ſic & Antonius Bacchum eſt imitatus, non modo compotationibus ſed & virtute bellica, & domandarum gentium libidine. Inde Διόνυσον νεόν è apud Plutarchum appellauit.



Maecilivs ille iam eſt in gente Maecilia commemoratus. Altera facies ad Auguſtum pertinet, quem magnificentiſſime victoria coronat.



De Petronio Tvrpiliano III-Viro alias vt ſæpe dictum eſt. Cytharæ typus ſæculares ludos reſpicit, qui ſub Auguſto quintum exhibiti ſunt.



Qvantum Iulij Cæſaris gloriæ ſtuduerit Traianus, docet is nummus Rvbriae gentis: alterum eiuſdem gentis ab eodem reſtitutum vidimus. Ij forſan eo animo ſunt cuſi vt clementiæ Cæſaris erga Rvbrivm exſtaret monumentum: is enim a Pompeianis partibus ſtans, Corfinij captus cum Domitio aliiſve, a Cæſare humaniſſime liberatus ac dimiſſus eſt. Hunc monumenta reſtituendi morem Titus, Domitianus, Trajanus cum Gallieno, Imperatores pene vni tenuerunt.

OMISSA.

Pagina 4. verſ. 10. *In eamdem ſententiam venit Onuphrius Panuinius, in Ciuitate Romana.*

Pag. 13. v. 3. a fine. *In octauo nummo qui quinarius eſt, nihil a ſeptimo diuerſum cernitur, præter Pacis typum: quam toto terrarum orbi Iulius Cæſar deuictis hoſtibus dederat. Additam s litteram animaduertant Grammatici, facit enim ad antiquam ſcribendi rationem.*

Pag. 33. v. 28. *Typus ille alio & , vt arbitror, felicius traduci poteſt. Pompeio, capite truncato, Ptolomæi Regis milites annulum detraxere: in hoc, inquit Plutarchus, ſculptus leo gladium tenens. Vtrumque Iulio Cæſari oblatum eſt: illacrymauit muneri jam bonus ſocer factus, Percuſſores occidi iuſſit. Hic fortaſſis annulus M. Antonio à Cæſare Romam miſſus & ei ex parte heredi relictus in Nummo rariſſimo excuſus cernitur, quem obſignandæ neceſſitudini cum D. Imperatore in plebem ſparſiſſe Antonium iam III-Virum R. P. C. credibile eſt, cuius memoriam omnibus artibus populo Romano commendauerat, ſibi huius fauorem quærens.*

Pag. 34. verſu vltimo. *Num ad* APVLEIAM *referatur ſecundus is nummus incertum eſt:* ATILIVM *enim referant caracteres vel Apuleium, nullus forſan auſus fuerit affirmare: Apuleiæ genti adiunxi quod nota cum priori ſimilis videatur.*

Pag. 88. v. 2. a fine. L. CORNELIVS SVLLA *cum puer a nutrice ferretur, mulier obuia, ſalue, inquit, puer Tibi & Reipublicæ* FELIX. *Mario Præneſte interfecto,* FELICEM *ſe edicto appellauit.* Aurel. Victor. de Viris Illuſtr.

Pag. 149. v. 12. *Quartus denarius extra ordinem ideo poſitus eſt, quod cæteris typis mandatis ad nos e cimeliarchio Regio peruenerit: is a M. Bruto Cæſaris interfectore percuſſus eſt: id indicant Libertatis typus & ſtemma quod præbet pileus: Pugiones ij ſunt quibus Cæſar eſt occiſus; atque inde* LIBERTAS *Populi Romani* RESTITVTA *eſt: vt elegans exquiſitiſſimaque inſcriptio docet.*

Pap. 171. poſt vltimum verſum. *Rariſſima hæc vltimo duo Numiſmata quid indicent ambiguum eſt. Alijs enim placet Trium-Virorum hic facies eſſe notatas: ei coniecturæ fauet corona capiti medio impoſita & inſcriptio* III-VIR, *quam Trium-Virorum eſſe explicant. Sed quorſum laurea extremo Numiſmati triumphantium more appoſita, Veneris imago in vltimo Nummo, atque Auguſti nomen quod à Cæſare Octauiano nonniſi poſt Actiacam victoriam ſumptum eſt. Satius exiſtimarem Venerem ad Iuliorum gentem referri, cuius cum Anchiſe caput erat & ordinarium ſymbolum. Tria capita & Caium & Lucium Cæſares cum Auguſto auo, vel cum Liuia Aug. vxore referunt, vel eamdem Liuiam cum Tiberio qui poſtea Imperator dictus eſt, & Druſo. Nummum hunc ab eodem* C. MARIO PRO IIII-VIRO *in gloriam Imperatoris cuſum eſſe probabilior eſt ſuſpicio.*

Pag. 191. poſt vltimum verſum. *Quod vero ſub ariete currente ſcriptum eſt* ET. Δ. *hoc eſt,* ἔτει τετάρτῳ *quartum annum præfecturæ videtur innuere.*

Pag. 243. v. 3. a fine. *Nihil in quarto Nummo legitur præter reſtitutionem, quod in tertio nummo non fuerit demonſtratum.*

EX LIBRO DE FAMILIIS ROMANORVM.

ANTONII AVGVSTINI EP. ILERDENSIS.

ACILIA familia plebeia, ſed nobilis conſulatibus quinque, & triumpho vno ante Imperatores fuit, neque poſtea minus floruit. Vigente republica eius ſtirpes duæ Glabrionum, & Balborum: conſulares ambæ fuerunt. Primus Glabrionum M'. Acilius C. F. L. N. conſul fuit an. DLXII. & Proconſule triumphauit de Ætolis, & rege Syriæ Antiocho anno proximo. Eius filius Manius conſul ſuffectus L. Poſtumio Albino anno fere DC. Hic auus vel proauus M'. Glabrionis fuit, apud quem Prætorem de repetundis cognoſcentem Cicero C. Verrem accuſauit, eique in memoriam redigit legis paternæ Aciliæ, auique materni P. Sceuulæ, ac ſoceri M. Scauri. Aſconius in Verr. II. & pro Scauro. Hic M'. Acilius M'. F. M'. N. Conſul fuit an. DCLXXXVI. cum C. Piſone Frugi. Ex Æmilia vxore liberos procreauit. Balborum primus M'. Acilius L. F. K. N. conſul fuit anno DCIII. cum T. Quinctio. T. F. Flaminino. Eius filius Manius poſt ſex, & triginta annos cum C. Catone. Sub Imperatoribus patricij Glabriones ſex Conſules fuerunt, Auiolæ tres, Rufus, Fauſtinus, Seuerus ſingulares. Glabrionum primus ſub Domitiano conſulatum cum M. Vlpio Traiano, qui poſtea Imp. dictus eſt, cepit, in eo occiſus eſt an. DCCCXLIII. Alter illius, vt creditur filius, cum paterno Manij prænomine cos. fuit cum C. Bellicio Torquato an. XXXIII. poſt patrem ſub Hadriano Imp. Tertius ſub Pio Antonino Sex. Acilius Glabrio cum C. Valerio Omollo Veriano Cos. an. DCCCCIV. Quartus Manius bis conſul fuit, ſed alterius anni tempus ignotum; atque ideo ſuffectum fuiſſe credendum eſt, iterum conſul fuit collega Commodi Imp. in quincto conſulatu an. CCIↃXXXIIX. Hic ille eſt, quem Pertinax dignum imperio orbis terrarum iudicabat, quem omnium patriciorum nobiliſſimum eſſe dicebat: originemque generis ab Ænea Veneris filio duxiſſe. Hunc quidem Manij filium, Manij nepotem eſſe credendum eſt, patrem vero fuiſſe Acilij Fauſtini Conſularis duo tituli duarum clariſſimarum feminarum ſignificant. Quinctus M'. Glabrio cum M. Valerio Maximo, iterum ſub Valeriano, & Gallieno Impp. anno CIↃVIII. illius, vt arbitror nepos fuit. Vltimus Anicius Acilius Glabrio Fauſtus collega Theodoſij Iun. in XVI. conſulatu an. CIↃCXXCIX. Chriſti CCCCXXXVII. Hic etiam ſub Honorio, & Theodoſio præfectus vrbis fuit. Hic videtur in Aniciorum nobilem quoque familiam inſertus vtriuſque nomina vſurpaſſe. Auiolarum primus collega in conſulatu Q. Aſinij Marcelli, ſub quibus Ti. Claudius Imp. mortuus eſt, an. DCCCVI. Hunc memoriæ proditum eſt in rogo poſitum ſe viuum comburi oſtendiſſe, ſed ſubueniri non potuiſſe, vt Plin. lib. VI. Val. Max. lib. I. referunt. Alter eius, vt credibile eſt, nepos ſub Hadriano Imp. conſul fuit cum C. Corellio Panſa an. DCCCLXXIIII. Tertius huius fortaſſe filius cum M. Antonio Gordiano Imp. Cos. an. DCCCCI. Quartus Rufus Acilius ante hos duos non ordinarius, ſed ſuffectus Cos. fuit ex Cal. Iul. ſub Traiano Imp. cum C. Cæcilio Claſſico, vt Plinius minor in epiſtola quadam refert, an. DCCCLIV. Fortaſſe is eſt, cuius titulus exſtat Panhormi L. ACILIO. L. F. Q. N. RVFO Fauſtinus Glabrionis bis conſulis filius, atque Glabrionis ſenioris nepos, vt diximus, conſul fuit ſub Seuero cum C. Cæſonio Macro Rufiniano an.

DCCCCLXII. Huius filius C. Acilius, filia Acilia Maniliola, neptis ex filio Acilia Gauinia Præſtana. Seuerus Acilius Cos. ſub Conſtantino Imp. fuit cum Fl. Iunio Rufino anno CIↃLXXIV. & poſt alterum annum Præf. vrbi. De Fauſto diximus, cum de Glabrione vltimo dictum eſt.

ÆLIA.

AELIA familia, ſiue Ailia plebeia, ſed non ignobilis multis ex ea conſularibus viris, & duobus cenſoriis, ac duobus, qui Magiſtri Equitum fuere. Antiquiores cognomento Paiti, ſiue Pæti dicti, deinde Cati, Tuberones, Ligures, Lamiæ vigente libertate. Poſtea ex eadem Imperatores fuerunt P. Ælius Hadrianus; T. Ælius Antoninus Pius; L. Ælius Aurelius Commodus, Cæſar vero tantum L. Ælius Hadriani filius; L. Aurelij Veri Imp. pater. Pætos conſules quinque, cenſores duos; Magiſtros Equitum item duos ante C. Cæſaris Dictaturam fuiſſe video. Nam primus P. Ailius Paitus Cos. fuit cum C. Sulpicio Longo anno CDXVI. eius filius P. Paitus Magiſter Equitum fuit Q. Fabio Ambuſto Dictatori comitiorum cauſſa, ſed vitio facti abdicarunt, & in eorum locum facti ſunt M. Æmilius Barbula dict. L. Valerius Potitus Flaccus II. Mag. Eq. quo anno Caudina nota inuſta eſt Ti. Veturio Caluino II. Sp. Poſthumio Regillenſi Albino II. Coſs. an. CDXXXII. Poſt annos XXXV. C. Paitus Cos. fuit cum M. Valerio Maximo Potito, quo anno plebs in Ianiculum ſeceſſit: quam Q. Hortenſius Dictator placauit. Poſtea P. Ailius Q. F. Q. N. Paitus Magiſter Equitum fuit C. Seruilio Dictatore an. DLI. Comitiorum habendorum cauſſa, quibus comitiis conſules creati ſunt Cn. Cornelius Lentulus, & P. Ailius, Q. F. P. N. Paitus. Fuit hic iuriſperitus, & frater eius Sextus, quam ſcientiam Tuberones quoque illuſtrarunt. Nec Mucia familia plures iuriſconſultos habuit, quam Ælia. Cenſores quoque ambo fratres fuerunt, Publius collega P. Scipionis Africani poſt biennium, quam conſul ipſe fuerat, Sextus ſequenti luſtro cum C. Cornelio Cethego; luſtrumque fecere XLVI. & XLVII. Sextus conſul fuerat cum T. Quinctio Flaminino an. DLV. Hic ille eſt, qui primus Catus appellatus eſt, de quo Ennius,

Egregie cordatus homo Catus Ælius Sextus.

Catum Varro interpretatur acutum potius, quam ſapientem. Ab hoc actiones compoſitæ ſunt, quod ius Ælianum dicebatur, & liber Tripertita inſcriptus, vt Pomponius refert. Publij filius Q. Paitus conſul fuit cum M. Iunio Penno an. DXXCVI. Hunc ſunt, qui exiſtiment primum Tuberonem appellatum L. Æmilij Paulli, qui hoc anno triumphauit Proconſule ex Macedonia, & rege Perſa, generum. Memoriæque proditum eſt, ſexdecim Ælios in vna domuncula habitaſſe, vbi poſtea Mariana monumenta fuerunt, vnum eos in agro Veiente fundum aluiſſe, vnum eis in circo ſpectaculi locum fuiſſe. nullum apud eos argenti ſcrupulum ante, quam Paullus genero ex præda quinque pondo donaſſet. Natus ex his eſt Publius Tubero, & Q. Tubero ille Stoicus, qui in Triumviratu iudicauit contra auunculi ſui minoris Africani teſtimonium: quique rogatus a Q. Fabio Maximo conſobrino ſuo,

cum epulum Africani mortui nomine populo daret, vt triclinium ſterneret, pelliculis hædinis lectulos Punicanos ſtrauit, & expoſuit vaſa Samia, vt Cicero auctor eſt. Quibus rebus vir integerrimus, atque eruditiſſimus, & L. Paulli nepos in Præturæ petitione repulſam tulit. Hic iuris quoque ciuilis peritiſſimus fuit, & alius Q. Tubero, qui Ligarium accuſauit, nec obtinuit apud C. Cæſarem. Nam cum pater eius L. Tubero Africam ex Senatus decreto obtinere deberet, a P. Attio Varro, & Q. Ligario prohibitus eſt, qui nec aquam haurire, nec filium affectum valetudine in terram exponere paſſi ſunt. Extat ea de re Ciceronis Ligariana oratio, qui initio orationis propinquum ſuum Q. Tuberonem appellat. Hic doctiſſimus fuit non ſolum iuris publici, & priuati, ſed totius antiquitatis, libroſque plurimos reliquit, ſed propter antiquorum verborum vſurpationem parum gratos. Fuit autem patricius, vt Pomponius aſſerit, & ex Sulpicia Seruij filia, qui princeps iuris conſultorum eo tempore fuit, matrem Caij Caſſij Longini iuris etiam conſulti doctiſſimi ſuſcepit. Sed hæc poſteriora ſunt. Redeo ad ſuperiora tempora libertatis reip. Romanæ.

Ligurem Conſularem vnum reperio P. Ælium P. F. P. N. qui cum C. Popillio P. F. P. N. Lænate conſul fuit anno DXXCI. notatumque eſt tum primum ambos Coſſ. plebeios fuiſſe. Hæc de conſularibus Æliis. Apud Liuium autem legi quemdam P. Ælium Quæſtorem anno CCCXLIV. necnon apud Plinium Thurinos C. Ælium Tr. Pl. ſtatua, & corona aurea donaſſe, quod legem pertuliſſet in Stennium Statilium Lucanum, qui Thurinos bis infeſtauerat. Sub Imperatoribus quattuor ante Hadrianum Auguſtum conſules video cognominibus inter ſe diſtinctos. Q. Tuberonem, L. Lamiam, Sex. Catum, & L. Seianum: tres primos ſub Auguſto, vltimum ſub Ti. Cæſare. Tubero, cum a Dione Q. F. dicatur, non is eſt, de quo antea diximus, Q. Tubero L. F. ſed eius filius, quamuis Pomponius eumdem eſſe videatur affirmare. Fuit quidem certe Cos. cum Paullo Fabio Q. F. Maximo anno DCCXLII. At L. Lamia L. F. Cos. fuit cum M. Seruilio M. F. Gemino poſt XIII. annos, quam ſuperiores. Lamias a Lamo dictos, qui Formias condidit, Horatius auctor eſt, eoſque & vetuſtos, & nobiles appellat. Cicero L. Lamiam equitem Rom. prodidit in exilium miſſum a Gabinio Cos. quod Ciceroni faueret. eumdem Ciceronis cadauer, vel cineres ſepulcro condidiſſe traditum eſt carminibus non ineruditis. Val. Maximus libro I. cap. VIII. & Plin. lib. VII. cap. LII. memoriæ prodiderunt L. Lamiam virum Prætorium vocem in rogo edidiſſe, & C. Ælium Tuberonem Prætura functum a rogo relatum. Sex Ælius Q. F. Catus, ab illo cordato viro Cato Ælio, vt Ennius ſcripſit, ducens originem ſucceſſor Lamiæ fuit, cum C. Sentio C. F. Saturnino. Ab his lex Ælia Sentia perlata eſt auctore Auguſto. Vltimus L. Ælius Seianus L. Seij Strabonis equitis Rom. filius temporibus Ti. Cæſaris plurimum potuit. natus Volſiniis, Præfectus prætorio fuit, & conſulatum adeptus eſt, quo anno Tiberius quinctum conſulatum ſolus cepit; ſed poſt menſem Seianum collegam aſciuit, anno DCCLXXXIII. ex vxore Apicata tres liberos habuit; ſed is cum liberis oppreſſus eſt, coniuraſſe aduerſus Imp. conuictus. Auunculum habuit Iunium Blæſum

Procos. Africæ. P. Ælius T. F. T. N. Hadrianus Italicenſibus parentibus natus, qui ex Hadria Scipionum tempore in Hiſpaniam migrarunt. Eius pater Hadrianus Afer conſobrinus Traiani Imp. auus Marillinus primus in eius familia ſenator, vt Ælius Spartianus refert. Ante imperium Cos. ſuffectus ex Kal. Iul. cum L. Publilio Celſo anno DCCCLXI. Iterum ac tertio conſul initio principatus, quem adoptione vera, vel ficta moriente Traiano ſuſcepit, Vlpiæ familiæ nomen recuſaſſe videtur: Traiani cognomen vſurpaſſe: filios, atque libertos Ælios appellauiſſe. Extant plerique tituli libertorum Hadriani; qui P. ÆLII AVG. LIB. notantur: vt Antonij Pij liberti, T. ÆLII. AVG. L. Colonias quoque Ælias dictas conſtat, aliaſque vrbes reſtauratas; in quibus Hieroſolymorum vrbs Ælia Capitolina dicta deinceps eſt. Tribuniciam poteſtatem ſemel, ac vicies ſuſcepit, Imperator bis appellatus eſt; ceteroſque titulos viuus obtinuit, & poſt mortem Diuus Hadrianus dictus. Filius adoptauit L. Ceionium L. F. L. N. Commodum Verum, qui poſtea L. Ælius Cæſar appellatus fuit, & T. Aurelium Fuluium Boionium Antoninum, qui poſtea Imp. Cæſar T. Ælius Antoninus Pius dictus eſt. L. Ælius ante adoptionem conſul fuit cum Sex. Vetuleno Ciuica Pompeiano anno DCCCXXCIIX. eodemque anno adoptatus nomen mutauit, & Tribuniciam poteſtatem accepit, & conſul iterum deſignatus in proximum annum eſt. Ipſis vero Kalend. Ian. mortuus eſt Cos. II. TR. POT. II. Filium reliquit L. Ceionium Commodum, qui a T. Antonino adoptatus L. Aurelius Verus appellatus eſt, & cum fratre adoptiuo M. Aurelio Antonino, eodemque ſocero ſuo imperium obtinuit. Hi vero ſecuti ſunt Aurelij nomen: propterea quod Pius ex ea familia fuerit; quamuis adoptione Hadriani in Æliam tranſlatus ſit. Summo quidem certe iure omnes hi in Cocceiam familiam erant inſerendi. Nam Cocceius Nerua Vlpium Traianum, Vlpius Ælium Hadrianum, Ælius Ceionium Commodum, & Aurelium Antoninum, Aurelius Annium Verum, & Ceionium Commodum adoptauit. T. Antoninus Pius conſul quater fuit, Tribuniciam poteſtatem quater & vicies accepit, Imperator bis appellatus eſt. Fauſtinam filiam Marco filio adoptiuo coniunxit, ex his L. Commodus natus eſt, qui patre viuo Auguſtus appellatus, & poſt eius mortem paternas, & auitas virtutes non eſt imitatus. Hunc video, & L. Ælium, & M. Aurelium, & L. Ælium Aurelium dictum eſſe. Conſul ſepties fuit, Trib. Pot. XVIIII. Imp. VIII. Poſt hos Imperatores tres tantum Ælios conſules inuenio: C. Ælium, ſiue Allium C. F. Fuſcianum, qui ſub eodem Commodo conſul fuit cum Dullio Silano anno DCCCCXL. & Q. Ælium vel Allium Maximum, collegam M. Flauij M. F. Apri poſt annos XIX. ſub Seuero, & Antonino, nec non Ælium Scorpianum conſulem ſuffectum ex Kalend. Iul. anno CIↃXXIIX. ſub Floriano Imp.

AE M I L I A.

AEMILIA ſiue Aimilia familia patricia clariſſima fuit, ab ipſis initiis libertatis Reip. Rom. ad Auguſti tempora multis illuſtribus viris domi militiæq;

IV. decorata. Pontificatu maximo, Dictaturis, Triumphis, Principatibus Senatus, Cenſuris, Conſulatibus, Magiſteriis Equitum, & Tribunatibus Militum conſulari poteſtate, & Triumviratu reipublicæ conſtituendæ, ita ſæpe vt paucæ eam numero vincant, exornata eſt. Diuiditur in has quinque præcipuas ſtirpes, quæ cognominibus diſtinguuntur, Mamercinorum, Barbularum, Paullorum, Paporum, Lepidorum. Sunt etiam aliæ ſingulares, aut raræ, ex quibus vnus aut alter conſul fuit, vt Regillorum & Scaurorum, de quibus poſterius dicemus. Mamercini nouem obtinuerunt conſulatus XII. Dictaturas V. Tribunatus Militares cum conſulari poteſtate IX. Magiſteria

I. Equitum III. Triumphos III. Nam primus L. Aimilius Mamerci filius ter conſul fuit primo cum Kæſone Fabio K. F. Vibulano anno CCLXVIIII. deinde ſexto anno cum C. Seruilio Structo Ahala, tertio poſt annos quinque

II. cum Vopiſco Iulio Iulo. Huius Lucij filius Tiberius Mamercinus bis conſul fuit, prius anno tertio poſt vltimum patris conſulatum cum L. Valerio

III. Voluſo Potito II. poſterius cum Q. Fabio Vibulano anno CCXXCVI. Tertius Mamercus fuit M. F. Lucij ter conſulis, vt ſuſpicor, nepos. Hic ter Dictator fuit, ac bis triumphauit. Tribunus antea Militum fuerat anno CCCXV. cum L. Quinctio Cincinnato, & L. Iulio Iulo. Anno proximo Dictator de Fidenatibus Idib. Sept. triumphauit. Ac tertio poſtea anno iterum Dictator rei gerundæ cauſſa fuit. Poſt vndecim vero annos iterum triumphauit Dictator tertium de Veientibus & Fidenatibus. Quæſtor biennio antea fuerat, hoc eſt

IIII. anno CCCXXV. Mamerci filius Manius ter Tribunus militum fuit poſt conſulatum, quem geſſit anno CCCXLIII. cum C. Valerio Potito Voluſo. Namque quinquennio poſt cum aliis quinque patriciis, & anno CCCL. iterum cum totidem, ac biennio proximo, cum totidem collegis patriciis tertio

V. VI. Tribunatum geſſit. Hunc aperte Verrius Flaccus M'. Aimilium, Mam. F. M. N. Mamercinum in faſtis notat. At C. Mamercinus, qui bis Tribunus Militum, & M. Mamercinus, qui ſemel creati ſunt, ille annis CCCLIX. & CCCLXII. hic hoc eodem poſtremo relato anno: quibus parentibus orti fuerint, nullum habemus

VII. auctorem. Mihi probabile videtur, Manij fratres fuiſſe. Septimus Mamercinus quinquies Tribunus Militum, bis Conſul, ſemel Magiſter Equitum creatus eſt. Hunc L. Aimilium L. F. appellatum video, adderem libens Mam. N. Primus Tribunatus actus eſt anno ſequenti poſt captam Vrbem a Gallis, hoc eſt anno CCCLXIV. Secundus biennio poſt primum, tertius quadriennio poſt alterum, quartus continuatus eſt poſt tertium, inter quartum, & quinctum anni quattuor medij interfuerũt. Poſt hos magiſtratus ob maximas contentiones plebis cum patribus de plebeio conſule M. Furius Camillus IV. Dictator dictus L. Aimilium Magiſtrum Equitum fecit, ſed ambo re infecta abdicarunt, fuit is annus CCCLXXXV. Tandem biennio poſt pacata ſeditione primus L. Sextius plebeius, qui diu Tribunus plebis fuerat, Conſul collegam habuit ex patribus eumdem L. Mamercinum. Iterum conſul fuit poſt annos

IIX. tres cum Cn. Genucio Auentinenſi. Huius filius L. Aimilius aperte a Verrio L. F. L. N. Mamercinus Priuernas appellatur. Bis Dictator, bis Magiſter Equitum, & bis Conſul fuit, & in ſecundo conſulatu triumphauit

de Priuernatibus, vnde cognomen accepit Kal. Mart. an. CDXXIV. cum collega C. Plautio P. F. Deciano Hypſæo. Magiſter Equitum fuit C. Iulio Iulo Dictatore in caſtris nouo more dicto an. CDI. Iterum decennio poſt M. Valerio Coruo Dictatori. & anno ſequenti conſulatum geſſit cum C. Plautio C. F. Vennone II. Dictator comitiorum habendorum cauſſa an. CDXIIX. Magiſtrum Equitum dixit Q. Publilium Philonem plebeium. Iterum Dictator rei gerundæ cauſſa Magiſtrum Equit. habuit L. Fuluium Curuum item plebeium anno CDXXXVII. Poſtremus Mamercinus Tiberij prænomine, quo nemo alius vſus eſt, quod IX.
meminerim, ex hac familia: Conſul fuit cum Q. Publilio Philone anno CDXIV. eius parentes ignorantur. Poſſumus hunc ſuſpicari eſſe Priuernatis fratrem.

Barbulæ quattuor, totidem Conſulatus, Dictaturam vnam, triumphos II.
duos conſecuti ſunt. Primus M. Aimilius Q. F. L. N. Dictator fuit comitiorum I.
habendorum cauſſa an. CDXXXII. quo anno turpis Caudina pax inita fuit. Magiſtrum Equitum dixit L. Valerium Potitum Flaccum II. Hunc quidam M. F. appellant, ſed ego titulum ſequor, & denarium, in quo M. Aimilius Q. F. Barbula conſul fuiſſe dicitur: annum tamen conſulatus nondum reperi. Huius II.
frater Q. Aimilius a Verrio Q. F. L. N. appellatur. Conſul fuit quadriennio poſt cum C. Iunio Bubulco Bruto: eumdem collegam habuit tertium conſulem in ſecundo conſulatu anno CDXLII. Amboque eodem menſe triumpharunt, Brutus Nonis Sextil. de Samnitibus, Barbula Idibus de Etruſceis. Secutus eſt III.
L. Barbula Q. F. Q. N. Cos. anno primo belli Tarentini, cuius collega fuit Q. Marcius Philippus. Amboque triumpharunt: Philippus eodem anno de Etruſceis, Barbula proximo anno Proconſule de Tarentineis, Samnitibus, & Sallentineis VI. Idus Quinctil. an. CDLXXIII. Quartus fuit M. Aimilius, quem IV.
Verrius L. F. Q. N. notat Conſulem cum M. Iunio Pera an. DXXIII. Hic fortaſſe eſt in denario Q. F. dictus, conuenit enim prænomen. Nec diſpliceret, vt hunc Q. F. L. N. appellaremus; vt tempora conſulatuum quadrarent a ptius. Hæc de Barbulis.

Paullorum gens quattuor habuit veteres inſignes viros, qui conſulatum III.
ſexies, Magiſterium Equitum ſemel: Cenſorium honorem item ſemel, & triumphos quinque ſunt conſecuti. Poſt annum ſeptingenteſimum quattuor reperio Paullos Conſulares, ex quibus vnus cenſorius fuit. Sed hi inter Lepidos erunt referendi, nam vtrumque nomen vſurparunt, vno excepto L. Æmilio M. F. qui Conſul fuit cum C. Claudio C. F. Marcello anno DCCIII. Primus I.
igitur M. Aimilius L. F. L. N. Paullus Conſul fuit cum M. Liuio Dentre an. CDLI. & ſequenti anno Magiſter Equitum Q. Fabio Maximo Rulliano Dictatore iterum rei gerundæ cauſſa. Huius filius Marcus Conſulatum geſſit II.
cum Ser. Fuluio Pætino Nobiliore: amboque anno proximo Proconſulibus de Coſſurenſibus & Pœneis nauales triumphos egerunt: Nobilior XIII. Kal. Febr. Paullus XII. Kal. an. CDXCIX. decimo anno belli Punici primi. Tertius fuit L. III.
Paullus ſuperioris filius. Hic Conſul fuit cum M. Liuio Salinatore an. DXXXIV. vterque in conſulatu de Illurieis triumphauit. Sed ambo poſtea accuſati, Salinatorque ſolus damnatus eſt. Iterum conſul triennio poſt, qui tertius annus

fuit belli Punici ſecundi propter collegæ C. Terentij Varronis temeritatem in
IV. Cannenſi pugna occiſus eſt. Filium reliquit L. Æmilium clariſſimum virum,
qui ter triumphauit, bis Conſul & Cenſor, & Augur fuit. Namque ante
conſulatum Proprætore triumphauit ex Hiſpania an. DLXIV. poſt ſeptem
annos conſul fuit cum Cn. Bæbio Tamphilo, & anno proximo iterum
triumphauit de Liguribus Ingauneis. Iterum conſul an. DXXCV. cum C.
Licinio Craſſo fuit. Perſem vltimum Macedonum Regem prælio vicit, atque
captiuum cum liberis in triumpho duxit, quem triduo egit quarto, tertio, &
pridie Kal. Decemb. Proconſule anno proximo. Eodem tempore duos filios
amiſit, quos ſui nominis, & familiæ heredes relinquere cogitabat. Nam duos
maiores alterum P. Cornelio Scipioni Africani maioris, & Æmiliæ ſororis filio
in adoptionem dedit, qui poſtea Africanus minor, Carthagine diruta, appellatus
eſt; alterum Q. Fabio Maximo quinquies conſuli. Itaque alter dictus eſt P.
Cornelius P. F. Scipio Æmilianus, cuius liberos nullos exſtitiſſe meminimus,
alter Q. Fabius Q. F. Maximus Æmilianus, a quo plures Fabij exſtiterunt. Filias
reliquit tres, ex quibus vna Q. Ælio Tuberoni, altera M. Catoni Liciniano M.
Catonis Cenſorij filio nupſit, ex quibus liberi nati ſunt. Mater horum omnium
Papiria fuit C. Papirij Maſonis conſularis, & triumphalis viri filia. Cenſuram
denique Paullus obtinuit anno tertio poſt triumphum cum Q. Marcio Philippo,
luſtrumque fecerunt LIII.

IV. Paporum gens duos habuit clariſſimos viros, quorum alter conſul bis, &
cenſor; alter etiam cenſorius, & triumphalis, ac conſularis fuit. Ante hos a
Liuio M. Æmilius Papus Dictator refertur, quem nos Barbulam appellauimus,
alios annales ſecuti. Sed ſine controuerſia Q. Aimilius Papus conſul fuit cum
C. Fabricio Luſcino anno proximo ante bellum Tarentinum, quod L. Aimilio
Barbula, & Q. Marcio Philippo Coſſ. inchoatum eſt anno CDLXXII. Secundum
conſulatum, & cenſuram cum eodem collega egit anno CDLXXV. &
CDLXXIIX. luſtrum fecerunt XXXIII. Poſt hunc L. Aimilius Q. F. L. N.
poſt illius cenſuræ annum conſul fuit cum C. Atilio Regulo anno primo
belli Gallici Ciſalpini, & de Galleis triumphum egit III. Nonas Mart. in
conſulatu. Cenſor fuit cum C. Flaminio anno DXXXIII. qui circo
Flaminio, & viæ Flaminiæ nomen reliquit. Paporum cognomen videtur ex
eo ſumptum, quod papi carduorum flores ſint, vt ait Feſtus, de quibus
Lucretius,

Veſtem, nec plumas auium, papoſque volantes.

V. Ad Lepidorum ſtirpem ventum eſt, ex qua decem ad M. Lepidum
Triumvirum, poſt eum ad obitum Auguſti ſeptem inſignes magiſtratus,
honores, ac ſacerdotia obtinuerunt. Duo Pontifices Maximi fuerunt, vnus
ſemel, alter ſex luſtris Princeps Senatus, vnus Triumvir bis reip. conſtituendæ,
vnus Magiſter Equitum bis, Cenſores tres, duo triumphales, ex quibus alter
bis, vnus triumphalia ornamenta accepit. Conſules XV. conſulatus obtinuere
I. XVIII. ex quibus III. tantum ſuffectorum fuerunt. Primus M. Lepidus
II. cos. fuit cum C. Claudio Canina anno CDLXVIII. Alter Marcus Marci filins
Marci nepos, quem Liuius ait bis conſulem, atque Augurem fuiſſe, ac patrem

Marci,

Marci Lucij, & Quincti Lepidorum, conſul fuit cum M. Poblicio Malleolo anno DXXI. Iterum conſul cum M. Valerio Læuino poſt duodecim annos, quo anno L. Veturius Philo, & C. Lutatius Catulus vitio facti abdicarunt, vt quidam ſcripſerunt. Tertius Marcus ſuperioris filius indolis ſuæ ſpecimen III.
prætextatus dedit, qui annos natus XV. hoſtem occidit, ciuem ſeruauit, quamobrem ſtatua ei ſtatuta eſt in Capitolio, quod Valerius Maximus refert, & de ea re denarius exſtat cum his litteris M. LEPIDVS. AN. XV. PR. H.O.C.S. Alter quoque denarius inſignem honorem habitum eidẽ M. Lepido ſignificat, cuius multi meminerunt, vt cum Ptolemæus Rex tutorem filio ſuo populum Rom. reliquiſſet, Lepidus hic, qui Pontifex Maximus, ac bis conſul fuit, ad Regis pueri tutelam gerendam Alexandream miſſus ſit. Primum conſulatum geſſit cum C. Flaminio C. F. anno DLXVI. Pontifex Maximus octauo poſtea anno in locum C. Seruilij Gemini factus eſt, item cenſor eodem anno cum M. Fuluio Nobiliore, cum quo inimicitias geſſerat, quas reip. cauſſa cenſor deſignatus depoſuit, luſtrum fecerunt L. & ipſe Lepidus princeps ſenatus dictus eſt. Iterum conſul cum P. Mucio Scæuula, de Liguribus triumphauit anno DLXXVIII. Hic ſex luſtris princeps ſenatus lectus eſt. Sexti cenſores fuere M. Valerius Meſſala, C. Caſſius Longinus, qui luſtrum LV. fecerunt anno DXCIX. M. Lepidus mortuus eſt anno poſtea tertio, aut quarto. Quartus IV.
M. Lepidus M'. F. M'. N. fuit, ac conſul anno DXCV. cum C. Popillio Lænate II. Quinctus M. Lepidus, Porcina dictus eſt, principis Lepidi filius. V.
Conſul autem fuit anno DCXVI. cum C. Hoſtilio Mancino. Sextus Mamerci VI.
prænomine ſuperioris, vt creditur, frater vndecimo poſtea anno conſul fuit cum L. Aurelio Oreſte, quo tempore quarti ludi ſæculares facti ſunt, vt plures ſcripſerunt. Septimus M. Aimilius Q. F. M. N. Lepidus a Verrio VII.
appellatur, conſul autem fuit cum Q. Lutatio Catulo, Sullæque & Catuli aduerſarius exſtitit in conſulatu anno DCLXXV. Hunc eſſe arbitror Triumviri patrem, quem pronepotem principis ſenatus fuiſſe Cicero auctor eſt. Erit igitur hic Porcinæ nepos. Octauus Mamercus Aimilius Mam. F. M. N. VIII.
Lepidus Liuianus, qui D. Liuij Druſi filius fuiſſe dicitur, adoptatus a Mamerco principis Lepidi filio. Conſul autem fuit anno poſt ſuperiorem cum Cn. Octauio. Cenſor poſt conſulatum anno XVI. cum P. Seruilio Iſaurico fuit, luſtrum fecerunt LXIX. & proximo luſtro princeps ſenatus lectus eſt anno DCXCIIX. Adhunc, eiuſve liberos pertinet denarius ita inſcriptus M. MAMERC. LEPIDVS LIVIANVS. Nonus M'. Lepidus, qui cum L. IX.
Volcatio Tullo conſul fuit anno DCXXCVII. Huius parentes ignorantur. Veriſimile eſt ab eo, quem quarto loco retulimus, originem traxiſſe peruenimus ad M. Lepidum Triumvirum, qui a M. Verrio M. F. Q. N. X.
dicitur: hoc eſt ſeptimo loco conſtituti filius. Hic prætor Cæſarem Dict. dixit nouo more, ceteros enim conſules dixerunt. Proprætore ex Hiſpania triumphum egit anno DCCVI. Sequenti anno conſul fuit cum C. Cæſare III. conſule, & in tertia, & quarta dictatura magiſter equitum, eas geſſit Cæſar duobus proximis annis. Occiſo Cæſare Eidib. Mart. Pontifex Max. factus eſt anno DCCIX. Sequenti anno Triumvir reip. conſtituendæ cum M. Antonio,

cuius filiam filio ſuo collocauit, & C. Cæſare Octauiano, qui poſtea Auguſtus appellatus eſt. Suſceperunt autem hoc genus imperij ex ante diem quinctum Kal. Decemb. ad pridie Kal. Ianuar. ſextas, hoc eſt in quinquennium. Eodem anno pridie Kal. Ianuar. procoſſ. ex Hiſpania iterum triumphauit. Kalendis ipſis conſul iterum fuit cum L. Munatio Planco, qui IV. Kal. Ian. de Galleis triumphum egerat. Iactatus eſt in triumpho ex licentia militari verſus:

De Germaneis, non de Galleis duo triumphant conſules,

Propterea quod nomina duorum fratrum eorumdem in proſcriptorum tabulis legerentur. Fratrem Lepidi arbitror fuiſſe Paullum Lepidum, qui ſeruatus eſt. Planci frater L. Plotius dicebatur. Iterum Triumvir in alterum quinquennium cum eiſdem collegis creatus anno ſecundo a C. Cæſare collega abdicare coactus eſt. erat is annus DCCXVII. vixit autem vſque ad DCCXL. annum Pontifex Maximus. Vxor eius Iunia M. Bruti ſoror, ex qua liberos ſuſcepit.

I. Poſt hunc primus Paullus Aimilius M. F. L. N. conſul ſuffectus ex Kalend. Iul. cum C. Memmio anno DCCIX. Hic etiam cenſor fuit cum L. Munatio Planco poſt annos XII. luſtrum tamen non fecerunt. Hunc quidam P. Aimilium Paullum, alij M. F. Q. N. appellant. nos veriſimiliora ſecuti ſumus. Huius cenſoris filius L. Paullus Iuliam Iuliæ, & M. Agrippæ filiam Auguſti

II. neptem duxit, Æmiliamque Lepidam ex ea ſuſcepit, quæ fuit Ti. Cl. Imp. ſponſa. Alter Paullus Triumviri frater conſul etiam ſuffectus fuit ex Kalend. Iul. cum L. Cornelio anno DCCXXI. Hic porticum Paulli ædificauit, &

III. dedicauit. Tertius Q. Lepidus eſt Manij filius, qui conſul cum M. Lollio M. F. fuit anno DCCXXXII. vt ex titulo pontis Fabricij conſtat. Quem enim L. Fabricius curator viarum faciundum curauerat, hi conſules ex S. C.

IV. probauerunt. Quartus L. Aimilius L. F. Paullus. Hunc putant filium fuiſſe L. Paulli M. F. qui Coſſ. fuit anno DCCIII. eſſeq. inter Paullorum gentem conſtituendum. Mihi magis placet, vt hoc loco relinquatur. Conſul fuit an. DCCLIII. cum C. Cæſare Auguſti filio, poſt Chriſtum natum anno ſecundo.

V. Quinctus erit M. Lepidus L. F. qui cum L. Arruntio Conſul fuit, quincto

VI. poſt ſuperiorem anno. Sextus Manius Æmilius Q. F. M. N. Lepidus, qui

VII. conſul cum T. Statilio Tauro fuit anno DCCLXIII. Præter hos inuenio M. Æmilium Q. F. M. N. Lepidum obtinuiſſe triumphalia ornamenta legatum Auguſti anno DCCLXI. ex Delmatia. Ad extremum de Lepidi cognomine non reticebo, videri eo voluiſſe exprimere, quid Aimilij nomine ſignificaretur, vt cum Vergilius armiſonam Palladem, Plemmyrion vndoſum, clarum Olympum dixit. Sic Felix Sylla Fauſtum filium appellauit, & filiam Fauſtam; quod vſurpari ſoleret: [Quod felix, fauſtumque ſit:] ac non multum

VI. ſignificatione differrent. Nunc de reliquis Æmiliis videamus. Regilli cognomine vnum triumphalem L. Aimilium M. F. reperio proprætore naualem egiſſe de rege Antiocho Kalend. Febr. anno DLXIV. Scaurum item vnum inſignem virum M. Aimilium M. F. L. N. qui conſul cum M. Cæcilio Q. F. Metello anno DCXXXIIX. De Galleis Karneis triumphauit. Cenſor poſt ſex annos fuit cum M. Liuio C. F. M. Aimiliani Nepote Druſo, qui in eo honore mortuus eſt, & Scaurus abdicauit more maiorum, ante tamen viam

Æmiliam ſtrauit, pontemque refecit Æmilium. Proximo anno cenſores creati Q. Fabius Max. Allobrogicus, & C. Licinius Geta, hunc Principem ſenatus legerunt, & tribus aliis luſtris alij cenſores, quoad mortuus eſt. Augurem quoque fuiſſe proditum eſt. Huius vxor fuit Cæcilia L. Metelli Delmatici filia, quæ poſtea L. Sullæ Felici Dictatori nupſit, neque ſatis pudica credita eſt. Filios ex ea reliquit M. Scaurum, qui inſignem Ædilitatem curulem obiit, ac prætor Sardiniam obtinuit, quem Cicero reum repetundarum defendit, & filiam Æmiliam, quæ prius ex M'. Acilio Glabrione viro conſulari eiuſdem nominis filium procreauit: & poſtea Cn. Pompeio Magno nupſit. Tertiam vero Muciam eiuſdem Pompeij vxorem, quæ ſoror Q. Metelli Nepotis dicta eſt, duxit M. Scaurus filius, & ex ea filium procreauit, qui frater filiorum L. Sullæ Fauſti, & Fauſtæ de quibus paullo ante dictum eſt, fuit. Præter hos omnes, in faſtis Verrij Flacci tertiis ludis ſæcularibus, qui an. DXVII. facti ſunt, M'. Aimilius M'. F. Magiſter X.-vir cum M. Liuio Salinatore fuit. Hæc de his Æmilius qui ante Ti. Cæſarem claruerunt. Poſt quæ tempora, vix quinque VII.
aut ſex huius tam illuſtris familiæ nomen retinuere, qui conſulatus adepti ſint. Primus M. Lepidus conſul cum L. Nonio fuit. hos exiſtimo fuiſſe anno I.
DCCCXLVI. quo anno alij L. Nonium Aſprenatem Torquatum, & Clementem, II.
vel Lateranum ſub Domitiano Imp. produnt. Alter eſt Æmilius Ælianus, qui cum L. Antiſtio Vetere Cos. fuit anno DCCCLXIIX. ſub Nerua Imp. Tertius III.
Æmilius Iuncus, qui cum Iulio, vel Atilio Seuero Conſul ſuffectus fuit ex Kal. Iul. ſub Commodo Imp. anno DCCCCXXXIV. Quartus Æmilius Lætus, qui IV.
bis Conſul fuit, prioris conſulatus tempus ignoratur, credendum eſt ſuffectum fuiſſe. Iterum Conſul cum Anicio Cereali fuit an. XXXIII. poſt ſuperioris conſulatum ſub M. Antonino Seueri Imp. filio. Quinctus Æmilius Papus V.
Conſul fuit cum C. Iulio Arriano ſub Gordiano Imp. an. DCCCCXCV. Sextus VI.
Fl. Æmilius Cos. fuit cum Fl. Viatore an. CIƆCCXLVI. ſub Anaſtaſio Imp. His Æmilius Papinianus Præfectus prætorio iuriſconſultorum princeps, qui a M. Antonino Seueri filio occiſus eſt, addatur. Is ſolus Æmiliæ familiæ gloriam ſeneſcentem retinuit, & decorauit.

ANTONIA.

ANTONIA familia in duas gentes diuiſa patriciorum, & plebeiorum paucos habuit, qui magiſtratus maiores, & honores fuerint adepti. Patricij duo Merendæ cognomento dicti, quorum alter T. Antonius Decemvir legibus ſcribendis fuit anno vrbis CCCIII. Iterum anno proximo factus, propter ſcelus Appij Claudij collegæ abdicauit. Leges tamen XII. Tabularum ab his, & aliis Decemviris conſcriptæ ſunt. Alter Q. Antonius huius, vt creditur, filius tribunus militum fuit conſulari poteſtate anno CCCXXXI. collegæ eius fuerunt L. Manlius Vulſo Capitolinus, L. Papirius Mugillanus, L. Seruilius Structus. Secutus eſt magiſter equitum M. Antonius, P. Cornelio Rufino Dictatore anno CCCCXIX. quem ſuperioribus patriciis connumeraſſem, niſi me cognominis defectus, & prænomen Marci retardaret. & quod iam tum plebei

magiſtri equitum fierent poſt C. Licinium Caluum, qui primus e plebe Magiſter equitum fuit an. CCCLXXXV. Hic quoque Antonius, & Rufinus Dictator vitio creati abdicarunt. Plebei poſt hunc ſex, conſulatus obtinuerunt ſeptem, cenſuras duas, triumphos duos, ouationem vnam, magiſterium equitum vnum, triumviratus reip. conſtituendæ duos. Hæc ante obitum Auguſti. Poſtea tres Imperatores Antonij Gordiani fuerunt, vna Antonia Auguſta Ti. Claudij Imperatoris mater. Antonini Imperatores plures, ſed hi Æliam, & Aureliam familias exornarunt. Princeps huius familiæ florente rep. M. Antonius fuit vir diſertiſſimus, quem Cicero multis laudibus exornat. hic Prætor de piratis triumphauit anno DCLI. Conſul triennio poſt cum A. Poſtumio Albino, Cenſor biennio ſequenti cum L. Valerio Flacco. occiſus eſt a L. Cinna Conſule anno DCLXVI. duos filios reliquit Marcum Triumviri patrem, & C. Antonium M. Tullij Ciceronis in conſulatu collegam anno DCXC. qui quamvis Catilinam detecta coniuratione armis eſt perſecutus, tamen, vt coniurationis conſcius, & particeps damnatus eſt. Hic duas filias reliquit, quarum alteram duxit M. Antonius frater patruelis, alteram Caninius Gallus eius accuſator. M. Antonius Quæſtor C. Cæſaris in Gallia, poſtea Augur creatus eſt, ac paullo poſt Tribunus plebis C. Claudio Marcello L. Lentulo Coſſ. an. DCCIV. partes Cæſaris acriter defendens confugit ad eius exercitum, quod initium fuit belli ciuilis. biennio poſt eidem Cæſari Dictatori Magiſter equitum fuit. & in quincto conſulatu, tertio deinde anno collega diadema regium Lupercalibus eidem obtulit, Lupercus ipſe, & Conſul, Cæſar recuſauit. Occiſo Cæſare Idibus Martiis P. Cornelio Dolabella ſuffecto præclara decreta de abolenda dictatura, de obliuione rerum præteritarum, de actis Cæſaris confirmandis per ſenatum obtinuit. Sed poſtea potentiæ C. Cæſaris, & tyrannidis ſucceſſor eſſe concupiuit, ac prouincias Gallias cum exercitu obtinere. Tandem Triumvir reip. conſtituendæ in quinquennium cum M. Æmilio Lepido, & C. Iulio Cæſare herede Dictatoris factus eſt. Brutum, & Caſſium interfectores Cæſaris perſecutus. Ouans vrbem ingreſſus eſt, hoc titulo, quod pacem cum C. Cæſare feciſſet an. DCCXIV. Iterum in quinquennium renouatus eſt ei triumviratus, mox Conſul iterum factus, cum L. Scribonio Libone an. DCCXIX. ipſis Kal. Ian. abdicauit, & in eius locum factus eſt L. Sempronius Atratinus. Deſignatus tertio conſul in annum DCCXXII. hoſtis a Cæſare iudicatus non iit. tandemque cum Cleopatra Ægypti regina, ex qua liberos ſuſceperat, eodem anno apud Actium victus ſe ipſum interemit. Fratres habuit Caium, & Lucium, Lucio ſoli Pietatis cognomen inditum. Conſul fuit cum P. Seruilio Vatia Iſaurico II. an. DCCXII. Kal. Ian. triumphum egit ex Alpibus. Cenſor fuerat anno proximo cum P. Sulpicio Quirino, luſtrum tamen non fecerunt. Fuit etiam Publius Antonius Conſul ſuffectus C. Cæſari Octauiano in ſecundo conſulatu, cum Kalend. Ian. abdicaſſet, poſt conſulatum Lucij anno VIII. Eius collega fuit L. Volcatius Tullus. Hunc ſuſpicor Marci filium, vt etiam Iulus Antonius fuit, qui conſulatum adeptus eſt cum Q. Fabio Maximo an. DCCXLIII. & propter adulterium cum Iulia Auguſti filia occiſus eſt. Vxores Marci fuerunt tres: Antonia C. Antonij

conſularis patrui ſui filia, quæ parum pudica fuit: Fuluia; ex qua liberos procreauit, P. Clodij Pulchri prius inimici Ciceronis vxor, deinde C. Curionis filij. Tertia vxor Octauia maior ſoror Auguſti, quæ prius C. Marcello nupſit, & liberis ſuſceptis ex ea, nupſit Antonio. Duo natæ filiæ Antonia maior, quæ L. Domitio Ahenobarbo auo Neronis Imp. nupſit: & Antonia minor, vxor Neronis Claudij Druſi Auguſti priuigni, ex quibus Ti. Claudius Imperator natus, qui matrem, vt diximus Antoniam Auguſtam appellauit, & eius nomine pleroſque nummos ſignari iuſſit. Filiam quoque ſuam is eodem nomine appellauit vxorem Cn. Pompeij Magni, ac poſtea Fauſti Syllæ nobiliſſimorum adoleſcentium. Mater Marci, & fratrum Iulia ſoror L. Cæſaris viri conſularis poſt mortem viri P. Cornelio Lentulo Suræ nupſit, quem Prætorem Cicero Conſul propter coniurationem Catilinæ ex S. C. occidi iuſſit. Hac de cauſſa Cicero eum malle dicit vitrici ſui, quam auunculi ſimilem eſſe. Iulus Antonius, de quo paullo ante diximus, is eſt, ad quem Horatius carmen illud miſit, cuius initium eſt,

Pindarum quiſquis ſtudet æmulari
Iule ceratis &c.

Is vero, aut alius Marci filius, & Fuluiæ, vxorem duxit Marcellam C. Marcelli, & Octauiæ maioris ſororis Auguſti filiam, quam M. Agrippa, vt Iuliam duceret Auguſti filiam, poſt obitum Marcelli prioris viri repudiauit. Erat autem Marcellus eiuſdem Marcellæ frater germanus. Cleopatra quoque M. Antonij & Cleopatræ reginæ filia nupſit Iubæ regi Mauritaniæ, ex qua Ptolemæus natus eſt. Alia filia Marci occiſo Cæſare filio M. Lepidi nupſit. Mortuus eſt Marcus annos natus LVI. Siue LIII. vt Plutarchus aſſerit. Iulus filium reliquit L. Antonium. Poſt Auguſti mortem ante Gordianos Imperatores duos tantum conſules Antonios inuenio Rufinos cognomento. Alter M. Antonius, qui Conſul fuit cum Ser. Octauio Lænate Pontiano ſub Hadriano Imp. anno DCCCLXXXIII. Alter collega fuit Bruttij Præſentis II. Cos. an. DCCCCV. Sub Pio Aug. quem Antonium dictum fuiſſe non poſſumus certos teſtes afferre. Gordiani Imperatores tres fuere Maximi Imp. ſucceſſores, vel potius eius tyrannidis vindices. Ex his duos Africanos cognominatos ſcimus, patrem, & filium, pecuniamque eorum nominibus ſignatam, in qua M. ANT. GORDIANVS. AFR. conſcriptum eſſe videmus. Seni pater fuit Mettius Marullus, mater Vlpia Gordiana, ex Gracchorum genere patrem, ex Trajani cognatione matrem eſſe dicebat. Vxor Fabia Oreſtilla Antoni proneptis eſſe dicebatur. Ipſe multis voluminibus Antoninorum Auguſtorum res geſtas verſibus, atq. ſoluta oratione conſcripſit, ſeque & liberos ſuos modo Antoninos, modo Antonios appellabat. Conſulatus duos pater geſſit, filius vnum, omnes ſuffectorum fuiſſe credimus. Neque enim aliud expreſſum eſt, quam patrem priore conſulatu collegam Antonini Caracallæ, poſteriore Alexandri Imp. fuiſſe. Imperium paucis diebus in Africa tenuerunt, filiuſque in prœlio occiſus, pater octogenarius ſe ipſum laqueo ſuffocauit. Tertius Gordianus ſenioris Africani ex filia nepos cum D. Cælio Balbino, & M. Clodio Pupieno Max. Auguſtis Cæſar dictus, illis

occiſis, & Maximino Aug. ac Iulio Maximo Cæſare, M. Antonius Gordianus Auguſtus appellatus eſt. Tribuniciam poteſtatem ſexies, conſulatum bis obtinuit. Poſt Gordianos duos ſolum conſulares inuenimus Fl. Antonium Marcellinum, qui cum Cœlio Probino Cos. fuit an. CIↃXCII. ſub tribus filiis Conſtantini Imp. & Fl. Antonium, qui cum Poſtumo Syagrio II. Cos. fuit an. CIↃCXXXIII. Sub Gratiano, Valentiniano, & Theodoſio, anno autem Chriſti CCCLXXXII. Addam ad extremum, Antonios ab Anteone, quem Vergilius Antorem, ſiue Antonem videtur appellaſſe, Herculis filio, aut ſocio originem duxiſſe, iactatum illis temporibus eſſe. Is erat illorum temporum error; vt ſuæ nobilitatis principes aut in deos, aut in heroas deorum nothos filios referrent.

AQVILLIA.

AQVILLIA duplex familia patriciorum, & plebeiorum paucos habuit conſulares, & triumphales, aut aliis maximis honoribus vſos. Patriciorum vetuſtiſſima memoria eſt, M. Aquillium Quartumvirum, vel potius Duumvirum ſacris faciundis, a Tarquinio Superbo inſui culleo iuſſum ob libros Sibyllinos euulgatos, vt Dionyſius ſcribit. Poſt hanc Aquilliorum, & filiorum L. Iunij Bruti primi conſulis coniuratio, vt reges reſtituerentur. Primus conſul C. Aquillius Tuſcus, cuius collega fuit T. Sicinius Sabinus anno CCLXVI. Ouans de Herniceis in vrbem rediit. Poſt centum vno minus annos L. Aquillius Coruus Tribunus militum fuit conſulari poteſtate cum aliis quinque patriciis. Plebei tres conſulares, & triumphales fuerunt. Primus C. Florus, M. F. C. N.
I. Cos. fuit cum L. Cornelio Scipione. amboque conſules de Pœneis trium-
II. pharunt, Scipio Cos. Florus Procos. IV. Non. Octob. an. CDXCV. Poſt hunc M'. Aquillius M'. F. M'. N. cum C. Sempronio Tuditano an. DCXXIV. Conſul fuit. Ambo etiam triumpharunt, Sempronius in conſulatu de Iapudibus, Aquillius ex Aſia III. Nonas Nouemb. an. DCXXVII. Proconſule. Huius filius M'. Aquillius Conſul fuit cum C. Mario quinctum Cos. an. DCLI. Ouans rediit Procos. de ſerueis fugitiueis ex Sicilia poſt biennium M. Antonio Cos. qui eius patrocinium poſtea ſuſcepit, atque cum defenſione accurata a magnis criminibus liberauit. Pater hic fuit, vt Aſconius ait, P. Cornelij Lentuli Suræ, qui Conſul fuit cum Cn. Aufidio Oreſte an. DCXXCII. Sed poſtea ſenatu a cenſoribus motus iterum prætor fuit Cicerone conſule, & a ſenatu abdicare coactus ob coniurationem Catilinæ occiſus eſt. Vxorem habuit Iuliam L.
III. Cæſaris ſororem M. Antonij Triumviri matrem. Sed de hoc in Cornelia dicemus. inſertus enim eſt adoptione in eam familiam. Addendus eſt his C. Aquillius Gallus iuriſconſultus clariſſimus, qui prætorius fuit, apud quem Cicero cauſas egit. Tempore Auguſtorum duos, treſve conſulares inuenio M. Aquillium C. F. Iulianum, qui Cos. fuit cum P. Nonio Aſprenate Torquato ſub Caligula an. DCCXCI. & Q. Aquillium Sabinum, qui bis conſul fuit ſub Caracalla, prioris conſulatus collega fuit Silius Meſſala anno DCCCCLXVI. poſterioris Sex. Aurelius Anullinus poſt biennium. Tertius eſt Aquillius Orfitus, qui cum Sex. Laterano Cos. fuit anno .... Fuit etiam vnica

Auguſta Iulia Aquillia Seuera Elagabali Antonini vxor, quam virginem Veſtalem fuiſſe Dion teſtatur.

ATILIA.

Atilia duplex familia patriciorum, qui Longi dicti ſunt; & plebeiorum, qui Reguli & Serrani, & Calatini, & Bulbi ſunt appellati. Longi duo tantum ambo eodem prænomine, tribuni militum conſulari poteſtate, quorum alter primus creatus eſt in eo magiſtratu cum collegis A. Sempronio Atratino, T. Clœlio Siculo, ſed vt vitio facti abdicarunt, & pro eis Conſules facti L. Papirius Mugilanus; L. Sempronius Atratinus anno cccix. Alter L. Atilius K. F. K. N. bis tribunus mil. fuit ann. cccliv. & ccclvii. Reguli ſex, conſulatus obtinuerunt nouem, cenſuram vnam, triumphos tres. Primus M. Atilius M. F. conſul fuit cum M. Valerio Coruo iv. anno cdxviii. I.
Huius filius eſſe creditur M. Atilius M. F. M. N. qui conſul fuit an. cdlix. cum L. Poſtumio Megello ii. amboque conſules triumpharunt, Poſtumius de Samnitibus, & Etruſceis vi. Kalend. April. Regulus de Volſonibus, & Samnitibus v. Kal. Tertius fuit princeps ille familiæ M. Atilius M. F. Lucij, vel Auli nepos; Verrius enim inconſtans in hoc eſt. hunc bis Conſulem, & triumphalem Cicero appellat, qui captus a Carthaginienſibus, & miſſus ab eis, vt captiui redimerentur, aut permutarentur, ſuaſit ſenatui, vt neutrum facerent, & ad certam mortem, atque cruciatus in Africam reuerſus eſt. Primum conſulatum geſſerat cum L. Iulio Libone, & ambo Coſſ. de Sallentineis triumpharunt viii. Kalend. Feb. anno cdxxcvi. In ſecundo conſulatu ſuffectus eſt Q. Cædicio in eo magiſtratu mortuo, cuius collega fuit L. Manlius Vulſo Longus, vndecimo anno poſt priorem conſulatum: in quo inſignem victoriam ſæpius in Sicilia, & Africa de Pœneis reportauerat. Huius vxor Marcia, filius Serranus a Silio Italico appellantur: quos ait dure, atque aſpere ab eo fuiſſe reiectos. veritus enim eſt, ne eorum caritate fidem, ac iuſiurandum violaret. Quartus eſt C. Atilius M. F. M. N. illius, vt creditur filius, quem etiam Serranum appellant, qui Cos. fuit anno proximo ante ſuperioris ſecundum conſulatum, cum Cn. Cornelio Blaſione ii. naualemque egit de Pœneis triumphum in conſulatu. Iterum conſul fuit an. diii. cum L. Manlio Vulſone Longo. ii. Quinctus M. Atilius M. F. M. N. ſuperioris fortaſſe frater conſul fuit cum P. Valerio Flacco anno dxxvi. iterum conſul ſuffectus C. Flaminio ab Hannibale occiſo anno ſecundo belli Punici ſecundi, poſt alterum conſulatum anno x. eorum collega fuit Cn. Seruilius Geminus. Cenſor triennio poſt cum P. Furio Philo, qui in hoc honore mortuus eſt, Regulus abdicauit. M. Metellum Quæſt. alioſque equites Romanos, qui deſerere Italiam iurauerant poſt Cannenſem pugnam ærarios retulerunt. Sextus eſt C. Atilius M. F. M. N. quem ſuperioris filium fuiſſe arbitror. Hic conſul fuit anno dxxviii. qui primus fuit belli Gallici Ciſalpini, cum L. Aimilio Papo. Serranorum gens tres habuit conſulares, quos etiam inuenio Sarranos, & Saranos appellatos, quaſi Tyrios, vel Punicos dixeris. Pœnos Sarra oriundos

Ennius dixit, hoc eſt Tyro. Inde Sarranæ tibiæ, Sarranum oſtrum. Sic ortos a Regulo captiuo, qui apud Pœnos occidi maluit, quam apud ſuos viuere, Sarranos fortaſſe dixerunt. De Caio filio in Regulis dictum eſt. Eius, vt arbitror, nepos A. Atilius C. F. C. N. Conſul fuit cum A. Hoſtilio Mancino anno DXXCIII. belli Perſici anno ſecundo. Poſt hunc Sex. Atilius, qui Cos. fuit anno DCXVII. Cum P. Furio Philo. Sunt, qui putent hunc M. F. quod titulus inueniatur cuiuſdam Sex. Serrani M. F. procos. ſed quia incertum eſt eumdem eſſe, pro certo non accipio. Sequitur C. Serranus, qui conſul fuit cum Q. Seruilio Cæpione anno DCLXVII. quibus conſulibus M. Cicero natus eſt III. Non. Ian. vt Gellius ſcribit. Calatinum vnum inſignem virum conſularem bis inuenio, & triumphalem. idem dictator, & cenſor fuit tempore belli Punici primi. A. Atilius A. F. C. N. a Verrio appellatur. Priorem conſulatum egit cum Q. Sulpicio Paterculo an. CCCCXCV. ambo triumharunt Sulpicius in conſulatu de Pœneis, & Sardeis, Atilius PR. vel procos. ex Sicilia de Pœneis XIV. Kal. Febr. poſt conſulatum. Iterum Cos. fuit cum Cn. Cornelio Scipione Aſina iterum Cos. an. CDXCIX. & poſt quinquennium dictator rei gerundæ cauſſa Magiſtrum equitum dixit L. Cæcilium Metellum. Cenſor biennio poſt factus eſt cum A. Manlio Torquato luſtrum fecerunt XXXIIX. Vxor huius exiſtimatur Fabia Q. Fabij Max. Rulliani filia. Paupertas eius maxima; ex aratro ad honores vocatus eſt; vnde fortaſſe cognomen inditum, Calare enim vocare eſt, vt ex kalendis, & calatis comitiis cognoſcimus. Huic „ poſitum fuiſſe elogium ad portam Gapenam Cicero refert. Vno ore cui „ plurimæ conſentiunt gentes populi primarium fuiſſe virum. Bulbus vnus C. Atilius A. F. A. N. Cos. fuit an. DVIII. cum M. Fabio Buteone. Iterum Cos. decennio poſt cum T. Manlio Torquato. Quibus conſulibus pace populo Rom. vbique parta Ianus iterum cluſus eſt. Primum vero Numa rege claudi cœpit. Tertio Auguſto Imperatore V. Cos. Quarto Aug. IX. Cos. Quincto Nerone Imp. III. Cos. Sexto Veſpaſiano Aug. III. Cos. Sed nos ad Atilios reuertamur. Imperatorum temporibus quattuor tantum reperio conſulares Atilios. Primus eſt M. Regulus Cos. ſuffectus ex Kal. Iul. cum C. Fonteio Capitone an. DCCXX. ſecundo Auguſti conſulatu. Alter eſt M. Atilius Metilius Bradua, qui Cos. fuit cum Appio Annio Trebonio Gallo an. DCCCLX. ſub Traiano Imp. Eiuſdem nominis alter Bradua cum Triario Materno Cos. fuit an. DCCCCXXXVII. ſub Commodo Imp. Iterumque poſt ſex annos cum Caſſio Apronano. Quartus Atilius eſt, quem alij Iulium appellant Seueri cognomento Cos. ſuffectus fuit cum Æmilio Iunco an. DCCCCXXXIV. ſub eodem Imp.

AVRELIA.

AVRELIA familia prius Auſelia dicta a Sole, Sabina origine, & plebeia tribus cognominibus diſtincta eſt: Cottarum, Oreſtarum, & Scaurorum. Cottæ ab anno D. vrbis ad DCC. ſeptem habuit conſulares, quorum vnus bis Conſul fuit, duo cenſores, vnus magiſter equitum, vnus triumphalis. Oreſtæ

eiſdem

eiſdem temporibus tres conſulares ; vnus etiam triumphalis. Scaurus vnus
conſularis. Hæc florente republica. Poſtea multis Imperatoribus illuſtris
reddita eſt. Nam propter adoptionem Hadriani T. Aurelius Antoninus, qui
poſtea pius appellatus eſt, T. Ælius Antoninus dictus, & quos ipſe adoptauit,
M. Annius, & L. Ceionius Aurelij Antonini appellati ſunt, & poſt eos
Commodus M. F. item Caracalla Septimij Seueri filius, & Elagabalus M.
Aurelij Antonini dicti ſunt. Seuerus quoque Alexander, Valerianus,
Claudius, Quintillus, Aurelianus, Probus, Carus, Carinus, Numerianus,
Diocletianus, Maximianus, Conſtantius, Seuerus, Maxentius, Conſtantinus
Maximus, & Licinius, Aurelij fuerunt appellati. Primus C. Cotta L. F. C. N. I.
Cos. fuit cum P. Seruilio Gemino, & ſolus triumphauit Idib. April. anno DI.
de Pœneis & Siculeis. Iterum cum eodem collega poſt quadriennium Cos.
fuit. Cenſor cum N. Fabio Buteone ſeptimo deinde anno, luſtrum fecerunt
XXXIX. Magiſter equitum fuit C. Duilio Dictatore comitiorum habendorum
cauſſa an. DXXII. Alter C. Cotta C. F. C. N. ſuperioris, vt creditur, filius Cos. fuit II.
cum P. Sulpicio Galba Max. II. anno primo belli Philippici hoc eſt anno DLIII. III.
Poſt hunc L. Cotta fuit, cuius parentes ignoramus, Cos. cum Ser. Sulpicio
Galba an. DCIX. Quartus L. Cotta ſuperioris, vt creditur, filius Cos. fuit cum IV.
L. Cæcilio Metello Caluo an. DCXXXIV. Quinctus C. Aurelius M. F. Cos. cum V.
L. Octauio anno DCLXXIIX. Huic triumphus decretus erat, ſed ob
reſciſſam cicatricem prius mortuus eſt. Laudatur, vt diſertus a Cicerone,
eiuſque leges aliquot fuerunt. Huius mater Rutilia P. Rutilij conſularis viri
ſoror etiam laudatur. Sextus Marcus ſuperioris frater Cos. fuit anno ſequenti VI.
cum L. Licinio Lucullo. Septimus L. Cotta ſuperiorum duorum frater Cos. VII.
anno DCXXCIIX. cum L. Manlio Torquato, damnatis competitoribus iam
deſignatis P. Cornelio Sulla; & P. Autronio Pæto. Cenſor idem anno proximo
cum Q. Cæcilio Metello Pio, quo mortuo, Cotta abdicauit Oreſtæ omnes
eodem prænomine vſi ſunt. ex quibus primus L. Oreſtes L. F. L. N. Cos. fuit
anno DXCVI. cm Sex. Iulio Cæſare. Alter Cos. anno DCXXVII. cum Mam.
Aimilio Lepido. quibus Cos. ludi ſæculares quarti facti ſunt. Hic ſuperioris
filius fuit, Procos. ex Sardinia VI. Id. Decemb. poſt triennium. Tertius
ſuperioris filius in conſulatu collega fuit C. Marij III. Cos. & in eo magiſtratu
mortuus eſt anno DCL. Scaurus vnicus M. Aurelius Cos. ſuffectus fuit anno
DCXLV. collegæ Ser. Sulpicij Galbæ, quem quidam arbitrantur fuiſſe L.
Hortenſium patrem Q. Hortenſii oratoris, eumdemque antequam iniret
conſulatum, damnatum eſſe. Hactenus Aurelios conſulares retulimus, qui
ante Cæſarum imperium vixerunt. Nunc de iis, qui ſub eis, aut de ipſis
Aureliis Auguſtis paucis perſtringam. Ante T. Antonini Pij tempora vnum
tantum reperio, qui non fuerit ex eius parentibus M. Aurelium M. F. M. N.
Cottam Cos. is Conſul fuit cum M. Valerio Meſſalla anno DCCLXXII. ſub Ti.
Cæſare. Hunc Meſſallam matre Aurelia fuiſſe ex Cottarum ſtirpe Ouid. autor
eſt. Aurelia quoque matre natus eſt C. Iul. Cæſar Dict. C. Cottæ filia M. Cottæ
auus M. Cotta Conſul, de quo ſupra diximus. Ceteri conſulares ex Fuluorum
familia, quæ in Gallia Tranſalpina in Colonia Nemauſenſe fuerat, ex ea ortus

Tt

T. Aurelius Fuluus auus Pij Antonini Imperatoris bis Conſul, & Præfectus Vrbi fuit. Priore conſulatu collega Domitiani Imp. in vndecimo eius conſulatu anno DCCCXXXVII. poſtetiore A. Sempronij Atratini poſt quadriennium ſub eodem Imperatore. Huius filius eodem nomine Conſul etiam fuit, ſed quo tempore, incertum eſt, ſuffectus fortaſſe, aut honoris titulo contentus homo, vt ait Capitolinus, triſtis & æger. Hic Arriam Fadillam duxit Arrij Antonini bis Conſulis, & Bouiniæ, vel Boioniæ Procillæ filiam. Ex hac natus eſt T. Aurelius Fuluus Boionius Antoninus, qui antequam adoptaretur ab Hadriano Imp. Cos. fuit cum L. Catilio Seuero anno DCCCLXXII. adoptatus eſt poſt obitum L. Ælij Cæſaris ea conditione, vt filium Lucij, & M. Annium Verum ſibi filios adoptaret. is fuit an. DCCCXC. vltimus Imp. Mater poſt patris obitum Iulio Lupo conſulari viro nupſit, ex ea Iulia Fadilla nata eſt ſoror vterina Pij. Vxorem habuit Anniam Fauſtinam, quæ poſtea Auguſta, & poſt obitum Diua Fauſtina dicta eſt, filiam Annij Veri aui Marci Imperatoris, qui etiam gener, & filius Pij fuit. Nam Fauſtina minor, quæ etiam Auguſta, & Diua Fauſtina Pia appellata eſt, Pij filia fuit, Marci vxor. maior Pij filia Lamiæ Silano nupſit. De Tito, quod in Æliam familiam inſertus ſit, in Ælia diximus. Marcus ex Annia familia in Aureliam tranſlatus, ſub Pio Cæſar dictus tres conſulatus obtinuit, ac Tribuniciam poteſtatem XV. Pontificatum, & Proconſulatum. Poſt obitum Pij cum L. Aurelio Vero fratre adoptiuo, eodemque genero ſuo Lucilla filia, quæ poſtea Auguſta dicta eſt, ei collocata annos VIII. & amplius imperauit. poſtea Commodum filium Cæſarem Auguſtum appellauit, & cum filio, aut Cæſare, aut Auguſto vltra annos decem imperauit. Imperator decies dictus eſt Trib. poteſt. XXXIIII. accepit. L. Verus viuo Pio Aug. patre adoptiuo bis Conſul fuit, & Cæſar dictus eſt. Poſt obitum Pij cum Marco Auguſtus dictus, Pontifex fuit, Imperator quinquies, Tribuniciam poteſt. nouies accepit, conſulatumque tertium obtinuit. Ambo fratres poſt obitum, Diui appellati ſunt. M. Aurelius Commodus Marci filius Cæſar viuo L. Vero appellatus eſt. Poſt obitum Veri annis aliquot exactis Tribuniciam, poteſtatem ac deinde Auguſti nomen accepit, Conſul bis fuit viuo patre, Pontifex, Imperator quater, Trib. poteſtatem ſexies accepit. Poſt mortem patris Pont. Maximus Conſul VII. Trib. poteſt. XVIII. Imp. VIII. dictus occiſus eſt. Indignus tanto patre filius. His temporibus duos conſulares Aurelios inuenio, quorum alter M. Aurelius Seuerus Cethegus Cos. fuit cum L. Iunio Claro an. DCCCCXXII. poſt obitum L. Veri ſub Marco ſolo Imp. alter M. Aurel. Claudius Pompeianus poſt annos tres Cos. fuit cum Cn. Claudio Seuero II. Hic gener Marci fuit. Non longe ab interitu Commodi L. Septimius Seuerus imperium obtinuit, hic ſe Marci filium mentitus eſt, & filium ſuum M. Aurelium Antoninum appellari voluit, ac Cæſarem, Pontificem, & mox Auguſtum fecit, Cos. III. Imp. II. Tr. Poteſt. XIIII. viuo patre. eo defuncto cum fratre P. Septimio Geta menſes fere tredecim, & poſtea ſolus annis V. & amplius imperauit. Hoc tempore Pont. Max. Cos. IIII. Tr. Poteſt. XIX. Imp. III. appellatus eſt. Hic a multis ſcriptoribus Caracalla dicitur, ab aliquibus Magnus

Antoninus. Hoc tempore duos conſulares fuiſſe Aurelios reperi, M. Aurelium Claudium M.F.Pompeianum, qui Cos. fuit cum Lolliano Auito an. DCCCCLXI. ſub Seuero, & Antonino Impp. Hic nepos M. Aurelii philoſophi fuit ex Lucilla filia maiore. De patris conſulatu ſupradictum eſt. Iterum Conſul fuit, ſed tempus incertum eſt. Alterum Aurelium inuenio Sex. Anullinum Cos. cum Q. Aquillio Sabino II. anno DCCCCLXIX. ſub eodem Antonino Imperatore. Occiſo Antonino, & paullo poſt Macrino Sacerdos dei Elagabali Imperator M. Aurelius Antoninus appellatus eſt. is ſe Antonini filium finxit. Pont. Max. Tr. Poteſt. IV. Cos. IV. occiſus eſt. Succeſſor eius fuit M. Aurelius Seuerus Alexander frater conſobrinus ſuperioris, quamuis hic etiam ſe Antonini Magni filium diceret. mater huic Iulia Mamæa Auguſta, vel Chriſtiana, vel Chriſtianorum patrona. matertera Iulia Soemias Auguſta mater Elagabali, auia Iulia Mæſa Auguſta viuo fratre Cæſar appellatus eſt, & Conſul fuit, poſtea Pont. Max. Tr. poteſt. XIV. Cos. III. occiſus eſt, optimuſque Imp. fuit: vt frater omnium turpiſſimus. His temporibus, & ſequentibus vſque ad Valerianum Imp. hos conſulares inuenio. Primus eſt M. Aurelius Aug. Lib. Eutychianus Comazon, qui ter Conſul fuit. primo conſulatu ſuffectus cum Elagabalo Imp. anno DCCCCLXX. Iterum Cos. cum eodem III. Cos. poſt biennium. Tertii conſulatus tempus incertum eſt. Alter M. Aurelius Claudius Pompeianus, eius, vt creditur, de quo antea locuti ſumus, filius Cos. fuit anno DCCCCXXCIII. ſub Alex. Imp. Iterum Cos. decennio poſt collega Gordiani tertii Imp. in ſecundo conſulatu. Valerianus Imp. multis nominibus appellatus eſt. P. Aurelius Licinius Valerius Valerianus, Cenſor fuit ſub Decio Imp. ſine collega, luſtrum non fecit. cum Gallieno filio anno VII. imperauit. Pont. Max. Trib. pot. VII. Cos. IV. captus a Perſis eſt. Filios ſunt, qui etiam Aurelios appellent; ſed eos in Licinia, vt Licinios referemus. Eodem tempore M. Aurelius Memmius Fuſcus Cos. fuit cum Pomponio Baſſo an. CIↃX. Marcus Aurelius Victorinus pater, & Victorinus filius Imperatores dicti tyrannis recenſentur. M. Aurelius Flauius Claudius Imp. in Claudia referendus. M. Aurelius Quintillus Imp. Claudii frater dies XVII. imperauit. L. Domitius Aurelius Valerius Aurelianus Imp. in Domitia collocandus. M. Aurelius Gordianus Cos. ſuf. ſine collega ex Kalend. Febr. in interregno occiſo Aureliano Imp. anno CIↃ. XXVII. M. Aurelius Valerius Probus, hic ſe Aurelium in aere ſignato aſſerit. Pont. Max. Trib. poteſt. VI. Cos. V. occiſus eſt. M. Aurelius Carus Imp. a quibuſdam etiam Manlius Aurelianus dicitur Carinum, & Numerianum filios Cæſares fecit Cos. II. Trib. poteſt. II. Pont. Max. mortuus eſt. Filii Imp. anno I. eodem, quo pater prænomine Aurelii Cos. II. Carinus Pont. Max. fuit, Numerianus Pontif. ambo Trib. pot. ſemel obtinuerunt. C. Aurelius Valerius Diocletianus imperauit ſolus annos duos, & cum M. Aurelio Val. Maximiano an. XVIII. & Diocletianus Pont. Max. Trib. pot. XX. Cos. IX. ac Maximianus Pontif. Trib. pot. XIIX. Cos. VIII. abdicarunt relicto imperio M. Aurelio Flauio Valerio Conſtantio, & C. Galerio Valerio Maximiano, quos antea Cæſares creauerant. Conſtantius Pont. Max. Trib. pot. XVI. Cos. VI. mortuus eſt. His temporibus

duo conſulares fuerunt M. Aurelius Maximus, qui Conſul fuit cum Pomponio Ianuario an. CIↃXXXIX. ſub Diocletiano, & Maximiano Impp. & M. Aurelius Aſclepiodotus, qui cum Afranio Hannibaliano Cos. fuit an. CIↃXLIII. eiſdem Auguſtis. Hic præfectus Prætorio Britannias recuperauit. Conſtantii, & Maximiani Iun. tempore C. Galerius Maximinus & M. Aurelius Seuerus Cæſares appellati ſunt. Mortuo Conſtantio Conſtantius filius cum Maximiano, & M. Aurelio Maxentio Maximiani Sen. filio imperio tenuerunt. Conſtantinum ſunt,
I. qui C. Aurelium Valerium Flauium Conſtantinum appellent, ac Licinium
II. eius collegam C. Aurelium Valerium Licinianum Licinium. Hoc tempore L.
IV. Aurelius Symmachus Cos. fuit cum Ouinio Gallicano anno CIↃXXCI. ſub Conſtantino Imp. & M. Aurelius Xenophilus Cos. cum Fl. Valerio Delmatio, qui poſtea Cæſar appellatus eſt triennio poſt ſuperiorem. Poſt quem Sex. Aurel. Victor, cuius exſtat epitome hiſtorica Cæſarum Cos. fuit cum Iulio Felice
V. Valentiniano an. CIↃCXX. ſub Valente Valentiniano & Gratiano Impp. Secutus eſt L. Aurelius L. F. Auianus Symmachus inſignis orator, cuius exſtant epiſtolæ, & orationes aliquot illis temporibus diſertiſſimæ, hoc tempore
VI. parum gratæ. Cos. fuit cum Ti. Fabio Titiano an. CIↃCXLIII. ſub Theodoſio, & Arcadio Impp. Hic Præf. Vrbi & annonæ. & Propræf. Præt. Pontifex Maior, & XV. Vir ſacris faciundis etiam fuit. Huius filius Q. Aurel. Symmachus Cos. fuit in Occidente cum Fl. Ætio magiſtro vtriuſque
VII. militiæ III. anno CIↃCXCIIX. ſub Placidio Valentiniano tempore Theodoſij Iun. Imp. Superioris deinde filius Q. Symmachus Cos. fuit in Occidente anno CIↃCCXXXVII. Sub Odouacre tempore Zenonis Imp. Secutus eſt M. Aurel. Caſſiodorus Senator, cuius extant præclara
VIII. monumenta Cos. fuit in Occidente ſub rege Theodorico anno CIↃCCLXVI. hoc eſt Chriſti DXIV. tempore Anaſtaſij Imp. Poſtremus Q. Aurelius Anicius Symmachus anno CIↃCCLXXIV. Cos. fuit cum genero Anicio Manlio Seuerino Boëtio, viri ambo doctiſſimi habiti ſunt tempore Iuſtini Imp. in Occidente ſub dicto Rege.

CAECILIA.

CAECILIA gens plebeia, ſed nobilis, ex qua Metellorum familia non ante CDLXX. fere annum conſulatum adepta, intra annos CCXC. Pontificatus Maximos quattuor, Dictaturas duas, Principatus ſenatus tres, Cenſuras ſeptem, Triumphos nouem, Conſulatus XX. Magiſteria equitum duo, viri XIX. adepti ſunt. Ante hæc tempora Caia Cæcilia Tanaquil Tarquiniis cum Priſco Damarati Corinthij filio Romam migrauit, Etruſcæ diſciplinæ perita, viro regnum augurata eſt. Ab ea boni ominis cauſſa mulieres omnes Caiæ dictæ ſunt. Qua de cauſſa omnes liberti mulierum, ſe Caiæ libertos in titulis monumentorum his notis aſſerunt. C. CAECILIVS. Ↄ. L. EROS. Poſt Reges exactos Q. Cæcilius anno CCCXIV. Trib. pl. fuit. Primus Conſul L. Metellus.
I. C. F. cum C. Seruilio Gemino Tucca ante bellum Tarentinum anno tertio. in magiſtratu a Senonibus Gallis occiſus eſt, & in eius locum M'. Curius Dentatus II. Cos. factus. Hunc Dentonem, vel Dentricem quidam appellant,

quod cognomen ab aliis Cæciliis aliquando vſurpatum eſt. Alter princeps II.
familiæ ſine vlla dubitatione L. Metellus L. F. C. N. bis Conſul, Dictator,
Pont. Max. Magiſter equitum, Decemvir agris dandis, vir triumphalis,
clariſſimum Metellorum nomen reddidit. Priori conſulatu, quem cum C.
Furio Pacilo egit, anno DII. inſignem victoriam in Sicilia de Pœneis adeptus
eſt, ac de eis triumphauit Procos. VII. Idus Septemb. anno proximo. Primus
elephantos duxit in triumpho; neque quiſquam plures. erant autem CXL.
Biennio poſt Magiſter equitum fuit A. Atilio Calatino Dictatore. Tum primum
Dictator extra Italiam profectus eſt. Iterum Cos. fuit cum N. Fabio Buteone
anno DVI. poſt quadriennium Pontifex Maximus factus eſt, eique ſacerdotio
duos, & viginti annos præfuit. Dictator comitiorum cauſſa anno DXXIX.
Numerium Fabium collegam Magiſtrum equitum dixit. Palladium ex incendio
in templo Veſtæ exorto eduxit, cæcuſque factus eſt. Curru in ſenatum veniens
vtebatur. Centeſimum annum agens moritur. Huius filius Q. Cæcilius, qui III.
patrem in funere laudauit, & orator aliquo in numero fuit, ſed & L. Metellus
qui Quæſtor fuit anno DXXXIX. & anno proximo Tribunus plebis, quique
poſt Cannenſem cladem auctor deſerendæ Italiæ fuerat, niſi a Scipione
Africano interpellatus fuiſſet: necnon M. Metellus, qui Prætor fuit anno
DXLVII. eiuſdem filij eſſe creduntur. Quinctus eodem anno Cos. fuit
cum L. Veturio Philone, Magiſter equitum fuerat M. Liuio Salinatori
eorumdem comitiorum habendorum cauſſa. Proximo anno poſt conſulatum
Dictator comitiorum cauſſa dictus Philonem collegam Magiſtrum equitum
fecit. Huius filij duo maior paterno prænomine poſtea Macedonicus IV.
dictus eſt, Minor L. Metellus Caluus. Fuit etiam eiſdem temporibus
L. Cæcilius Metellus Dentrix, qui Prætor fuit anno DLXX. cuius V.
parentes ignoramus, ſed potuit illius L. Metelli filius eſſe, qui Tr. Pl.
fuit ante annos XXX. Macedonici felicitatem multi laudarunt. Nam Conſul,
Cenſor, Augur, ac triumphalis, & duobus luſtris Princeps ſenatus, filius, &
nepos conſularium, atque illuſtrium virorum filios, & nepotes habuit
conſulares & triumphales multos. Ante conſulatum Pro Prætore triumphauit
ex Macedonia de Andriſco Pſeudophilippo anno DCVII. quo anno
Africanus Æmilianus ex Africa Procos. Conſulatum triennio poſt adeptus
eſt cum Ap. Claudio Pulchro. anno proximo Caluus frater cum Q. Fabio
Maximo Seruiliano. Cenſuram ambo fratres obtinuerunt, Macedonicus cum
Q. Pompeio Rufo, plebeiuſque tum primum vterque Cenſor fuit an. DCXXII.
Caluus poſt quinquennium cum L. Calpurnio Piſone Frugi, qui luſtrum
non fecerunt LIX. vnum in vita periculum Cenſor ſubiit Macedonicus,
quod C. Atinium Macerionem Tr. Pl. ſenatu mouerit; ab eodem enim
comprehenſus eſt, & obtorto collo in Capitolium ducebatur, vt e ſaxo
præcipitaretur, niſi collegæ auxilium tuliſſent. vxores ducendas eſſe
diſerte in cenſura populum admonuit. Cum Africano minore inimicitias
geſſit. Princeps ſenatus duobus luſtris lectus eſt an. DCXXXIII. Balearico
filio Cenſore, & quinquennio proximo L. Metello Calui F. Cenſore. Huius VI.
filij quattuor Quinctus, Lucius, Marcus, Caius. filiæ tres, quarum vna P.

Cornelio Scipioni Naſicæ nupſit, qui Cos. bello Iugurthino in magiſtratu mortuus eſt. Horum nepos fuit Q. Metellus Scipio, de quo paullo poſt dicemus. Alteram duxit C. Seruilius, ex qua P. Seruilius Iſauricus Princeps ſenatus, & bis triumphalis natus eſt. Q. Metellus Q. Macedonici filius ex triumpho, vt pater, cognomen Baliarici conſecutus eſt, quem egit poſt conſulatum, in quo habuit collegam T. Quinctium Flamininum anno DCXXX. Cenſor triennio poſt fuit cum Q. Seruilio Cæpione, & luſtrum fecerunt LXI. Huius filij Q. Metellus Nepos, de quo poſtea, & Cæcilia Appij Claudij viri conſularis vxor, ex quibus orti ſunt Ap. Claudius vir conſularis & cenſorius,
VII. & P. Clodius Trib. plebis. Alter Macedonici filius Lucius cognomen ex triumpho Delmatici aſſecutus eſt, patrem, & fratrem imitatus antea Diadematus dictus, vt quidam aſſerunt, ob frontem diu vitta vel diademate obligatum. Conſul fuit cum Q. Mucio Scæuula, & pro Cos. triumphum egit de Delmateis anno DCXXXVII. Pontifex Maximus fuit an. DCLXIII. poſt Cn. Domitium Ahenobarbum. Huius filii fuerunt Q. Metellus Creticus, & Cæcilia M. Æmilii Scauri, qui Princeps ſenatus quater lectus eſt, vxor quæ mortuo viro, filio, & filia prius ex eo ſuſceptis nupſit L. Cornelio Sullæ
VIII. Felici Dictatori. & ex eo etiam filios peperit. Tertius Marcus Macedonici filius Cos. fuit cum M. Aimilio M. F. Scauro, quem generum fuiſſe diximus L. Delmatici anno DCXXXIIX. Ambo Conſules triumpharunt, Scaurus
IX. in conſulatu de Galleis Karneis, M. Metellus poſt biennium ex Sardinia. Quartus frater horum fuit C. Metellus Caprarius cognomento, quem non Conſulem, ſed deſignatum vidit moriens pater cum Cn. Papirio Carbone. hic etiam triumphauit in conſulatu eodem die, quo Marcus frater ex Træcia. Quod tum primum accidit, idque ſolum defuit paternæ felicitati, vt id videre poſſet. Hic etiam Cenſor fuit. vt quibuſdam placet anno DCLI. cum Q. Metello Numidico fratre patruele, luſtrum fecerunt LXIV. Nunc Calui
X. eius fratris liberos perſequamur. L. Metellus Caluus L. Calui filius Pontifex Max. Cenſor & Conſul fuit. Collegam in conſulatu habuit L. Aurelium Cottam anno DCXXXIV. in Cenſura, quam quadriennio poſt geſſit, Cn. Domitium Ahenobarbum; luſtrum fecerunt LXII. in quo Princeps ſenatus lectus eſt Macedonicus, vt antea retulimus. Pontificatum obtinuit mortuo
XI. P. Mucio Scæuula anno DCXXXIX. Huius frater fuit Q. Metellus Numidicus poſt victoriam, & triumphum dictus bello Iugurthino. Conſul hic fuit quinquennio poſt eum annum, quem proxime retulimus Pontificatus fratris, cum M. Iunio Silano: de Iugurtha, & Numideis Procos. biennio poſt triumphauit. Clariſſimus vir domi, militiæque Cenſor quinquennio poſt triumphum cum C. Caprario fratre patruele, vt antea diximus. Iurare in Appulei Saturnini Tr. pl. leges noluit, ob quod exilium fortiter tulit. Saturnino occiſo lacrymis filii, qui Pius hac de cauſa dictus eſt, reuocatus eſt. Sororem habuit Cæciliam parum pudicam matrem L. Licinii Luculli, qui de
XII. Mithradate triumphauit. Q. Metellus Pius clariſſimus etiam vir Conſul, Cenſor, Pontifex Max. & Princeps ſenatus, ac triumphalis fuit L. Sullæ Felicis in ſecundo conſulatu collega anno DCLXXIII. propter affinitatem eius partes ſecutus,

nam Sulla Delmatici, aut L. Calui filiam; & ex ea liberos ſuſceperat. Q. Sertorium in Hiſpania perſecutus eſt adiutore Cn. Pompeio Magno; mortuo Sertorio a ſuis, Romam reuerſi ambo ex Hiſpania triumpharunt an. DCXXCII. Pontificatum ante vndecim annos aſſecutus fuerat mortuo Q. Mucio Scæuula. Princeps ſenatus lectus eſt LXVIII. luſtro. Septimo poſt triumphum anno ſine liberis mortuus eſt. Adoptiuum filium heredem nominis, & familiæ XIII. reliquit nobiliſſimum virum P. Cornelium Naſicam P. Scipionis Naſicæ viri conſularis, & Cæciliæ Q. Macedonici filiæ nepotem, cuius mater Licinia L. Craſſi oratoris conſularis, & cenſorij filia fuit. Hic poſt adoptionem Q. Cæcilius Q. F. Metellus Pius Scipio appellatus eſt. Vxor huic Lepida; de qua cum M Catone contendit. Filia Cornelia ante adoptionem nata clariſſimis nuptiis bis celebratis infelici exitu virorum ſuperſtes. Nam P. Craſſo prius, qui cum patre M. Licinio Craſſo Diuite a Parthis occiſus eſt, poſtea Cn. Pompeio Magno, qui patris in conſulatu tertio collega fuit, nupſit. Hunc conſulatum Magnus ſine collega iniit dilatis comitiis contentionibus candidatorum T. Milonis; & Metelli Scipionis, & P. Plautij Hypſæi, quique eorum partes non ſine ferro agebant. Tunc P. Clodius ſeditionum princeps a Milone occiſus eſt. Ab interrege Ser. Sulpicio Pompeius primus creatus Conſul ſine collega v. Kalend. Mart. iniit. Collegam ſocerum Scipionem habuit Kalend. Sextil. Milo damnatus eſt. Bellum paullo poſt inter Cæſarem & Pompeium exarſit. Metellus generum ſecutus, eique ſuperſtes in Africa, ne in manus inimici veniret, ſe ipſum interemit. Moriens cum a militibus Imperator quæretur, dixit, Imperator bene ſe habet. Redeo nunc ad XIIII. Macedonici nepotes. Q. Metellus Nepos Baliarici filius cognomen id retinuit, quod nepos eſſet Macedonici. Conſul is fuit cum T. Didio T. F. an. DCLV. ab his lex Cæcilia, & Didia appellata eſt. Huius filius Q. Metellus Nepos, qui XV. Tribunus pl. Ciceronem conſulatu abeuntem concionem habere prohibuit, iurare tantum veteri more permiſit prid. Kal. Ian. an. DCXC. Conſul poſtea fuit cum P. Cornelio Lentulo Spinthere quinquennio poſt atque æquiorem ſe M. Ciceroni ab exilio redeunti præbuit. Huius vterina ſoror Mucia. Tertia dicta eſt Cn. Pompei, & poſtea M. Scauri vxor. L. Delmatici Q. Metellus filius XVI. Creticus poſtea dictus Conſul fuit an. DCXXCIV. cum Q. Hortenſio oratore, triumphum egit poſt ſeptem annos Procos. ex Creta. Huius, vt creditur frater, XVII. & in conſulatu ſucceſſor L. Metellus Conſul deſignatus mortuus eſt, Q. Marcius Rex ſolus conſulatum geſſit. In Prætura ſucceſſor C. Verris in Sicilia fuit. Horum etiam frater M. Metellus de repetundis Prætor cognouit Cretico fratre conſule. His etiam temporibus Q. Metellus Celer frater poſterioris Nepotis fuit, ſed XVIII. germanus, an vterinus, an patruelis incertum eſt. Mihi vterinus fuiſſe videtur, quod eo tempore duo germani non eiſdem prænominibus vtebantur. Tum etiam, quod cognomen ob celeritatem ludorum poſt mortem patris accepit. Id magis Q. Nepoti debebatur, qui paternum cognomen retinebat, vtpote heredi, aut vnico, aut maximo. Patrueles non fuiſſe indicat, quod ambo Q. F. dicuntur. Prætor hic fuit Cicerone conſule, & coniurationis vindex. Conſul triennio poſt cum L. Afranio an. DCXCIII. Sunt, qui putent hunc Q. Metelli

Celeris filium fuiſſe, qui Tribunus pl. fuit cum Q. Vario, vt Cicero in Bruto ſignificat. Idem, & Pontifex, & Augur fuit. Huius vxor Clodia, ſiue Claudia Appij, & Publij ſoror, de cuius impudicitia multa Cicero in oratione pro M. Cælio Rufo. Eam Appuleius a Catullo Leſbiam appellari ait, Plutarchus Quadrantariam vulgo cognominatam. Fuit eiſdem temporibus L. Metellus, qui C. Cæſari pecuniam ex ærario publico efferenti Tribunicia poteſtate impe-
XIX. dire conatus eſt: Cuius parentes ignoramus. Poſtremus Metellus ſub Auguſto fuit Q. Creticus Silanus Q. F. Q. N. Cos. cum A. Licinio Nerua Silano anno DCCLIX. Hæc de Metellis, quorum cognomen militaris miniſterii eſſe docet Feſtus Attii carmine,

Calones, famulique metellique caculæque.

Alij Cæcilij non conſulares fuerunt, vt Q. Cæcilius Niger Siculus Quæſtor C. Verris, de quo multa Cicero in Diuinatione in Verrem. & Q. Cæcilius T. Pomponij Attici auunculus, eiuſque ex teſtamento pater. Vir auarus & populo odioſus, ob cuius hereditatem Atticus Q. Cæcilius Pomponianus Atticus dictus eſt, & filia Attici poſtea nata Cæcilia Attica, vxor M. Agrippæ ter Cos. ex qua Agrippina nata eſt vxor Ti. Claudij Neronis, qui Ti. Cæſar paullo poſt dictus eſt, & poſtea C. Aſinij Galli. De Q. Cæcilio Baſſo in Philippica XI. Ciceronis, fit mentio. fortis is vir fuit aduerſus barbaros. His omnibus antiquior fuit Q. Cæcilius Statius poëta comicus, cui primas præſertim in argumentis veteres detulerunt. Seruus is fuit Ennii, & Plauti tempore. Poſt Auguſti obitum conſulares Cæcilios tres reperio omnes ſuffectos. Nam Cn. Cæcilius ſimplex cum C. Quinctio Attico ex Kal. Nou. Cos. an. DCCCXXI. ſub. Vitellio Imp. C. Cæcilius Plinius C. F. C. N. Secundus Cos. ſuf. cum Cornuto Tertullo ex Kal. Sept. ſub Traiano Imp. an. DCCCLII. Hic eſt, cuius epiſtolæ, & Panegyricus ad eundem Imp. exſtant. patria Nouocomenſis fuit. eius auunculus C. Plinius Secundus, qui naturalem hiſtoriam conſcripſit. Tertius eſt C. Cæcilius Claſſicus, qui biennio poſt cum Acilio Rufo ex Kal. Iuliis Cos. ſuffectus fuit ſub eodem Imp.

CALPVRNIA.

CALPVRNIA familia origine Sabina, plebeia fuit, multoſque habuit conſulares viros, cenſorios tres, triumphalem vnum. Tribus cognominibus diſtinguitur, Piſonum, Beſtiarum, & Bibulorum. Piſonum alii Frugi, alii Cæſonini, alii Piſones tantum, ſine alio cognomine dicuntur. Ante obitum
I. Auguſti vndecim conſulares Piſones inuenio. Antiquiſſimus C. Piſo C. F. C. N. Hic Prætor de Luſitaneis, & Celtibereis ex Hiſpania triumphauit anno DLXIX. Conſul fuit quadriennio poſt cum A. Poſtumio Albino; & in Magiſtratu mortuus eſt, in eius locum Q. Fuluius Cn. F. M. N. Flaccus Piſonis priuignus ſuffectus eſt. Ea de cauſſa ſuſpicio orta eſt Quartam Hoſtiliam vxorem matrem
II. Fuluii, Piſonem occidiſſe, & ob id damnatam fuiſſe ferunt. Poſt hunc L. Piſo Cæſoninus C. F. C. N. Cos. fuit an. DCV. cum Sp. Poſtumio Albino Magno. Hic ſuperioris filius, aut nepos, & vt ex Ciceronis, & Aſconii verbis elicitur,

adoptiuus

adoptiuus potius, quam naturalis. Nam Cæſonium quendam Gallum Placentiam veniſſe, eiuſque filium Caluentii Mediolanenſis filiam duxiſſe, ex quibus L. Piſo nepos, aut pronepos huius natus ſit, in quem tota illa oratione, quæ in Piſonem inſcribitur, inuehitur. Tertius Cn. Piſo Cos. cum M. Popillio III.
Lænate an. DCXIV. Quartus Q. Piſo Cos. quadriennio poſt ſuperiorem cum IV.
Ser. Fuluio Flacco. Quinctus L. Piſo Frugi, hic primus cognomen id ob V.
frugalitatem accepit. Tribunus pl. fuit an. DCIV. Cos. poſt XVI. annos cum P. Mucio Scæuula. Cenſor cum L. Metello Caluo an. DCXXVII. luſtrum non fecerunt. Legem Calpurniam de repetundis primam in tribunatu hic tulit. Sextus L. Piſo Cæſoninus ſuperioris Cæſonini filius Cos. fuit cum M. VI.
Liuio Druſo an. DCXLI. Hic legatus occiſus eſt a Galleis cum L. Caſſio Longino Cos. poſt annos quinque. Septimus C. Piſo Frugi, qui filius, vel VII.
nepos fuit L. Piſonis Frugi, de quo antea diximus. Cos. fuit an. DCXXCVI. cum M'. Acilio Glabrione. His temporibus L. Piſo Frugi filius primi L. Piſonis Frugi Prætor in Hiſpania obiit, & Cn. Piſo Cn. F. qui coniurare cum Catilina, & P. Autronio an. DCXXCVIII. auſus eſt, Quæſtor Propr. in Hiſpania occiſus eſt. Fuit alius L. Piſo Frugi L. F. L. illius. primi N. Prætor ante an. DCLXXXIV. Octauus Conſularis fuit L. Piſo Cæſoninus, qui nepos fuit VIII.
eius, qui a Gallis occiſus eſt, vt C. Cæſar gener teſtatur, vltum ſe priuatas inimicitias familiæ, quod auum ſoceri occiderint. Cos. fuit cum A. Gabinio an. DCXCV. quibus Cos. M. Cicero in exilium miſſus eſt, quamobrem cum eo inimicitias exercuit. quamuis gener Ciceronis C. Piſo L. F. Frugi propinquus eſſet L. Piſonis. Poſt Conſulatum in Macedoniam profectus eſt. Inde reuocatus poſt biennium ex ſententia Ciceronis, quæ exſtat in oratione de Prouinciis Conſularibus inſcripta. Cenſor fuit an. DCCIII. cum Ap. Claudio Pulchro, luſtrum fecerunt LXXI. Calpurnia filia C. Cæſari nupſit, quo anno in Gallias profectus eſt, eaque Cæſari ſuperſtes fuit. Laudatur a Cicerone hic Piſo in Philippicis, quod primus in M. Antonium Cos. inuectus ſit. Hoc tempore M. Pupius Piſonem quendam adoptauit, qui M. Pupius M. F. Piſo Calpurnianus dictus Cos. & ttiumphalis fuit, in cuius domo Cicero diſcere ſolebat. biennio poſt Ciceronem Cos. fuit cum M. Valerio Meſſala Nigro. Nonus IX.
Cn. Piſo Cn. F. Cn. N. Collega Auguſti in XI. Conſulatu in locum A. Terentij Varronis Murenæ, qui antequam iniret, mortuus eſt. anno DCCXXX. iterum Cos. fuit cum T. Claudio Nerone II. poſt XVI. annos. Decimus L. Piſo Cæſonius L. F. L. N. filius, vt creditur, Cenſorij Cos. fuit X.
cum M. Liuio Druſo Libone poſt annos octo; quam ſuperior. Hic triumphalia ornamenta accepit legatus Auguſti anno DCCXLIII. de Beſſeis, & Scordiſceis ex Thræcia. Poſtremus L. Piſo Augur Cn. F. Cn. N. Cos. fuit cum Coſſo Cornelio Lentulo Iſaurico poſtea dicto anno DCCLII. qui annus primus poſt Virginis partum fuit. Hic Cn. Piſonis bis Cos. filius XI.
fuiſſe creditur. Beſtiam Calpulnium Conſularem vnum reperio, cuius Collega fuit in conſulatu P. Scipio Naſica belli Iugurthini anno I. qui fuit Vrbis DCXLII. is L. Calpurnius Beſtia dictus, eodem nomine alter inter ſodales L. Catilinæ a Salluſtio nominatur: & poſtea Tribunus plebis fuiſſe

dicitur eodem anno. Hunc crediderim a Cicerone defenſum fuiſſe in ea oratione, quæ inſcribebatur pro Beſtia, quæ non exſtat. Laudatur à Paterculo Calpurnia Beſtiæ filia, quæ P. Antiſtio Ædilicio viro ſuo a Damaſippo Pr. occiſo ſe ipſam gladio traiecit anno DCLXXI. Horum filia Antiſtia a Cn. Pompeio repudiata, ex abortu mortua eſt. Bibulum quoque vnum conſularem video, qui cum C. Cæſare Cos. fuit, M. Calpurnium anno DCXCIV. quem Cæſar domo ſua exire non ſinebat, ſed edictis fortitudinem animi contra inſolentiam armatorum oſtendebat. Cenſor poſt quadriennium fuit cum M. Valerio Meſſalla Nigro. luſtrum fecerunt LXX. vt quibuſdam placet. Bello ciuili mortuus eſt. Huius filios in Ægypto occiſos fuiſſe video, eumque M. Catonis generum fuiſſe. Porcia vxor M. Bruto Cæpioni nupſit. Poſt mortem Auguſti quinque Piſones Conſules inuenio, Cæſarem vnum paucis diebus, adoptatum a Galba Imperatore; Auguſtum vnum appellatum a paucis in Theſſalia tempore Gallieni Imp. cui a Senatu ſtatua poſt mortem inter triumphales, & quadriga decreta eſt. His duobus Lucij prænomen fuit, Cæſar M. Licinij Craſſi filius a L. Piſone Frugi adoptatus eſt, poſtea in Sulpiciam familiam a Galba tranſlatus, occiſus eſt cum patre adoptiuo eodem
I. menſe. Primus Piſo L. Calpurnius L. F. L. N. Cos. fuit cum M. Licinio
II. Craſſo anno DCCLXXIX. ſub Ti. Cæſare Imp. Secundus C. Piſo Magnus Cos. ſuffectus ex Kal. Iuliis cum L. Vitellio Paullo anno DCCC. ſub T. Claudio
III. Imp. Tertius L. Piſo L. F. primi illius, vt creditur, filius collega fuit Neronis
IV. Imp. in ſecundo conſulatu nono anno poſt ſuperioris conſulatum. Quartus L. Piſo Cos. fuit cum Vettio Ruſtico Bolano anno DCCCLXIII. ſub Traiano
V. Imp. Quinctus Calpurnius Piſo Cos. fuit cum M. Saluio Iuliano anno DCCCCXXVII. ſub M. Philoſopho Auguſto. Præter hos Piſones vnum conſularem reperi Calpurnium Agricolam, qui ſub Alexandro Imp. Cos. fuit cum Clementino anno DCCCCXXXII.

CASSIA.

CASSIA familia duplex patriciorum, & plebeiorum. Patricius vnus conſularis, cuius cognomen varie ſcribunt alii Vitellinum, alij Viſcellinum, alij Bicellinum. Hic ter Conſul fuit, bis triumphauit, primus Magiſter equitum fuit. Plebei ſeptem, conſulatus totidem, cenſuras duas ante Cæſ. Dict. obtinuerunt. cognomen omnibus Longinus, vno Varo excepto, & altero Longino Rauilla dicto. Patricius Sp. Caſſius clariſſimus vir, primis illis libertatis temporibus poſt reges exactos, Conſul fuit cum Opitre Verginio Tricoſto anno CCLI. Ambo Conſules triumpharunt, Caſſius de Sabineis, Opiter de Camerineis, & Aurunceis. Quadriennio poſt Magiſter equitum primus factus eſt Dictatore, quem tunc Magiſtrum populi dicebant, primo ſeditionis ſedandæ, & rei gerundæ cauſſa dicto T. Lartio Flauo. Iterum Cos. fuit cum Poſtumo Cominio Aurunco II. anno nono poſt alterum conſulatum, luſtrum fecerunt VII. nondum enim Cenſores inſtituti fuerant, & cenſendi officium Conſulum erat. Tertio Conſul cum Proculo Verginio Tricoſto Rutilo ſeptennio poſt

factus agrariam legem primus tulit. ac de Volſceis, & Herniceis iterum triumphauit. Ex lege Agraria tyrannidis affectatæ crimine offenſi ſenatores poſt conſulatum damnarunt, ei interempto domus diruta eſt, in ſolo ædes Telluris facta. a patre de conſilio propinquorum damnatum, & interemptum fuiſſe aliqui hiſtorici prodiderunt, peculiumque Cereri conſecratum. Primus ex I.
plebeis C. Caſſius Longinus C. F. C. N. anno DXXCII. belli Perſici anno primo conſulatum adeptus eſt cum P. Licinio Craſſo. Cenſor poſt XVII. annos cum M. Valerio Meſſala luſtrum fecerunt LV. Poſt hunc Q. Longinus II.
Q. F. L. N. cum A. Manlio Torquato Cos. fuit anno DXXCIIX. & in magiſtratu III.
mortuus eſt. Huius filius fuiſſe creditur L. Longinus Rauilla, qui an. DCXXVI. Cos. fuit cum L. Cornelio Cinna, & biennio poſt Cenſor cum Cn. Seruilio Cæpione, qui luſtrum fecerunt LX. Poſt hunc C. Longinus C. Longini, de IV.
quo primo loco dictum eſt, vt creditur filius. Cos. fuit cum C. Sextio Caluino poſt Rauillæ conſulatum anno tertio. Ambo Conſules plebei triumphaſſe dicuntur, ſed de Sextio certius eſt. Procos. de Liguribus Vocontieis, Salluueiſq. triumphaſſe. Sequitur L. Caſſius L. F. Q. N. Rauillæ, vt creditur, filius in V.
conſulatu a Gallis occiſus eſt, cum L. Piſone Cæſonino legato an. DCXLVI. cui Cn. Cornelius Dolabella ſuffectus eſt. Eius collega fuit C. Marius in primo conſulatu. Huius frater eſſe potuit C. Caſſius Longinus, qui cum Cn. Domitio VI.
Ahenobarbo Cos. fuit poſt vndecim annos. Præter hos Criſpus Salluſtius L. Caſſium Longinum Senatorii ordinis enumerat in coniuratis cum L. Catilina, & ab Aſconio competitor Ciceronis, & coniurationis particeps. Poſtremo anno VII.
DCXXC. C. Caſſius Varus Cos. fuit cum M. Terentio Varrone Lucullo. Ab his lex Terentia, & Caſſia, de qua Cicero in Verrinis, nomen accepit. Aliæ leges Caſſiæ dictæ ſunt, quod a L. Caſſio L. F. Longino Tribuno pl. latæ fuerunt, quas Aſconius enumerat in Corneliana C. Mario VI. L. Valerio Flacco Coſſ. ait latas fuiſſe, hoc eſt an. DCLIII. Potuit hic Tribunus eius Conſulis fuiſſe filius, qui a Gallis occiſus eſt. Ab eodem mentio fit P. Caſſij Prætoris, qui de Maieſtate cognoſcebat M'. Lepido L. Volcatio Coſſ. hoc eſt anno DCXXCVII. Sæpius quoque a Cicerone & aliis refertur illud Caſſianum, cui bono fuerit, dictum optimi iudicis L. Caſſij, qui ab eo crimen ortum fuiſſe dicebat, cui bono erat id fieri.

Addendus eſt C. Caſſius vnus ex interfectoribus Cæſaris, qui cum D. Bruto Cos. deſignatus fuerat in annum DCCXI. Hic puer Fauſto puero Sullæ filio colaphum impegit, quod laudaret patris dominationem. Vxor Iunia M. Bruti ſoror. Filio togam virilem Idib. Martiis, quibus Cæſarem occidit, dedit. Victus a M. Antonio ſeipſum interemit, aut à ſeruo occiſus eſt. Sub Auguſto vnicum Conſularem L. Caſſium L. F. L. N. Longinum inuenio. Cos. ſuffectus fuit ex Kal. Iuliis an. DCCLXIII. Sub Tiberio vltimus Longinus C. Caſſius L. F. L. N. ſuperioris, vt creditur filius. hic Cos. fuit cum M. Vinucio Quartino anno DCCXXCIII. Optimus Iuriſconſultus, natuſque ex filia Q. Ælij Tuberonis Iuriſconſulti, quæ neptis erat clariſſimi Iuriſconſulti Ser. Sulpicij Rufi. Hic familiam diſcipulorum duxit, quæ Caſſiana dicebatur: vt a Proculeianis diſtingueretur. Poſt hæc ſub M. Aurelio Antonino Imp. Auidius Caſſius Cyprius

genere, cuius auus maternus Auidius Seuerus, in Oriente ementita morte Marci ſe Imperatorem appellauit. Occiſus tamen eſt, & Mæcianus filius, cui Alexandria erat commiſſa. Alter filius Heliodorus deportatus eſt. Aliis filiis liberum exilium permiſſum, & Drunciano genero, cui Alexandria filia nupta erat. Alios Caſſios reperio ſub Gallieno Imp. ſeſe Auguſtos in Gallia appellaſſe, quorum exſtant ſignati nummi. M. Caſſius Poſtumius, & M. Caſſius Hoſtilius, ſunt qui etiam Labienos appellent. Caſſios Conſulares ſub aliis Imperatoribus eos ſolum reperio, qui Dionis, aut Aproniani cognomine ſignificantur. Fuit autem Dion Caſſius hiſtoricus, cuius pars hiſtoriarum Romanarum exſtat, & epitome Cæſarum a Xiphilino conſcripta: Aproniani filius, qui Conſul ſub Commodo Imperatore fuit cum M. Atilio Metilio Bradua II. an. DCCCCXLIII. Ipſe Dion bis Conſul fuit: ſecundum Conſulatum cum Alexandro Imp. III. egit an. DCCCCXXCI. Prioris Conſulatus tempus ignoratur. Hic ex Nicæa Bithyniæ originem duxit, Præfectus Ægypti fuit, & poſtea Delmatiæ, ac Pannoniarum. Alter Dion. Cos. fuit cum C. Iunio Tiberiano anno CIↃXLII. ſub Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus, quem putant Dionis hiſtorici filium, vel nepotem fuiſſe.

CLAVDIA.

CLAVDIA gens origine Sabina duplex fuit Patriciorum, & Plebeiorum. Patricij, minorum gentium fuerunt, vtpote poſt exactos Reges adſcripti; in quattuor ſtirpes præcipuas cognominibus diſtinctas diuiduntur. Regillenſium quorum aliqui Craſſini etiam dicuntur, Pulchrorum, Centhonum, & Neronum. Plebeij clariores Marcelli cognominati ſunt. Vnaquæque familia plurimos habuit ornatiſſimos viros, qui remp. Romanam illuſtrarunt, & auxerunt vſque ad Neronem Imp. Regillenſes & Craſſinos nouem inuenio obtinuiſſe Dictaturas, tres Decemviratus legibus ſcribendis, tres Triumphos, duos
I. Conſulatus, ſex Tribunatus militares, conſulari poteſtate duos. Inter omnes conſtat veniſſe Clauſum quemdam Sabinum ex Regillis Romam cum ita magna multitudine propinquorum, & clientium, vt ex eis Claudia tribus aucta fuerit, & nomen acceperit, vel, vt quidam arbitrantur, ceteris addita fuerit. Clauſum appellatum fuiſſe aſſerunt, cum inter patricios adſcriptus fuit, Appium Claudium Regillenſem, anno vrbis CCXLIX. Hunc videtur Verrius Flaccus Marcum Claudium appellare, cum eum auum eſſe aſſerat Appij Decemviri. Hic Conſul fuit poſt annos nouem cum P. Seruilio Priſco.
II. Huius filius Conſul fuit cum T. Quinctio Capitolino Barbato anno CCXXCII.
III. eiuſdem cum patre nominis. Alter filius C. Regillenſis Cos. etiam fuit poſt XI. annos cum P. Valeſio P. F. Poblicola II. qui in eo magiſtratu occiſus eſt.
IV. Hos tres etiam Sabinos cognominatos ab ſcriptoribus animaduertimus. Poſt hos tertius Appius Claudius Craſſinus Ap. F. M. N. a Verrio appellatur, quem alij, vt diximus, Appij nepotem, de quo initio locuti ſumus, tradiderunt. Hic Conſul fuit cum T. Genucio Augurino anno CCCII. ſed abdicarunt, vt iidem cum aliis Decemviri legum ſcribendarum cauſſa crearentur. Hi

primum decem tabulas conſcripſerunt; poſtea duabus aliis ſcribendis iterum, ac tertio idem Appius cum aliis, quos ipſe voluit, eumdem magiſtratum ſine prouocatione retinuerunt. Hoc initium legis duodecim tabularum. Sed cum poteſtate in libidinem, & malos mores abuterentur: ſeditione in eos mota cum Verginia a patre fuiſſet occiſa, quam M. Claudius cliens Appij in ſeruitutem vindicabat; coacti ſunt Decemviri abdicare, multique ex eis damnati, alij in carcere, aut in exilio perierunt. Sequitur alius Ap. Craſſinus Regillenſis Ap. F. Ap. N. Superioris, vt creditur filius, qui Tribunus militum v.
conſulari poteſtate fuit cum L. Sergio Fidenate ii. Sp. Nautio Rutilo, & Sex. Iulio Iulo anno CCCXXIX. Huius filius P. Craſſinus Regillenſis Trib. Mil. vi.
cum aliis quinque patriciis anno CCCL. fuit. Huius deinde filius Ap. Claudius eiſdem cognominibus vſus Dictator fuit primus ex hac familia rei gerundæ vii.
cauſſa anno CCCXCI. Magiſtrum equitum dixit L. Cornelium Scipionem. primus ex eadem triumphauit de Herniceis. Cos. fuit poſt XIV. annos cum L. Furio Camillo, & in Magiſtratu mortuus eſt. Secutus eſt C. Craſſinus Regillenſis, quem quidam bis Dictatorem aſſeuerant, & Ap. F. viii.
P. N. Cæcique patrem. prior dictatura anno CDV. comitiorum habendor. cauſſa, poſterior rei gerundæ cauſſa anno CDXVI. in qua Magiſter equitum fuit C. Claudius Hortator; quem patricium, aut plebeium fuiſſe affirmare non poſſumus. Poſtremus Appius Cl. Craſſinus Rufus Ap. F. C. N. a quibuſdam appellatur Appij Cæci filius is qui Conſul fuit cum P. Sempronio ix.
Sopho an. CDXXCV. Cum apud Suetonium inueniam Appium Cæcum duos filios habuiſſe P. Pulchrum, & Ti. Neronem, ex quibus duæ familiæ Pulchrorum, & Neronum ortæ ſint: cumque aliis placeat, Cæcum ipſum ex Regillenſibus ortum fuiſſe: de Appio Cæco tamquam communi pariete, in quem tres hæ familiæ tigna ſua immiſerint, ſeparatim agendum videtur.

Verrius Flaccus in cenſura, & conſulatu aperte Ap. Claudium C. F. Ap. N. Cæcum appellat. Cenſuram conſtituit an. CDXLI. collegam in ea adſcribit, C. Plautium, qui in eo honore Venox appellatus eſt. luſtrum feciſſe ait XXVI. Ab hoc cenſore Appia via ſtrata eſt, aqua Claudia in vrbem ducta, vt multi prodiderunt. Conſulatus collega L. Volumnius Flamma Violens an. CDXLVI. cum quo iterum poſt XI. annos conſulatum geſſit. Dictator fuit, ſed quo anno incertum eſt. Quidam diuinando in an. CDLXVI. retulerunt. in veteri titulo hi Magiſtratus enumerantur. Appius Claudius C. F. Cæcus Cenſor. Conſul „ bis. Dictator. Interrex ter. Prætor bis. Ædilis Curulis bis. Quæſtor. Tribunus „ Militum ter. Quid vero egerit, ita recenſetur. Complura oppida de „ Samnitibus cepit, Sabinorum, & Tuſcorum exercitum fudit. Pacem fieri cum „ Pyrrho Rege prohibuit. In cenſura viam Appiam ſtrauit. & aquam in vrbem „ adduxit. Ædem Bellonæ fecit. A Cicerone eius quattuor filij, filiæ vero „ quinque enumerantur. Filios fuiſſe credimus Ap. Craſſinum, de quo antea diximus, P. Pulchrum, C. Centhonem, & Ti. Neronem. Nunc igitur primum de Pulchrorum ſtirpe, poſtea de reliquis dicemus.

Pulchros decem inuenio, totidem conſulatus habuiſſe, cenſuras tres,

I. triumphos duos aſſecutos, Principem ſenatus vnum lectum fuiſſe. Primus is, de quo diximus P. Pulcher Cos. fuit anno DIV. cum L. Iunio Pullo. Hic temere cum Carthaginienſibus congreſſus bello Punico primo magnam cladem accepit, iuſſus Dictatorem dicere M. Claudium C. F. Gliciam dixit viatorem ſuum, qui ſcriba fuerat, ſine Magiſtro equitum, nam antequam eum diceret, coactus eſt abdicare. tum A. Atilius Calatinus Dictator factus eſt, & L. Metellus Magiſter equitum. Soror Publij Claudia cum a populo in turba premeretur, optauit, vt frater ſæpius Conſul fieret, vt minor eſſet populi multitudo. Ea de cauſſa damnata eſt, alterius criminis rea innocens. Hic auſpicia ita contempſit, vt pullos in mare proiecerit, vt biberent, quando eſſe pultem nollent.
II. Huius filius Ap. Cl. Pulcher Cos. fuit an. DXLI. cum Q. Fuluio Flacco III. Huius
III. tres filij fuiſſe, videntur. Appius Cos. Publius, & Caius. Appius cos. fuit XXVII.
IV. anno poſt patrem cum M. Sempronio Tuditano, Publius anno proximo cum
V. L. Porcio Licino, Caius cum Ti. Sempronio Graccho anno DLXXVI. Ambo Conſules triumpharunt, Pulcher in conſulatu de Iſtreis, & Liguribus, Gracchus biennio poſt de Sardeis. Ambo Cenſores fuerunt octauo anno poſt conſulatum,
VI. luſtrumque LII. fecerunt. Appij filius Appius, vt creditur Cos. fuit cum Q. Metello Macedonico anno DIX. ſuis ſumptibus triumphauit de Sallaſſeis ex Alpibus. Cenſor quinquennio poſt cum P. Cornelio Lentulo. luſtrum non fecerunt. Biennio poſt Princeps ſenatus lectus eſt luſtro LVIII. Hic ex Antiſtia vxore Claudiam procreauit, quam duxit Ti. Sempronius Gracchus, qui in Tribunatu plebis a P. Scipione Naſica occiſus eſt; & ex ea liberos reliquit. Caii filius, quem conſularem cenſorium, & triumphalem diximus,
VII. C. Pulcher fuit Conſulque anno DCXXIII. cum M. Perperna. quamvis
VIII. Pulcher hic, an Lentulus Appius, an Caius fuerit incertum ſit. Alter C. Pulcher huius filius fuiſſe creditur, collega alterius M. Perpernæ, Conſul fuit anno DCLXI. Hunc Verrius C. N. appellat.

IX. Secutus eſt Ap. Pulcher ſuperioris, vt creditur filius, aut frater, qui cum P. Seruilio Vatia, qui poſtea Iſauricus dictus eſt, Conſul fuit anno DCLXXIV. quo anno L. Sulla Dictatura ſe abdicauit. Cinnæ tempore exul fuit, & ei magiſtratus abrogatus. Huius ſoror Clodia mater fuit, L. Marcij Philippi
X. conſularis & cenſorij. vxor Cæcilia Q. Metelli Baliarici filia ex qua filij tres Appius, Publius, & Caius filiæ totidem natæ ſunt: ex quibus duas L. Licinius Lucullus, qui de Mithradate triumphauit, & Q. Metellus Celer duxerunt: quas parum pudicas fuiſſe conſtitit. Tertiam Q. Marcius Rex, vir Conſularis. Appius Conſul, & Cenſor fuit, duas filias procreauit, quas filio Pompei Magni Cn. vt ſuſpicor, & M. Bruto collocauit. Publius Clodius cum adoleſcens in domo C. Cæſaris Pont. Max. in ſacris Bonæ deæ deprehenſus eſſet, eiuſque criminis reus corrupto iudicio abſolutus, vt noceret Ciceroni teſti: Tribunatum plebis obtinuit; cum ſe prius P. Fonteio plebeio minori natu in adoptionem dediſſet. Ciceronem exulare coegit. ſed reſtituto Cicerone cum Præturam peteret, a T. Annio Milone occiſus eſt. Huius vxores Pinaria, & Fuluia hæc poſtea C. Curioni, atque eo interfecto M. Antonio nupſit. Socrus Sempronia Tuditani filia fuit. Filium Sex. Clodium,

& filiam Clodiam Auguſti ſponſam reliquit. Caius filios duos reliquit eiſdem cognominibus Appium maiorem, & Appium minorem; quorum Aſconius in Miloniana meminit. Appius Pulcher, de quo dicebamus, Conſul fuit anno DCXCIX. cum L. Domitio Ahenobarbo, Cenſor quadriennio poſt cum L. Calpurnio Piſone Cæſonino. Poſt conſulatum Procos. in Cilicia fuit cuius M. Cicero ſucceſſor fuit. Admonet eum Cicero, vt de proauo ſuo in cenſura cogitet. ex quibus verbis apparet eius proauum fuiſſe Cenſorium, vel Appium, vel C. Pulchrum Cenſorium; de quibus antea diximus. Hic Augur fuit, & libros de Augurali diſciplina edidit. Hæc de Pulchris.

Centhonum cognomine duos ſolos reperio C. Centhonem Cæci filium, II.
qui Conſul, Cenſor, & Dictator fuit, atque Appium qui Proprætore ouationem obtinuit, eius filium; Cai conſulatus fuit anno DXIII. cum P. Sempronio Tuditano, quibus Conſulibus Liuius Andronicus primus poëta Latinus fabulam dedit. Cenſuram poſt XV. annos geſſit cum M. Iunio Pera, luſtrum fecerunt XLII. Dictator fuit comitiorum cauſſa anno DXL. Magiſtrum equitum dixit Q. Fuluium Flaccum. Appius Proprætore ouans ex Celtiberia reuerſus eſt anno DLXXIX. Nerones duos conſulares video, quorum alter III.
cenſuram, & ouationem obtinuit. Nam C. Claudius Ti. F. Ti. N. Nero Cos. fuit cum M. Liuio Salinatore II. anno DXLVI. inſignem victoriam ambo Conſules Aſdrubale occiſo de Pœneis obtinuerunt. de quibus Salinator, in cuius prouincia res geſta eſt, triumphum egit; Nero maiorem laudis partem ouans tantum obtinuit. Cenſor cum eodem Salinatore triennio poſt: luſtrum fecerunt XLV. inimicitias ſe non depoſuiſſe oſtenderunt, notis collegæ vnuſquiſque eorum notatus. Alter Nero fuit Ti. Claudius P. F. Ti. N. Conſul cum M. Seruilio Pulice Gemino anno DLI. His Coſſ. Scipio Africanus Hannibalem vicit, & finis bello Punico ſecundo impoſitus. Cum hi duo Nerones Tiberij nepotes a Verrio dicatur, & Ti. Nero Cæci filius fuerit, veriſimile eſt, hos pronepotes Appii Caeci fuiſſe. Neronem lingua Sabina fortem ſignificari veteres teſtantur. ex hac ſtirpe pater Tiberii Cæſaris Auguſti, & pater Ti. Claudii Auguſti, qui Neronem adoptauit, fuit. Præter iam dicta cognomina, vnum relictum eſt patriciorum cognomen Caudex, quod conſularis vir, & vt quidam aſſerunt, triumphalis Ap. Claudius C. F. Ap. N. obtinuit initio primi belli Punici. Eius collega fuit M. Fuluius Flaccus an. CDXXCIX. inſignem victoriam in Sicilia conſecutus eſt. Sed de triumpho relato varietas eſt inter ſcriptores, & Verrius Flaccus in faſtis omiſit. Hunc fratrem fuiſſe Ap. Cæci, ſunt qui affirment. ego vel vterinum, vel conſobrinum eſſe crediderim potius, quam germanum. Plebeios Marcellos fuiſſe diximus, ſed clariſſimos, & ornatiſſimos viros fuiſſe conſtat. Nouem enim viri obtinuerunt. Dictaturam vnam conſulatus XV. Cenſuram vnam. triumphos publicos IV. opima ſpolia ſemel. ouationem vnam. in monte Albano ſemel.
ſeptem primi M. Marcelli dicti ſunt. Primus Conſul fuit cum C. Valerio I.
Potito Flacco an. CDXXII. Dictator quadriennio poſt comitiorum cauſſa
Magiſtrum equitum dixit. Sp. Poſtumium Regillenſem Albinum; vitio facti II.
abdicarunt. Alter Marcellus Cos. an. CCCCLXVI. cum C. Nautio Rutilo. III.

Tertius inſignis vir, qui primus poſt Cannenſem pugnam Hannibalem vicit, & quinquies Conſul fuit. Ante ſecundum bellum Punicum Cos. fuit cum Cn. Scipione Caluo an. DXXXI. Kal. Mart. triumphum egit de Galleis Inſubribus, & Germaneis, atque ſpolia opima rettulit duce hoſtium Virdumaro ad Claſtidium interfecto. II. Conſul ſuffectus fuit L. Poſtumio Albino III. qui ante quam iniret, occiſus eſt, ſed vitio factus abdicauit, & in eius locum Q. Fabius Maximus Verrucoſſus III. Cos. fuit cum Ti. Sempronio Graccho. poſt pugnam Cannenſem anno primo, hoc eſt anno Vrb. DXXXIIX. Sed anno proximo cum eodem Q. Fabio IV. ipſe III. creatur. Triennio poſt captis Syracuſis in monte Albano II. triumphum egit, atque ouationem III. Procos. Quartum Cos. fuit. an. DXLIII. cum M. Valerio Læuino II. in quincto conſulatu, quem cum T. Quinctio Criſpino geſſit
IV. biennio poſt ab Hannibale occiſus eſt. Quartus Marcellus Cos. fuit an. DLVII. cum L. Furio Purpureone. triumphum egit de Comenſibus, & Inſubribus IIII. Non. Mart. Cenſor cum T. Quinctio Flaminino poſt ſeptem annos luſtrum fecit XLVIII.

V. Quinctus Cos. cum Q. Fabio Labeone anno DLXX. Sextus vir inſignis, qui
VI. ter Conſul fuit, & ter triumphalis. His nepos Marcelli quinquies Conſulis fuit, de quo Aſconius ait, cum ad ædem Honoris, & Virtutis ſuam, & patris, & aui ſtatuas poſuiſſet ſubſcripſiſſe TRES MARCELLI. NOVIES. Coss. In mari periiſſe Cicero auctor eſt. In primo Conſulatu, quem geſſit cum C. Sulpicio Gallo triumphauit de Galleis Contrubeis, & Liguribus, Veleatibuſque, Idibus intercalaribus an. DXXCVII. Iterum Cos. fuit cum P. Scipione Naſica II. & de Liguribus, & Veleatibus iterum poſt annos XI. triumphauit. Tertium Cos. fuit triennio poſt cum L. Valerio Flacco, & Procos. tertio triumphauit de Celtibereis an. DCII. Septimus M. Marcellus
VII. M. F. M. N. Cos. fuit cum Ser. Sulpicio Rufo iuriſconſulto an. DCCII. Hic ille eſt, quem magnis laudibus exornat Cicero, tum in Bruto, tum in oratione pro M. Marcello inſcripta, qua gratias agit in Senatu Cæſari, quod ſe facilem in reſtituendo eo præbuerit. Sed a P. Magio Chilone in portu Attico interfectus eſt, vt ex Ser. Sulpicii litteris ad Ciceronem miſſis conſtat.
VIII. Anno proximo C. Marcellus C. F. M. N. frater patruelis ſuperioris Cos. fuit
IX. cum L. Aimilio Paullo. Huius mater Iunia dicebatur. Poſtremus Cos. fuit anno ſequenti, quo bellum ciuile inter Cæſarem, & Pompeium exarſit C. Marcellus M. F. M. N. Hic vltimi Marci frater germanus, eius collega fuit L. Cornelius Lentulus Crus Flamen Martialis. Ferunt Octauiam maiorem ſororem Auguſti C. Marcelli vxorem fuiſſe, ex qua natus eſt ille M. Marcellus primus gener Auguſti, quem deflet Vergilius pulcherrimis verſib. & Marcellæ duæ, quarum alteram duxit M. Agrippa. & poſtea Antonius M. Antonii Triumviri filius. Octauia mortuo C. Marcello nupſit M. Antonio Triumviro. Hunc C. Marcellum eundem eſſe arbitrantur, quem C. F. Cos. fuiſſe diximus. A Marcellis Cornelii Lentuli Marcellini originem ducunt, tranſlato aliquo Marcello in Corneliorum familiam adoptione. Plebeium fuiſſe C. Claudium Caninam, qui bis Conſul, Cenſorius, & triumphalis fuit,

fuit, collegæ patricij indicant. eius parentes ignoti, vno tantum auo C. prænomine excepto. Prior Conſulatus cum M. Aimilio Lepido geſtus eſt an. CDLXIIX. Poſterior cum C. Fabio Dorſone poſt XII. annos. in eo triumphum egit de Lucaneis, Samnitibus, Bruttieiſque Quirinalibus. Cenſor triennio poſt fuit cum Ti. Coruncanio, luſtrum fecerunt XXXIV. Antiquiſſimus C. Claudius Cicero Trib. plebis anno CCXCIX. apud Liuium lib. III. Ventum eſt ad Cæſaris, & Auguſti tempora, quibus gens vtraque Claudia patriciorum, & plebeiorum Auguſti affinitate locum ſuum tenuit. De plebeiis Marcellis dictum eſt, de patriciis videamus. Etenim Liuia Auguſta, quæ etiam Druſilla dicta eſt Liuij Druſi Claudiani filia origine gentis a Pulchris Claudiis genus duxit. virum habuit Ti. Claudium Neronem, virum Prætorium, qui partes Antonij aduerſus Auguſtum defendit. ex eo Ti. Neronem peperit, cumque prægnans eſſet, Auguſto nupſit viro priori conſentiente, tertioque poſt nuptias menſe, Neronem Claudium Druſum edidit. Tiberius in Iuliam familiam adoptatus ab Auguſto tranſlatus eſt, eiuſque liberos in Iulia referemus. Nero Druſus, qui etiam Germanicus dictus eſt, ex Antonia minore Germanicum & Ti. Cl. Druſum, qui poſtea Ti. Cl. Auguſtus Germanicus appellatus eſt, procreauit, & Liuiam, quam duxit Druſus Cæſar Ti. Cæſaris filius. Germanicus a Tiberio patruo adoptatus in Iuliam familiam transfertur. De Tiberio Claudio poſtea dicemus. Conſu- I.
lares Claudij hoc tempore fuerunt Ap. Claudius C. F. Pulcher, qui an. II.
DCCXV. Cos. fuit cum C. Norbano Flacco. M. Claudius M. F. M. N. Marcellus Æſerninus, qui Cos. fuit cum L. Arruntio an. DCCXXXI. Idem, vt arbitror, eſt Magiſter XV. vir ſacris faciundis ludis ſæcularibus quinctis poſt annos quinque, quamuis cognomen Æſernini taceatur. Ti. Claudius III.
Ti. F. Nero priuignus Auguſti ante adoptionem Cos. fuit an. DCCXL. cum P. Quinctilio Varo. poſt quinquennium adiecto Germanici cognomine Procos. ouans de Delmateis, Pannonieis, & Daceis. ex Illurico. Iterum Cos. fit proximo anno cum Cn. Piſone II. & in Conſulatu Kal. Ian. de Germaneis iterum triumphat. Proximo anno Tribuniciam poteſtatem in quinquennium accepit. triumphalia ornamenta bis aſſecutus eſt an. DCCXLII. & proximo anno. Anno deinde DCCLVI. V. Kal. Iul. adoptatus eſt ab Aug. Cæs. Quartus Conſularis fuit Nero Cl. Druſus Germanicus frater IV.
ſuperioris priuignus Auguſti. Conſul fuit an. DCCXLIV. cum T. Quinctio Criſpino, & in magiſtratu mortuus eſt. Triumphalia ornamenta aſſecutus eſt Prætor legatus Aug. an. DCCXLIII. Poſt obitum Auguſti ante Ti. Claudij Aug. initium, neminem Claudium Conſulem video, excepto ipſo Ti. Claudio Druſi F. Ti. N. Germanico, qui Cos. fuit cum C. Iulio Cæſare Aug. Germanico ex Kal. Iulis an. DCCXXCIX. Ipſe Tiberius Pont. Max. Trib. Poteſt. XIV. Cos. V. Imp. XXVII. mortuus eſt. Triumphalia ornamenta acceperat an. DCCXCV. de Mauritaneis ex Africa. Huic ſponſæ duæ, vxores quattuor collocatæ ſigillatim ſunt. Æmilia Lepida L. Paulli, & Iuliæ filia, & Liuia Medullina Camilla ſponſæ, prima vxor Plautia Herculanilla triumphali patre nata, ex hac ſuſcepit Druſum, & Claudiam. Secunda Ælia Pætina conſularis filia, quæ ei Antoniam peperit, Cn. Pompeij Magni, & poſtea

Fauſti Sullæ vxorem. tertia Valeria Meſſallina Meſſallæ Barbati, qui conſobrinus Ti. Cl. Imp. fuit filia. ex hac Octauia nata eſt, poſtea Auguſta dicta vxor Neronis Imp. & Germanicus prius, poſtea Britannicus dictus. quarta Agrippina Auguſta Germanici fratris, & Agrippinæ filia, quæ duobus antea viris nupſerat, Criſpo Paſſieno, & Cn. Domitio Ahenobarbo, ex hoc Neronem ſuſceperat. Hunc Neronem Tiberius ex Domitia familia in Claudiam adoptione tranſtulit, cum filium Britannicum haberet, & affirmaret neminem in Claudiam adoptatum. veneno ab vxore, eademque filia fratris Diuus factus eſt. veneno etiam Nero Britannicum ſuſtulit. Druſus puer puerili ioco ſe ipſum interemit, dum pirum in altum iactatum hianti ore excipit. Nero Claudius Cæſar Aug. Germanicus P. M. Tr. Pot. xiv. Cos. v. Imp. iii. occiſus eſt. Inter Neronem, & D. Clodium Albinum, ſiue Seuerum Imp. hos conſulares inuenio. Sub Traiano Imp. tres Conſulatus Clodii Criſpini, vel potius trium Criſpinorum inuenio. primo Conſulatu ex Kal. Iul. cum C. Iulio Africano an. dccclx. Secundo poſt biennium cum Soleno Orfito. Tertio C. Clodius Criſpinus poſt quadriennium a ſuperiore cum L. Publilio Celſo ii. Poſt hos. Ti. Claudius Ti. F. Fuſcus Salinator collega fuit Hadriani Imp. in ſecundo Conſulatu an. dccclxx. Hic patricius fuit, & Seruiani ter Conſulis filiam vxorem duxit, ex qua Fuſcus natus eſt, quem cum auo ſuo Seruiano Hadrianus interfecit. Ti. Claudius Atticus Herodes vir doctus Marci Imperatoris præceptor Cos. fuit an. dcccxcv. cum C. Bellicio Torquato ſub Pio Antonino Imp. Poſt triennium Cn. Claudius Seuerus Cos. fuit cum Sex. Erucio Claro ii. Hic philoſophus peripateticus Marci Imp. præceptor fuit. iterum Cos. ſub eodem Imp. an. dcccxxvi. cum M. Aurelio Claudio Pompeiano Antiocheno, cui nupta erat maior Lucilla filia Marci Imp. Ante hunc annum Claudius Maximus vir doctus eiuſdem Imp. præceptor Cos. fuit cum Cornelio Scipione Orfito. D. Clodius Albinus occiſis Commodo, Pertinace, & Iuliano, Imperator in Gallia appellatus eſt. Britannias tenuit, nam Septimius Seuerus ei Cæſaris nomen conceſſit, pecuniamque ea appellatione ſignari permiſit. Sed occiſo Peſcennio Nigro in eum inuectus eſt, & occidi curauit. Conſul iterum fuit, & patricius ab Herodiano appellatur. Septimij nomen accepit, cum Cæſar appellatus eſt, quaſi filius Seueri eſſet. Ex hoc tempore vſque ad Marcum Clodium Pupienum, qui cum D. Balbino Imperator factus eſt, hi Conſules fuerunt Claudij, vel Clodij. Primus Fl. Claudius Sulpicianus Pertinacis Imp. ſocer Præf. vrbi, & Cos. ſuf. ex Kal. Mart. cum L. Fabio Cilone Septimino an. dccccxlv. ſub eodem Pertinace. Secundus Ap. Claudius Lateranus, qui cum M. Mario Titio Rufino poſt iv. annos a ſuperiore Cos. fuit ſub Seuero Imp. Tertius Ti. Claudius Seuerus, qui cum C. Aufidio Victorino triennio poſt ſuperiorem Cos. fuit ſub eodem Seuero, & Antonino Augg. Quartus, & quinctus Claudius Iulianus, & Clodius Criſpinus, qui eodem anno ſub Alex. Imp. Coſſ. fuerunt an. dcccclxxvi. Sequitur M. Clodius Pupienus Maximus, qui cum D. Cælio Balbino ii. poſt triennium Cos. fuit ſub eodem Alex. & poſtea ambo collegæ Auguſti appellati ſunt, occiſis duobus Gordianis Africanis,

contra Maximinum Imp. Gordianuſque nepos Cæſar appellatus eſt. Hic vir fortis fuit obſcuro genere natus, patruus Pinarius Valens, pater Maximus faber ferrarius, aut rhedarius. Hi, occiſo a militib. Maximino, & filio, a Prætorianis occiſi ſunt. Eodem tempore Cos. ſuffectus ex Kal. Septemb. fuit Ti. Claudius Iulianus cum Celſo Æliano an. DCCCCXXCIX. Sub Gallieno Imp. Claudius Cenſorinus Auguſtus appellatus in Italia eſt. Hic ſcurrarum adulatione Claudius appellatus eſt. bis Conſul, bis Præfectus prætorio, ter Præfectus vrbi, quater Proconſul, ter Conſularis fuit. Senex, & aliud agens in agro ſuo a militib. Imp. ſalutatus, ab eiſdem ob ſeueritatem diſciplinæ, occiſus eſt. M. Aurelius Claudius Imp. quem etiam Flauium Trebellius Pollio appellat, fratres habuit Quinctillum, & Criſpum. Criſpi filia Claudia vxor Eutropii nobiliſſimi Dardanor. ex quibus Conſtantius maior natus eſt. Ipſe Claudius poſt Gallienum. Pont. Max. Trib. Pot. II. Cos. II. mortuus eſt. frater Aurel. Cl. Quinctillus Imp. dies XVII. ſuperſtes occiſus eſt. Claudius in Diuos relatus auctor generis Conſtantini, ob quem Flauii multi ex eis dicuntur, ac poſteriores omnes Imperatores. Ante hunc Imp. Gallieni fratrem Claudium Valerianum Cæſarem appellatum fuiſſe animaduerti. M. Claudius Tacitus ſub Imp. Aureliano Cos. fuit cum M. Mæcio Memmio Furio Placido an. CIƆXXV. ſed biennio poſt occiſo Aureliano ſucceſſor fuit, & Cos. II. Auguſtus menſes ſex dies XX. Poſt quem frater Florianus menſes duos, dies XX. Hunc M. Annium Florianum in aſſibus video ſignatum. quidam M. Annium Cl. appellauerunt. Ab his ad Fl. Cl. Iulianum neminem, aut Imp. aut Cos. inuenio. Hic ſub Imp. Fl. Iul. Conſtantio ter Conſul fuit eius collega in VIII. IX. & X. Conſulatu, & ab eodem Cæſar appellatus occiſo Conſtantio Gallo Cæſare Iuliani fratre. qui ambo fratres patrueles Conſtantii Imp. fuerunt, nati Conſtantio patre, qui frater germanus fuit Conſtantini Maximi Imp. Mortuo Conſtantio Iulianus imperauit annos duos, Conſulque quater factus eſt. Poſt hunc Imp. Conſulares tres video Clodios, vel Claudios. Primus fuit Q. Clodius Hermogenianus Olybrius, qui cum D. Auſonio Magno Pœnio Gallo poeta. Cos. fuit an. CIƆCXXX. ſub Valente, Gratiano, & Valentiniano Impp. in occidente. Alter Clodius Adelphius, qui cum Imp. Fl. Marciano Cos. fuit an. vrbis CIƆCCIII. Chriſti. CCCCLI. Tertius Cl. Iulius Ædeſius Dynamius, qui cum Fl. Sifidio Cos. fuit an. Chriſti. CCCCXXCIIX. ſub Zenone Imp.

CORNELIA.

CORNELIA gens patricia in alias, atque alias ſtirpes deriuata, multos inſignes viros, & omni honorum genere ornatos habuit. Plebeii vix aliquo numero fuerunt· Quod in multis familiis aliter euenit. Præcipui patricii in tres quatuorve ſtirpes dirimi poſſunt: Coſſorum, qui etiam Maluginenſes, & aliqui Rutili, aut Aruinæ appellantur; & Scipionum, qui alia etiam cognomina acceperunt, vt Aſinæ, Calui, Naſicæ, Africani: necnon Lentulorum, qui plura aliis cognomina ſumpſerunt. Addentur his, qui propter paucos

conſulares viros non ita nobiles ſunt: vt Rufini, Sullæ, Dolabellæ, Merulæ,
Cethegi. Coſſi viginti conſecuti ſunt Pontificatum Maximum ſemel, opima
ſpolia ſemel, dictaturas tres, cenſuras duas, triumphos tres, decemviratum
legibus ſcribendis bis, conſulatus decem, tribunatus militares conſulari
I. poteſtate duos & viginti, magiſteria equitum quattuor. Primus Ser. Cornelius
L. F. Maluginenſis Coſſus Cos. fuit cum Q. Fabio Vibulano an. CCLXVIII.
II. Huius filius eſſe creditur L. Maluginenſis Coſſus Ser. F. L. N. qui Cos. fuit
cum alio Q. Fabio Vibulano III. anno CCXCIV. Luſtrum fecerunt X.
nondum enim Cenſores creati erant. Hoc vero fuit poſtremum Conſulum
luſtrum. In hoc conſulatu ambo Conſules triumpharunt Fabius de Æqueis
III. Non. Mai. Coſſus de Volſceis Antiatibus IV. Idus Mai. Huius frater M.
Cornelius Decemvir legibus ſcribendis an. CCCIII. & CCCIV. Hic cum
ceteris duodecim tabularum leges conſcripſit, & coactus eſt abdicare, quod
IV. imperio abuterentur. Secutus eſt alter M. Cornelius, quem quidam ſuperioris
filium exiſtimant. Cos. fuit cum L. Papirio Craſſo anno CCCXVII. Poſt hunc
V. A. Coſſus ſuperioris, vt creditur frater, inſignis vir, Pontifex Max. an. CCCXXII.
Cos. cum T. Quinctio Cincinnato II. triennio poſt, triumphum egit de
Veientibus, & ſpolia opima tulit poſt Romulum primus hoſtium duce Larte
Tolumnio rege interfecto: Incertum tamen eſt an Cos. vel Dict. vel Mag.
eque ea tulerit. Tribunus militum fuit poſt, biennium, & eodem anno Mag.
equitum Mamerco Æmilio Mamercino III. Dictatore rei gerundæ cauſſa.
Paullo poſt A. Coſſus Dictator ſeditionis ſedandæ, & rei gerundæ cauſſa
reperitur anno CCCLXIIX. cum de M. Manlij Capitolini ſeditione ageretur,
VI. quem eumdem eſſe cum ſuperiore non videtur veriſimile. Sextus P. Coſſus
VII. Tribunus mil. fuit anno CCCXXXIIX. Hunc Verrius P. N. appellat. Proximo
anno Trib. mil. Cn. Coſſus, cuius parentes ignorantur. Iterum poſt decennium
VIII. creatus eſt cum P. Maluginenſe. Octauus M. Cornelius Coſſus Cos. fuit cum
IX. L. Furio Medullino anno CCCXL. Nonus Cn. Coſſus, quem quidam A. F.
M. N. vocant. Cos. fuit cum eodem L. Furio Medullino II. Trib. mil. fuit
triennio poſt conſulatum cum P. Rutilo Coſſo. Iterum deinde Tribunus an.
X. CCCLII. Decimus P. Coſſus A. F. M. N. ſuperioris fortaſſe frater Trib. mil.
XI. fuit anno CCCXLV. Alter P. Cornelius M. F. L. N. Rutilus Coſſus appellatur
a Verrio Flacco, qui eodem anno Dictator fuit rei gerundæ cauſſa, Mag.
equit. dixit C. Seruilium Ahalam. Tribunus militum fuit biennio poſt, cum
XII. Cn. Coſſo, vt antea diximus. Duodecimus eſt P. Cornelius Maluginenſis,
qui Trib. mil. fuit cum Cn. Coſſo II. anno CCCXLIX. Iterum vero poſt
XIII. ſeptem annos, ſed vitio factus cum aliis quinque abdicauit. Tertius decimus
XIV. P. Coſſus, qui cum P. Cornelio Scipione, & aliis quattuor Trib. milit. fuit
anno CCCLIIX. Quartus decimus M. Cornelius Maluginenſis triennio poſt
Cenſor ſuffectus C. Iulio Iulo mortuo, collega eorum fuit L. Papirius Curſor.
XV. luſtrum fecerunt XVII. Sub eo luſtro vrbs capta eſt a Gallis. Quamobrem,
ne quis Cenſori mortuo ſufficeretur, decretum eſt. Sequitur Ser. Maluginenſis,
qui ſepties Trib. mil. fuit, quod paucis accidit. Hic M. F. a quibuſdam
appellatur parum certis coniecturis. Anno vrbis captæ, hoc eſt CCCLXIII.

Trib. militum fuit, iterum quadriennio poſt, III. anno CCCLXIX. quarto poſt biennium, V. item poſt biennium, hoc eſt vno ſolo interiecto, in quo priuatus fuit. Sextum Tribunus fuit anno CCCXXCII. biennio poſt VII. His temporibus victis Gallis magnæ ſeditiones ortæ ſunt de Conſule altero plebeio creando, ob quas Tribuni plebis ſine curuli Magiſtratu popularem
ſtatum quinquennio rexerunt. Sextusdecimus M. Maluginenſis ſuperioris, XVI.
vt putant, frater bis Tribunus Militum fuit cum A. Cornelio Coſſo anno XVII.
CCCXXCIII. & triennio poſt. Poſt hos duos, inuenio Ser. Cornelium XVIII.
Maluginenſem, quem M. N. appellat Verrius Magiſtrum eq. fuiſſe T. Quinctio Capitolino Criſpino Dictatore rei gerundæ cauſſa anno CCCXCII.
Hunc ſuſpicantur Seruij ſepties Tribuni filium. Sequuntur Aruinæ duo, quorũ XIX.
alter Magiſter eq. bis, Conſul bis Dictator, & triumphalis, alter Conſul bis, XX.
& Cenſor fuerunt. Prior A. Cornelius P. F. A. N. Coſſus Aruina Magiſter equitum fuit T. Manlio Imperioſſo Torquato anno CD. Dictatore rei gerundæ cauſſa. Iterum eodem Dictatore poſt quadriennium comitiorum cauſſa. Conſul fuit anno CDX. cum M. Valerio Coruo III. Ambo de Samnitibus triumpharunt, Coruus X. Kal. Octob. Aruina VIII. Kalend. Iterum Conſul fuit cum Cn. Domitio Caluino anno CDXXII. Dictator decennio poſt Ludorum Romanorum, & rei gerundæ cauſſa. Non deſunt ſcriptores, qui Dictatorem triumphaſſe affirment, ſed Verrius in his non eſt, quem ſequimur. Huius filius P. Aruina A. F. P. N. Cos. fuit cum Q. Marcio Tremulo anno CDXLVII. Cenſor poſt XII. annos cum C. Marcio Rutilo Cenſorino. luſtrum fecerunt XXX. Iterum Cos. cum Q. Marcio collega anno CDLXV. Coſſos rugoſos dictos Feſtus ait a vermibus eiuſdem nominis, qui ligni materiam edunt, ab hoc cognomine credo Cornelios dici, non a cornu, vel corno: vt a Clauſo Claudij, a Voleſo Valerij, a Fuſo Furij, qui antea Fuſij dicti ſunt.

Scipionum gentem Africani duo nobilem alioqui, multo ceteris illuſtriorem II.
reddiderunt. De his ita agendum videtur, vt prius eos, qui ante Africanum maiorem Scipiones Magiſtratus maiores, aut honores conſecuti ſunt, enumeremus, poſtea de Africano, & aliis tractemus. Vndecim inuenio ante Africanum conſecutos fuiſſe Pontificatum Max. duos Dictaturam vnam, Triumphos tres, Cenſuram vnam, Conſulatus nouem, Tribunatus conſulari
poteſtate duos, Magiſteria equitum tria. Primus P. Cornelius an. CCCLVII. I.
Magiſter equitum fuit M. Furio Camillo Dictatori rei gerundæ cauſſa, a quo Veii capti ſunt, & de iis triumphauit. Anno proximo Trib. Militum factus
eſt, & iterum continuato in alterum annum Magiſtratu Interrex biennio poſt II.
fuit. Huius filius Publius Scipio primus Ædilis curulis fuit anno CCCXXCVII. & Magiſter equitum L. Furio M. F. Camillo Dictatori comitiorum cauſſa
anno CDIII. Eius fortaſſe frater L. Scipio eodem anno Cos. fuit cum M. III.
Popillio Lænate III. Magiſter etiam equitum fuerat Ap. Claudio Craſſino
Regillenſi Dictatore rei gerundæ cauſſa anno CCCXCI. Quartus eſt P. Scipio IV.
Scapula Pontif. Max. anno CDXXI. quadriennio poſt Cos. cum C. Plautio V.
Proculo. Hunc ſequitur P. Scipio Barbatus, qui Dictator fuit comitiorum

cauſſa Mag. equit. dixit P. Decium Murem an. CDXLVII. biennio poſt Pont.
VI. Max. fuit. Poſt hos L. Scipio Cos. fuit an. CDLV. cum Cn. Fuluio Maximo
VII. Centumalo. Hunc Cn. F. quidam fuiſſe ſuſpicantur. Septimus Cn. Cornelius. L. F. Cn. N. Scipio Aſina Cos. fuit cum C. Duilio anno primi belli Punici, hoc eſt anno vrbis CDXCIII. Iterum Cos. poſt ſex annos cum A. Atilio Calatino II. anno proximo triumphum egit Procos. de Pœneis x. Kalend.
VIII. April. quorum omnium Verrius in faſtis teſtis eſt. Cenſor fuit cum eodem C. Duilio anno CDXCV. luſtrum XXXVI. fecerunt. Huius filius P. Scipio Aſina Cos. fuit cum M. Minucio Rufo anno DXXXII. & triumphum egit de Iſtreis. Aſinæ cognomen cur primo ex hac familia hæſerit, docet
IX. Macrobius in Saturnalibus. Patruus ſuperioris eſſe poteſt L. Scipio L. F. Cn. N. qui Cos. fuit anno proximo poſt Aſinæ, & Duilij conſulatum, teſte Verrio. Cuius collega fuit C. Aquillius Florus. triumphum egit de Pœnis, Sardinia,
X. & Corſica v. Idus Mart. Hic Africani auus fuit, cuius filij duo fuerunt Cn.
XI. Scipio Caluus pater Naſicæ, & P. Scipio pater Africani, & Aſiatici. Cn. Caluus Cos. fuit cum M. Marcello, qui opima tulit anno DXXXI. P. Scipio Cos. fuit quadriennio poſt cum Ti. Sempronio Longo anno primo belli Punici ſecundi. Ambo fratres in Hiſpania occiſi ſunt Proconſules. Ventum eſt ad P. Cornelium Scipionem Africanum, qui bis Conſularis & Cenſorius, ac triumphalis ter Princeps Senatus, fratrem habuit conſularem, & triumphalem, nepotem vero filij adoptione bis Conſularem, bis Triumphalem, & Cenſorium & Augurem, ex fratris liberis vnus Conſularis fuit, Scipiones Naſicæ patruo Africani orti obtinuerunt Pontificatus Maximos duos, triumphos duos, Princeps ſenatus lecti ſunt bis, Cenſor vnus, Conſules quinque fuerunt, vnus vir optimus, quod ceteris honoribus maius eſt, omnium conſenſu iudicatus. Africanus matre natus eſt Pomponia, quam ferunt pariendo, aut paullo poſt mortuam. Quamvis Polybio adſcribuntur fragmenta hiſtoriarum, in quibus Lucius, qui poſtea Aſiaticus appellatus eſt, frater maior Africano dicitur, cum peteret Ædilitatem, Africanum habuiſſe competitorem matre conſentiente, & ambos deſignatos Ædiles curules. Patrem Conſulem ſeruaſſe dicitur in proelio ſaucium annos natus XVII. In Hiſpaniam profectus eſt anno XXIV. Conſulatum priorem geſſit cum P. Licinio Craſſo Diuite Pont. Max. anno DXLIIX. Poſt quadriennium de Hannibale, & Syphace Numidarum Rege ex Africa Procos. triumphauit. Iterum Cos. cum Ti. Sempronio Longo anno DLIX. Quadriennio poſt L. Scipio Africani frater Cos. cum C. Lælio fuit, legatus fratris Africanus in Aſiam profectus eſt, ex ea de Rege Antiocho Syriæ Procos. L. Aſiaticus anno proximo triumphauit. pro Aſiatico Aſiagetem exiſtimo initio in Græcia dictum. cuius nominis exſtant veſtigia in nummis, & in veteribus libris Liuianis, & in carmine Sidonij Apollinaris. Cenſor Africanus fuit cum P. Ailio Paito anno DLIV. luſtrum fecerunt XLVI. Ter Princeps ſenatus lectus eſt luſtro XLVII. XLVIII. & XLIX. noua ratione electus, non quia antiquior Cenſorius eſſet, ſed quia dignior. Vxorem habuit Tertiam Æmiliam L. Aimilij Paulli bis Conſulis, & triumphalis, qui in Cannenſi prœlio obiit,

filiam, ex qua filios duos, filias totidem procreauit. Maior Cornelia P. Naſicæ viro optimo, aut viri optimi filio nupſit: Minor Ti. Sempronio Graccho bis Conſuli, & Cenſorio. ex his nati ſunt Ti. Gracchus, & C. Gracchus ambo Tribuni plebis, ac diſertiſſimi, ſed ab optimatibus occiſi. Horum ſoror Sempronia Africani Minoris vxor fuit. Cn. & Publius Africani filij ſine liberis deceſſerunt. Publius tamen Prætorius fuit, & L. Paulli, qui ter triumphauit, & bis Cos. fuit & Cenſor, filium in adoptionem accepit. Erat autem Paullus frater Æmiliæ vxoris Africani. Cuius vxor Papiria C. Maſonis Conſularis, & triumphalis viri filia fuit. Ex adoptione P. Cornelius P. F. Scipio Æmilianus appellatus eſt, qui poſtea minor Africanus dictus. Hic Cos. fuit anno DCVI. cum C. Liuio Druſo. Procos. anno proximo de Pœneis, & Aſdrubale ex Africa triumphum egit, euerſa Carthagine. Cenſor fuit cum L. Mummio Achaico poſt quadriennium. Luſtrum fecerunt LVII. Iterum Cos. fuit an. DCXIX. cum C. Fuluio Flacco. Procos. iterum triumphauit biennio poſt de Numantineis ex Hiſpania Citeriore. Obſcurum exitum vitæ vterque Africanus habuit, maior exul voluntarius Literni, minor Romæ, vt creditum eſt, a C. Carbone ſuffocatus. Ex liberis fratris Africani maioris vnicum nomen in faſtis reperitur. L. Aſiatici, qui Cos. fuit anno DCLXX. cum C. Norbano Flacco. Is L. F. L. N. appellatur a Verrio. Capitolium eo anno conflagrauit. Huius filiam duxit P. Sextius P. F. qui Tr. Pl. Ciceronis partes defendit, & ab eodem iudicio de vi defenſus eſt. exſtatque oratio, quæ inſcribitur pro P. Sextio, in qua ad exulem L. Scipionem ſocerum Maſſiliam vxorem deduxiſſe refert. Sextij mater Poſtumia C. Albini filia fuit. Nunc Scipiones Naſicas perſequamur; omnes eiſdem prænominibus vſos videmus. Primus P. Cornelius Cn. Calui filius vir optimus appellatus eſt admodum adoleſcens nondum Quæſtor, vt Peſſinuntiæ deæ hoſpes eſſet. Cos. fuit anno primo belli Antiochini, hoc eſt anno DLXII. cum M'. Acilio Glabrione. De Boieis Galleis triumphauit in Conſulatu. Sunt qui hunc Pontificem Max. fuiſſe dicant anno DCIII. ſed id de filio Naſica dictum ratio temporum expoſcit, vt probabilius iudicemus. Alter Naſica, qui a quibuſdam Corculum appellatur, II. fratrem habuiſſe dicitur Marcum. Cos. deſignatus eſt cum C. Marcio Figulo anno DXCI. ſed vitio facti abdicarunt: in eorum locum facti ſunt P. Cornelius Lentulus, & Cn. Domitius Ahenobarbus. Poſt ſeptem annos II. Cos. cum M. Claudio Marcello II. de Delmateis triumphum egit. Cenſor fuit anno DXCIV. cum M. Popillio Lænate. Luſtrum fecerunt LIV. Princeps ſenatus duobus luſtris lectus eſt luſtro LVI. & LVII. Tertius Serapion ob III. ſimilitudinem formæ cuiuſdam victimarij appellatus eſt. Conſul fuit anno DCXV. cum D. Iunio Bruto Callaico. Pontifex Max. quinquennio poſt. Ti. Gracchum propinquum ſuum, & Tribunum plebis, vt ſeditioſum priuato conſilio interfecit. Quartus Naſica Cos. fuit anno primo belli Iugurthini IV. cum L. Calpurnio Beſtia, hoc eſt anno DCXLII. In conſulatu mortuus eſt. Hic Serapionis filius Corculi nepos, viri optimi pronepos fuit. Filium Conſularem non habuit. Vxor eius Cæcilia Q. Metelli Macedonici filia. Filius Liciniam duxit L. Craſſi oratoris Conſularis, & Cenſorij filiam, & Muciæ Q. Scæuulæ

Auguris, & Læliæ filiæ. His parentibus ortus eſt P. Cornelius Naſica poſtea dictus Q. Metellus Pius Scipio, a Q. Cæcilio Metello Pio adoptatus. cuius frater a L. Craſſo auo adoptatus eſt. Vxor Scipionis Metelli fuit Lepida, quam ſponſam dimiſit, ſed cum ea M. Catoni promiſſa fuiſſet, recuperauit. Quod iniquo animo tulit Cato, & Iambicis verſibus in eum inuectus eſt. Filia Cornelia P. Craſſi M. F. a Parthis cum patre interempti, & poſtea Cn. Pompeij Magni vxor. Addatur ſuperioribus Cn. Scipio Hiſpallus L. F. L. N. qui Cos. fuit an. DLXXVII. cum Q. Petillio Spurino. Ambo Conſules in Magiſtratu mortui ſunt. Scipionis nomine baculum ſignificari Plautus docet. in hanc familiam id cognomen veniſſe ferunt; quod ſenex cæcutiens, aut infirmus pro baculo vteretur filio.

III. Vidimus Coſſorum, & Scipionum ſtirpes: nunc Lentulorum perſequamur. His varia cognomina adduntur Caudinus, Lupus, Sura, Spinther, Marcellinus, & ſi qua alia ſunt. Sexdecim Lentulos inuenio conſecutos fuiſſe Pontificatum Maximum, & dictaturam ſemel, cenſuras quattuor, triumphos duos, ouationes
I. duas, Principatum ſenatus bis, conſulatus ſexdecim. Primus L. Lentulus Cos. fuit cum Q. Publilio Philone II. anno CDXXVI. Dictator fuit poſt annos
II. ſeptem rei gerundæ cauſſa. Alter eſt Ser. Lentulus Cn. F. Cn. N. vt Verrio
III. placet. Cos. fuit anno CDL. cum L. Genucio Auentinenſi. Tertius L. Lentulus Ti. F. Ser. N. Cos. anno CCCCLXXIIX. cum Manio Curio Dentato
IV. III. triumphum egit de Samnitibus, & Lucaneis Kalend. Mar. Quartus L. Lentulus Caudinus ſuperioris filius Cos. cum Q. Fuluio Flacco anno DXVI. Cenſor anno proximo cum Q. Lutatio Cercone, qui in Magiſtratu mortuus
V. eſt, & Lentulus abdicauit. Pontifex Max. fuit anno DXXXII. poſt L. Metellum. Huius frater P. Lentulus Caudinus L. F. Ti. N. Cos. fuit cum C. Licinio Varo. Succeſſor fratris fuit in conſulatu. quo anno Ludi ſæculares
VI. tertij facti ſunt. Caudinus de Liguribus Idib. intercal. triumphauit. Poſt hunc Cn. Lentulus L. F. L. N. Cos. fuit cum P. Ailio Paito anno DLII. Procos.
VII. ouans reuerſus eſt ex Hiſpania Citeriore poſt quinquennium. Huius frater L. Lentulus Procos. ouans ex Hiſpania anno DLIII. & anno proximo Cos.
VIII. fuit cum P. Villio Tappulo. Octauus P. Lentulus L. F. L. N. ſuperioris filius, vt creditur, Cos. ſuffectus fuit cum Cn. Domitio Ahenobarbo in locum P. Cornelij Scipionis Naſicæ Optimi filij, & C. Marcij Figuli, qui vitio facti abdicarunt anno DXCI. Cenſor fuit, vt quibuſdam placet, anno DCXV. cum Ap. Claudio Pulchro. Luſtrum non fecerunt. Princeps ſenatus luſtro LIX. & LX. lectus eſt. Auus hic P. Suræ fuit, vt ex Cicerone
IX. didicimus. Nonus L. Lentulus Lupus Cn. F. L. N. vt Verrius teſtatur, Cos. fuit cum C. Marcio Figulo anno DXCVII. Cenſor cum L. Marcio Cenſorino poſt nouem annos fuit. Hic ille Lupus eſt, vt arbitror, quem Lucilius vexat, qui eiſdem temporibus fuit, eumdemque poſt conſulatum damnatum fuiſſe lege Cæcilia repetundarum, ac poſtea Cenſorem fuiſſe Val. Max. lib. VI.
X. cap. XI. ſcribit. Poſt hunc frater huius Cn. Lentulus Cos. fuit cum L.
XI. Mummio anno DCVII. Vndecimus alter Cn. Lentulus, cuius parentes ignoramus, Cos. fuit anno DCLVI. cum P. Licinio Craſſo. Duodecimus Cn.

Cn. Lentulus Cn. F. Clodianus Cos. fuit cum L. Gellio Poplicola an. DCXXCI. XII.
Iidem Cenſores fuerunt poſt biennium, luſtrum fecerunt LXIIX. Hic Lentulus ex cognomine videtur a Clodia in Corneliam familiam adoptione tranſiſſe, cuius rei incerta hiſtoria eſt. niſi forte primus Marcellinorum ſit. Tertiusde- XIII.
cimus P. Lentulus Sura P. F. P. N. Cos. fuit anno proximo poſt ſuperioris conſulatum, cum Cn. Aufidio Oreſte. Huius pater naturalis Manius Aquillius vir conſularis, & triumphalis fuit, quem M. Antonius orator defendit a P. Lentulo Publij Principis Senatus filio adoptatus P. Cornelij Lentuli nomen accepit. Sura dictus eſt, quod quæſturæ pecunia interuerſa, cum rogaretur a L. Sulla, cuius Quæſtor erat, quam eſſet rationem redditurus, præbebo, inquit, Suram. illic enim pueri, & tyrones peccantes percuti ſolebant. Id ſignificat, qui dixit,

Ferimur, inque vicem præbemus crura ſagittis.

Hic poſt Conſulatum Senatu motus a Cenſoribus, iterum Magiſtratus eoſdem obtinuit, & Prætor iterum fuit Conſule Cicerone, & in coniuratione Catilinæ, cum C. Cethego, & Publio, ac Seruio Sullis Seruij filiis, qui omnes Senatorij ordinis Cornelij fuerunt, & equeſtris ordinis C. Cornelius fuit. detecta coniuratione coactus abdicare ſe Prætura, interfectus eſt. Vxor Suræ Iulia mater M. Antonij Triumviri, ſoror L. Cæſaris Conſulis an. DCXXCIX. cui ſucceſſit M. Tullius Cicero Cos. Quartusdecimus P. Cornelius P. F. Lentulus Spinther XIV.
Cos. fuit cum Q. Cæcilio Metello Nepote, ſexto anno poſt Ciceronis conſulatum, quo anno ipſe Cicero ab exilio reuocatus eſt. Cognomen Lentulus ab Spinthere hiſtrione, cui erat ſimillimus, accepit, vt Valerius Maximus, & Plinius retulerunt. Procos. ex Cilicia triumphum egit an. DCCII. Sequitur XV.
Cn. Lentulus Marcellinus P. F. Cos. fuit cum L. Marcio Philippo anno proximo poſt ſuperioris conſulatum. Cicero in Bruto auctor eſt M. Marcellum veterem duorum filiorum patrem fuiſſe, quorum alter Marcellus Æſerninus, alter P. Lentulus Marcellinus appellatus ſit. Ab hoc Marcellini originem duxere, ex quibus hic primus conſularis fuit. Poſtremus L. Lentulus Crus P. F. Flamen XVI.
Martialis, qui vltimo anno libertatis reip. Rom. Cos. fuit cum C. Marcello M. F. qui fuit vrbis annus DCCIV. Huic vxorem fuiſſe Publiciam, ſocrum Semproniam inuenio. Alios Lentulos conſulares, qui ſub auguſto vixerunt poſtea referemus.

Quartus hic locus poſtulat, vt de aliis Corneliis dicamus, qui cogno- IV.
minibus a ſuperioribus Coſſis, Scipionibus, & Lentulis diſtinguuntur, vt Rufini, Sullæ, Cethegi &c. Rufini duos habuerunt Dictatorios, alterum bis Conſularem, & Triumphalem. Nam P. Cornelius Rufinus Dictator rei gerundæ cauſſa dictus anno CDXIX. M. Antonium Magiſtrum equitum dixit. ſed ambo vitio creati abdicarunt. Alter eiuſdem nominis ſuperioris filius fortaſſe, Cos. fuit cum M'. Curio Dentato anno CDLXIII. Ambo Conſules de Samnitibus triumpharunt. Iterum Cos. poſt annos XIII. cum C. Iunio Bubulco Bruto II. Dictator anno proximo, ſiue quo alio. res enim obſcura eſt. Hic tamen fortiſſimus, ornatiſſimuſque vir a C. Fabricio, & Q. Aimilio Papo Cenſoribus Senatu motus eſt, quod decem argenti

facti pondo haberet. furacem fuiſſe iocus ille eiuſdem Fabricij in eum dictus oſtendit apud Ciceronem; cum is gratias ageret, quod eum Conſulem feciſſet „ bello præſertim magno, & graui; malui inquit compilari, quam venire, non „ eſt, quod gratias agas. Ab hoc ortus eſt L. Cornelius Sulla, qui Sextus ab illo dicitur fuiſſe. Cognomen mutaſſe maiores dicuntur ob libros Sibyllinos, quibus interpretandis vnus maiorum præfuit, Decemvir ſacris faciundis. ab eo munere Sibylla, vel Sibulla, poſtea Sulla, vel Sylla dictus eſt. quamvis aliqui, quod flauo, comptoque capillo fuerit, ita appellatum aſſerant. P. Cornelius is dicebatur, Flamenque Dialis fuit, vt apud Gellium L. Sullam libro rerum geſtarum ſecundo ſcripſiſſe inuenio. Duos ſolos Conſulares inuenio Sullas, quorum alter Cos. deſignatus ambitus damnatus eſt, alter Sulla Felix, qui Dictator, bis Conſul, ac triumphalis fuit. Vir fortis, ſed tyrannus, & ſanguinarius. L. F. P. N. a Verrio appellatur. Quæſtor C. Mario Conſuli, Iugurthino in bello fuit; cumque Iugurtha deditionem feciſſet, a Sulla Mario datus eſt; quam ſpeciem in anulis, & nummis exprimendam curauit. vnde initium partium, & multorum malorum ſeminarium exortum eſt. Tribus tamen trophæis poſtea vſum, quod etiam Pompeio Magno placuit, Dion refert. Conſul cum Q. Pompeio Rufo genero patre fuit anno DCLXV. cum bellum Mithradaticum ſuſcepiſſet, contentione orta inter C. Cæſarem L. F. Strabonem, & P. Sulpicium adoleſcentes diſertos, prouincia conſularis C. Mario ex lege Sulpicij tribuitur. Hinc maximum ortum inter Marianos, & Sullanos bellum ciuile. Victor Sulla in Aſiam profectus eſt. Vbi fortem ſe, atque felicem multis, magniſque rebus geſtis oſtendit. Inde reuerſus Samnites ad internecionem deleuit, Marianos occidendos, proſcribendoſque curauit. Dictator ab interrege L. Valerio Flacco Reip. conſtituendæ longo interuallo Dictaturæ nomine inaudito, dictus eſt. anno DCLXXI. anno proximo triumphum per biduum egit ex Græcia, Aſia, Ponto, & rege Mithradate IV. & III. Kalend. Febr. In ſequentem annum Cos. deſignatus eſt cum Q. Cæcilio Metello Pio. Altero poſt Conſulatum anno ſe Dictatura abdicauit: quod C. Cæſar reprehendere ſolebat, ac dicere eum magiſtrum populi, ſic enim veteres Dictatorem appellabant, litteras neſciſſe: non quod Sulla indoctus eſſet, ſed quod tyrannorum iura, ſiue artem tyrannidis retinendæ, quas litteras reconditas appellabat, ignoraret. In quibus illud erat ex Euripide: Si violandum ius eſt, regnandi cauſſa &c. in quo Cæſar a Cicerone iure notatur. Vxores L. Sullæ quinque fuerunt, Ilia prima, ex qua filiam ſuſcepit, Ælia ſecunda, tertia Cœlia, quam vt ſterilem repudiauit; quarta Cæcilia L. Metelli Delmatici filia, quæ parum pudica credita eſt, geminorum Fauſti, & Fauſtæ mater. hæc prius M. Æmilio Scauro principi Senatus nupſerat, ex qua filium, & filiam ſuſceperat. Quincta vxor Valeria Meſſalæ filia Q. Hortenſij ſoror, ex qua Poſtuma nata eſt. Fauſtus Pompeiam Cn. Magni filiam duxit, Fauſta nupſit T. Annio Miloni, cum qua C. Salluſtius Criſpus hiſtoricus deprehenſus loris cæſus eſt, altera Fauſta, ſiue eadem nupſit C. Memmio, ex qua C. Memmius natus eſt, & ab eo repudiata nupſit C. Apronio Limoni.

Alia Sullæ filia nupſit Q. Pompeio Rufo, Q. Rufi, de quo ſupra diximus filio, ex qua Q. Rufus Tr. Pl. & Pompeia C. Cæſaris Dictatoris vxor, quam P. Clodius adamauit, procreati ſunt. Alter Sulla Conſul deſignatus P. Cornelius Ser. F. L. N. appellatus, filius fratris Felicis Dictatoris cum L. Autronio Pæto damnatus eſt ambitus. in eorum locum accuſatores ſucceſſerunt, L. Aurelius Cotta, L. Manlius Torquatus an. DCXXCIIX. Hunc defendit Cicero in oratione, quæ pro P. Sulla inſcribitur. Accuſabat L. Torquatus Lucij, de quo dictum eſt, filius, Sullam cum Autronio, & Catilina coniuraſſe. eum in coniuratis cum fratre Seruio nominat Criſpus Salluſtius, Cicero negat vllam vmquam de eo ſuſpicionem habuiſſe: ſed vixiſſe Neapoli otioſum. Sullas ſequantur Cethegi, ex quibus quattuor Conſulares, totidem Conſulatus, cenſuras duas, duos etiam triumphos obtinuerunt. Primus M. Cethegus M. F. M. N. cum P. Sempronio Tuditano Cenſor fuit an. DXLIV. luſtrum fecerunt XLIV. cum neuter Conſul fuiſſet. Nam Conſules fuerunt quadriennio poſt. Hic ſuaui loquens appellatur ab Ennio. Alter C. Cethegus L. F. M. N. Cos. fuit cum Q. Minucio Rufo an. DLVI. triumphum egit de Inſubribus, & Cœnomaneis Galleis. Cenſor triennio poſt fuit cum Sex. Ailio Paito Cato. luſtrum fecerunt XLVII. Tertius P. Cethegus L. F. P. N. Cos. fuit cum M. Bæbio Tamphilo an. DLXXII. anno proximo Procos. triumphauit de Liguribus. Quartus M. Cornelius C. F. C. N. Cethegus Cos. fuit cum L. Anicio Gallo anno DXCIII. Si quis horum parentes coniungere velit, quos M. Verrius Flaccus diligenter enumerat, vix vllam propinquitatem eliciat exceptis duobus prioribus, quos fratres patrueles eſſe idem prænomen aui oſtendit. Quartus ſecundo coniungetur, ſi eius nepotem fuiſſe credideris. Ita fiet, vt Marcus ſit pater Marci, & Lucij, ſecundus Marcus pater Marci Cenſ. & Cos. Lucius vero pater Caij Conſularis, hic Caius Caij pater ſit, & Caij Conſularis auus. Si tertium addere velis, fingendus eſt aliquis ex parentibus Marci Cenſorij habuiſſe etiam Publium filium, qui pater Lucij fuerit, Lucium Publij Conſularis patrem.

De Merulis pauca dicenda, duos enim ſolos Conſulares inueni, quorum alter Flamen Dialis fuit. L. Cornelius L. F. Merula an. DLX. Cos. fuit cum Q. Minucio Thermo. Alter eiuſdem nominis Flamen Dialis Cos. ſuffectus fuit L. Cornelio Cinnæ, cui imperium abrogatum eſt, collega Cn. Octauius occiſus eſt, & ipſe Merula Cos. coactus a Marianis ſibi manus intulit. an. DCLXVI. Dolabellæ ſex, conſulatus quinque, triumphos tres obtinuerunt. Primus P. Cornelius Dolabella Maximus Cos. fuit cum Cn. Domitio Caluino an. CDLXX. triumphum egit de Etruſceis, & Galleis Senonibus. Alter Cn. Dolabella Cn. F. Cn. N. Cos. fuit cum M. Fuluio Nobiliore an. DXCIV. Tertius Cn. Dolabella Cos. ſuffectus, vt quidam arbitrantur, L. Caſſio Longino, qui a Gallis occiſus eſt an. DCXLVI. Alter Conſul C. Marius fuit, qui poſtea ſepties Conſul appellatus eſt. Hunc putant quidam Aſconium in Verrinis, atque alibi ſecuti a M. Æmilio Scauro fuiſſe accuſatum, & damnatum. ſed mihi non fit veriſimile de eo Ciceronem in Verrinis locutum,

cum, ſi de patre Scauro loquimur, iam Scaurus mortuus erat, cum Verres Prætor, aut Quæſtor fuit; ſi de filio, non hic Dolabella eſt, de quo Cicero in Prætura vrbana lib. III. in Verrem ait Verrem defendiſſe legatum Proquæſtore ſuum. Additque: Nemo iam Dolabella, neque tui, neque tuorum liberum, quos tu miſeros in egeſtate, atque in ſolitudine reliquiſti, miſereri poteſt. Ille Dolabella Carbonis ſucceſſor in Conſulatu fuit, hic xxv. annis antiquior eſt. Quartus L. Dolabella L. F. L. N. quincto Kal. Feb. an. DCLV. Procos. ex Hiſpania vlteriore de Luſitaneis triumphum egit. Quinctus Cn. Dolabella, de quo Ciceronem locutum eſſe dicebamus. is Cos. fuit cum M. Tullio Decula anno DCLXXII. Procos. quadriennio poſt ex Macedonia triumphum egit. Sextus eſt P. Dolabella P. F. P. N. gener Ciceronis, qui C. Cæſari Cos. v. Idib. Martiis interfecto, ſuffectus eſt anno DCCIX. Collega eorum M. Antonius. Hic modo laudatur, modo vituperatur a Cicerone. quod enim egerat aduerſus eos, qui columnam Cæſari ſtatuerant, aut contra M. Antonium, effert ſummis laudibus; quod vero contra Trebonium, aut alios percuſſores Cæſaris maxime vituperat. Hoſtis iudicatus eſt occiſo Trebonio, iſque paullo poſt a Caſſio obſeſſus ſe ipſum interfecit. Cinnæ duo conſulatus obtinuerunt quinque. Nam L. Cornelius L. F. Cinna Cos. fuit cum L. Caſſio Longino Rauilla an. DCXXVI. Huius, vt creditur, filius Cos. cum Cn. Octauio poſt annos XL. a collega vrbe expulſus cum C. Mario vrbem ingreſſus, & collegam, & qui ei ſuffectus fuerat, L. Merulam occidit. triennio conſulatum continuauit. Collegam habuit in ſecundo conſulatu C. Marium ſeptimum conſulem, quo Idib. Ian. mortuo L. Valerius Flaccus ſuffectus eſt. In tertio, & quarto Cn. Papirius Carbo collega fuit. In hoc quarto Cinna ſeditione orta ſe conſulatu abdicauit, & ab exercitu ſuo occiſus eſt. Solus Carbo ſine collega Cos. fuit. Cinnæ filij fuerunt L. Cinna & Cornelia C. Cæſaris Dictatoris vxor, ex qua Iuliam procreauit Cn. Pompeij Magni vxorem. Hanc ita adamauit Cæſar, vt magno periculo eam retinuerit inuito L. Sulla Dictatore. Nunc de Merenda, & Blaſione, quos conſulares fuiſſe ſcimus a ſuperioribus ſeparatos, dicendum eſt. Ser. Cornelius Merenda Cos. fuit anno CDLXXIX. cum M'. Curio Dentato IV. Cn. Cornelius L. F. Cn. N. Blaſio Cos. fuit cum C. Genucio Clepſina II. poſt quadriennium a ſuperiore. Triumphum egit de Saſſinatibus. Cenſor fuit cum C. Marcio Rutilo Cenſorino II. quinquennio poſt conſulatum. Luſtrum fecerunt XXXV. Iterum Conſul fuit an. CDXCVI. cum C. Atilio Regulo. Sine cognomine vllo Cornelios aliquot inuenio. Nam Seruio Tullio Rege Cornelius ſacerdos fuit. & Ser. Cornelius Flamen Quirinalis mortuus eſt anno vrbis CCC. & A. Cornelius Quæſitor de falſo fuit anno ſexto ante eum annum, vt Liuius teſtatur. P. Cornelius Trib. Mil. fuit an. CCCLXIV. Alter eiuſdem nominis quadriennio poſt, C. Cornelius an. CCCLXVII. Hæc tempore libertatis reip. Romanæ. Poſtea ante Auguſti mortem hos conſulares inuenio. Lentuli ſeptem totidem conſulatus, triumphalia ornamenta duo obtinuerunt. Namque eodem anno P. Cornelius P. F. Lentulus Marcellinus & Cn. Cornelius L. F. Lentulus Conſules fuerunt anno DCCXXXV. & Cn.

Cornelius Cn. F. Lentulus Augur poſtea Getulicus dictus Cos. fuit cum M. Licinio Craſſo poſt quattuor annos, & an. DCCL. Hic legatus Auguſti triumphalia ornamenta accepit de Getuleis ex Africa anno DCCLIX. Cn. Cornelius Lentulus L. F. Flamen Martialis Cos. fuit cum M. Valerio Meſſallino Cotta. Et biennio poſt Coſſus Cornelius Cn. F. Lentulus poſtea Iſauricus dictus Cos. fuit cum L. Carpurnio Piſone Augure. Hic etiam legatus Aug. anno DCCLIX. triumphalia accepit de Iſaureis ex Cilicia. Eodem anno P. Cornelius Cn. F. Lentulus Scipio ex Kal. Iuliis Cos. fuit cum T. Quinctio Criſpino Valeriano. Necnon anno DCCLXII. ex Kalend. Iul. Ser. Cornelius Cn. F. Cn. N. Lentulus Maluginenſis Flamen Dialis Cos. fuit. Scipionis cognomine vnum reperio P. Cornelium P. F. P. N. qui Cos. fuit cum L. Domitio Ahenobarbo anno DCCXXXVII. Sulla quoque vnus eſt L. Cornelius P. F. qui collega Auguſti fuit in XII. conſulatu anno DCCXLVIII. & VII-vir epulonum. Hunc credunt aliqui P. Sullæ Cos. des. fil. qui Ser. filius fuit. Cinna Magnus Cos. fuit cum L. Val. Meſſalla Voluſo an. DCCLVII. Dolabella vnus P. Cornelius P. F. P. N. Cos. fuit an. DCCLXII. cum C. Iunio Silano Flamine Martiali. Ipſe Septemvir epulonum, & ſodalis Titienſis fuit. Præter hos, qui ex veteribus nobiliſſimis familiis patricij fuerunt: reperio Balbos Cornelios Conſulares, quorum origo Gaditana. Primus Balbus a Cn. Pompeio ciuitatem Romanam accepit, de qua poſtea periclitatus eſt, & defenſus a Cicerone. Huius filius, vt arbitror, Cos. ſuffectus fuit, primus ex prouinciis ad Oceanum conſtitutis, vt Plinius animaduertit, L. Cornelius L. F. Balbus cum P. Canidio Craſſo an. DCCXIII. Alter Balbus fuit L. Cornelius P. F. qui Procos. ex Africa VI. Kal. April. anno DCCXXXIV. triumphauit. Hunc exiſtimo Cos. ſuffectum fuiſſe ante annos XIII. cum Paullo Æmilio Lepido ex Kalend. Iuliis. quamvis Balbi nomen in faſtis deſit. Quod ſi non is eſt, inter eos, qui ſine cognomine Cornelij fuerunt collocetur. Iulius Capitolinus auctor eſt D. Cælium Balbinum, qui cum M. Clodio Pupieno Maximo Imperator factus eſt, aduerſus Maximinum Imperatorem, patricium, nobiliſſimumque fuiſſe, quod originem ſuam a Cornelio Balbo Theophane deduceret. Theophanem Pompeij Magni libertum fuiſſe credo, aliumque a Cornelio Balbo. propinquum tamen fuiſſe indicat Cicero in oratione pro Balbo, & ab eodem Theophane adoptatum. Recte igitur idem Theophanes Balbus dici potuit. Balbinos vero a Balbis dictos veriſimile eſt. Itaque potuit aliquis Cornelius Balbus a Cælio adoptatus Cælius Balbinus dici, vt Claudius Marcellus a Lentulo adoptatus Cornelius Lentulus Marcellinus dictus eſt. Poſt Auguſtum, & ante Veſpaſianum Imp. adhuc retinuerunt antiqua cognomina hi Conſulares. Ser. Cornelius Ser. F. Cethegus Cos. an. DCCLXXV. cum L. Viſellio Varrone. Coſſus Lentulus Coſſi F. Cn. N. Iſauricus cum M. Aſinio Agrippa Cos. an. ſequenti. Cn. Lentulus Cn. F. Cn. N. Getulicus cum C. Caluiſio Sabino Cos. anno proximo. L. Cornelius L. F. P. N. Sulla Cos. cum Ser. Sulpicio Galba, qui poſtea Auguſtus appellatus eſt anno Vrbis DCCXXCV. quo anno IESVS CHRISTVS Dominus noſter cruci affixus eſt. Superiores ſub Ti. Cæſare Imp. fuerunt. Ser. Cornelius Scipio Orfitus collega Ti. Claudij Imp. in V. conſulatu anno DCCCIII. Ab

hoc plures Orfiti Conſulares. P. Cornelius L. F. L. N. Sulla Fauſtus cum L. Saluio Othone patre Imp. Othonis Cos. anno ſequenti. Eodem anno ex Kalend. Iuliis ſuffectus eſt L. Sulla frater Conſulis ordinarij cum M. Licinio Craſſo Muciano, ſub eodem Ti. Cl. Imp. Sub Nerone P. Scipio P. F. Cos. fuit cum Q. Voluſio Saturnino anno DCCCVIII. Coſſus Cornelius Coſſi F. Coſſi N. Lentulus collega fuit Neronis Imp. in IV. Conſulatu anno DCCCXII. P. Cornelius P. F. Scipio Aſiaticus Cos. ex Kalend. Sept. anno DCCCXX. cum C. Bellico Natali ſub Galba Imp. At homo nouus Cornelius Laco Præf. Prætorio a Ti. Cl. Aug. triumphalia ornamenta accepit an. DCCXCVII. de Britanneis. A Veſpaſiano ad Gallienum Imp. vnum Scipionem Aſiaticum, plures Scipiones Orfitos, ceteros Cornelios variis cognominibus Conſulares appellatos inuenio. Omnes temporum ordinem ſecutus referam. C. Priſcus ſub Veſpaſiano Cos. fuit cum L. Ceionio Commodo Vero auo L. Ælij Cæſaris, quem Hadrianus Imp. adoptauit. annus conſulatus fuit DCCCXXX. Alter Cornelius Priſcus cum Pompeio collega poſt XV. annos Cos. ſuffectus T. Verginio Rufo III. qui recuſauit occiſo Vindice Imperium, collegæ Neruæ Aug. in tertio conſulatu anno DCCCXLIX. Ab hoc Tacito Imp. M. Claudius Tacitus gloriabatur ſe originem ducere, eius libros ſæpius quotannis deſcribi, & in omnibus bibliothecis conſeruari iuſſit. Eodem an. M. Cornelius Fronto II. Cos. cum Fabio Poſtumo ex Kalend. Iulis. Cos. III. fuit cum Imp. Traiano III. Cos. poſt triennium. Huius filius M. Cornelius Fronto orator, & Cos. Magiſter fuit Imperatorum Antonini, & Lucij, eius etiam nepos Fronto Cos. fuit, qui ex Aufidia Aufidij Victorini bis Præfecti Vrbis, & Conſulis filia M. Aufidium Frontonem procreauit. A. Cornelius Palma bis Conſul fuit ſub eodem Traiano. Namque anno DCCCLI. cum C. Soſio Senecione II. & decennio poſt cum C. Caluiſio Tullo II. occiſus eſt ab Imp. Hadriano. Cornelius Scipio Orfitus ex Kalend. Mart. Cos. ſuffectus anno DCCCLIII. Sub Hadriano Imp. P. Cornelius P. F. Scipio Aſiaticus II. Cos. cum Q. Vettio Aquilino anno DCCCLXXVII. Prioris conſulatus tempus incertum eſt. Ser. Cornelius Scipio Orfitus Cos. fuit cum Q. Nonio Priſco anno DCCCC. ſub Pio Imp. L. Cornelius C. F. Gal. Celſus Cos. fuit ſub Marco, & Lucio fratribus Impp. cum C. Iulio Macrino anno DCCCCXVI. Eiuſdem cognominis Auguſti tempore Cornelius Celſus de rhetoricà, de re medica, de agricultura, & de re militari ſcripſit elegantiſſime. Cornelius Scipio Orfitus, & Seruilius Pudens Conſules fuerunt anno ſequenti. Alter Scipio Orfitus, cum Cl. Maximo Cos. fuit anno DCCCCXXIV. ſub Marco Imp. Tertius Orfitus poſt annos ſex Cos. cum Vettio Rufo ſub eodem Marco, & Commodo Imp. P. Cornelius Anullinus II. Cos. fuit cum M. Aufidio Frontone anno CCIƆLI. ſub Seuero, & Antonino Imp. Alterius conſulatus tempus ignoratur. Alter Anullinus, qui Cos. fuit cum Q. Aquillio Sabino II. ſub Caracalla Imp. an. DCCCCLXVIII. non Sex. Cornelius P. F. appellatur, vt quidam ſcripſerunt, ſed Sex. Aurelius Anullinus ex tubulo aquæ Marciæ. Peruenimus ad P. Licinium Gallienum Imp. cuius vxor Cornelia Salonina Auguſta appellata eſt. Filij vero P. Licinius Cornelius Saloninus Valerianus Cæſar, & Q. Iulius

Licinius Saloninus Gallienus Cæſar. Sed Valerianus Cæſar ſex annis ante patrem, Gallienus Cæſar cum patre occiſi ſunt. Poſt hæc tempora vnum tantum conſularem inueni P. Cornelium Anullinum Cos. ſuffectum ex Kal. Iul. occiſum a Maxentio Cæſ. anno CIƆLVII. ſub Conſtantio ſen. & Galerio Maximiano Impp.

DOMITIA.

DOMITIA plebeia gens Conſulares viros, & Cenſorios aliquot habuit, aliiſque honoribus, & ſacerdotiis vſos, qui eam nobilem reddiderunt. In duas ſtirpes Caluinorum, & Ahenobarborum diſtinguitur. Caluini tres, quattuor conſulatus Cenſuram, & Triumphum, & Magiſterium equitum deſtinatum aſſecuti ſunt. Primus Cn. Domitius, ſiue Caius, Cos. fuit cum A. Cornelio Coſſo Aruina II. anno CCCCXXII. Alter Cn. Caluinus ſuperioris, vt creditur, filius Cos. fuit anno CDLXX. cum P. Cornelio Dolabella Maximo. Cenſor triennio poſt cum Q. Fabio Maximo Gurgite. luſtrum fecerunt XXXII. Caluinus plebeius Cenſor primus luſtrum condidit. Tertius longo interuallo Cn. Domitius M. F. M. N. Cos. fuit cum M. Valerio Meſſalla anno DCC. Notatum in faſtis eſt poſt VIII. annos, hunc in inſequentem annum deſignatum non iniiſſe, ſed an de Magiſterio equitum, vel de conſulatu dictum ſit, incertum eſt. Iterum Conſul fuit cum C. Aſinio Pollione anno DCCXIII. Triumphum egit ex Hiſpania XVI. Kalend. Sextil. poſt quattuor annos ſub Auguſto Cæſare. Præter hos inuenio C. Domitium Cn. F. Caluinum Ædilem Curulem fuiſſe cum Sp. Caruilio Q. F. Maximo anno CDLIV. Ahenobarbi nouem, totidem Conſulatus, cenſuras duas, triumphos totidem, triumphalia ornamenta, & Pontificatum Maximum ſemel obtinuerunt. Hos patriciis allectos Suetonius appellat. Primus Cn. Domitius L. F. L. N. L. I.
Pron. Cos. fuit anno DLXI. cum L. Quinctio Flaminino. Huius filius Cn. II.
Domitius Cn. F. L. N. cum P. Cornelio Lentulo ſuffectus eſt in locum P. Scipionis Naſicæ Corculi, & C. Marcij Figuli trigeſimo poſt ſuperioris conſulatũ anno. Hic etiam Augur fuit. Tertius ſuperioris filius Cn. Ahenobarbus Cn. III.
F. Cn. N. Cos. fuit anno DCXXXI. cum C. Fannio C. F. Strabone. Hunc atauum Neronis Imp. Suetonius appellat. Procos. triumphum egit de Galleis Aruerneis. anno proximo, vel biennio poſt. Cenſor fuit cum L. Metello Caluo anno DCXXXIIX. luſtrum fecerunt LXII. acerba duorum plebeiorum cenſura fuit, duos & triginta ſenatu mouerunt. Quartus Cn. Domitius Cn. IV.
F. Cn. N. ſuperioris filius Cos. fuit cum C. Caſſio Longino anno DCLVII. cenſor poſt quadriennium cum L. Licinio Craſſo oratore. luſtrum fecerunt LXVI. Idem Craſſus parum collegæ beniuolus dicere ſolebat, non mirum ſi barba ahenea eſſet, cui os ferreum, cor plumbeum eſſet. Pontifex Maximus fuit anno DCLI. Hic tribunus plebis, quod in locum patris alium Augures cooptaſſent, ius ſacerdotum ſubrogandorum a collegiis ad populum tranſtulit. Hunc auunculum Q. Catuli minoris fuiſſe Cicero ſignificat. Paterculus eam legem tuliſſe ait C. Mario III. Cos. anno DCL. Idem diem dixit M. Æmilio

Scauro ad populum, quod ſacra multa eius opera diminuta eſſe diceret: cumque ſeruus Scauri indicium profeſſus ad eum veniſſet; comprehendi iuſſit, & ad Scaurum deferri. Hunc Cicero ſe puerum vidiſſe refert Conſulem,
V. Cenſorem, ac Pontificem Max. Quinctus L Domitius Cn. F. Cn. N. frater
VI. ſuperioris Cos. fuit cum C. Cœlio Caldo anno DCLIX. Sextus L. Ahenobarbus Cn. F. quem Suetonius abauum conſtituit Neronis Imp. aitque cum Prætor eſſet, Cæſarem abeuntem conſulatu ad diſquiſitionem ſenatus vocaſſe, Conſulē e Gallia reuocare tentaſſe. tandem ſucceſſorem a ſenatu eumdem Domitium datum fuiſſe, ſed captum a Cæſare Corfinij, ac liberatum Maſſilienſes labantes confirmaſſe, & in acie Pharſalica occidiſſe. Eius conſulatus fuit anno
VII. DCXCIX. cum Ap. Claudio Pulchro. Vxor eius Porcia M. Catonis ſoror germana. Septimus Cn. Domitius L. F. Cn. N. ſuperioris filius, Cos. fuit cum C. Soſio anno DCCXXI. ſub Auguſto. Hunc maxime laudat Suetonius, damnatum lege Pedia, vt Cæſaris percuſſorem, ſed inſontem, Bruti, & Caſſij partes ſecutum, & poſt eorum interitum, claſſem retinuiſſe, eamque poſtea tradidiſſe M. Antonio, reſtitutum in patria ampliſſimos honores aſſecutum. Iterum aborta diſſenſione cum Antonio fuiſſe legatum, ſed poſtea reuerſum ad Cæſarem Auguſtum. Triumphum egit Procos. ex Hiſpania poſt conſulatum
VIII. anno proximo. Octauus L. Domitius Cn. F. L. N. ſuperioris filius. Hic Conſul fuit cum P. Cornelio Scipione anno DCCXXXVII. Auus hic Neronis Imp. aurigandi artem, atque ſæuitiam eidem reliquit. Triumphalia ornamenta ex Germanico bello tulit, anno DCCXLVII. legatus Imp. Cæſ. Aug. Vxor Antonia maior M. Antonij Triumviri, & Octauiæ maioris ſororis Auguſti filia. Ex ea ſuſcepit Cn. Domitium Ahenobarbum Neronis patrem, quem ex Agrippina Germanici, & Agrippinæ filia procreauit. Confeſſus eſt pater nato Nerone, nihil ex ſe, & Agrippina poſſe, niſi deteſtabile procreari. Cum verba Suetonij cum faſtis Verrij confero, magnam video varietatem. Nam Suetonius ſeptem conſulares, Verrius nouem enumerat: Suetonius poſt tres Lucios tres Cnæos, ceteros varie Lucium, & Cn. alternando conſtituit. Verrius duobus tribuſve Luciis quattuor Cnæos duos Lucios ſtatuit, cæteros alternando variat. Suſtuliſſe videtur Suetonius quartum Cnæum, & quartum Lucium, Caluinorum fortaſſe familiæ eſſe exiſtimans. Cenſura tamen erit alteri addenda, cum Suetonius duos Cenſorios in his ſeptem enumeret. Paterculus ſeptem ante Cn. Neronis, vt arbitror, patrem ait fuiſſe ſingulos parentibus ſuis natos, conſulares, ſacerdotes, & pæne omnes triumphales. Sed, vt hoc, quod de triumphis dicit falſum eſt, ita cetera falſa eſſe poſſunt. Pater Neronis cōſulatum geſſit cum A. Vitellio patruo A. Vitellij Imp. an. DCCLXXXIV. ſub Ti. Cæſare Aug. Paullo poſt Cn. Domitius Cn. F. Corbulo Cos. ſuffectus fuit ex Kal. Febr. anno DCCXC. ſub Caligula Imp. eidem poſt decennium ornamenta triumphalia data ſunt de Chauceis ex Germania legato Ti. Cl. Imp. Anno proximo poſt ſuperioris conſulatus annum Cos. fuit Cn. Domitius Sex. F. Afer cum Q. Curtio Rufo ex Kalend. Iuliis ſub Caligula Imp. A Veſpaſiano ducta eſt Fl. Domitilla Fl. Liberalis filia, ex qua Titum, & Domitianum poſtea Imperatores, & Domitillam ſuſcepit, & vxorem, & filiam adhuc priuatus amiſit.

amiſit. Domitianus matris nomen videtur accepiſſe, vt pater Veſpaſianus a Veſpaſia Polla matre dictus eſt. Domitiani vxor Domitia Longina, quæ Ælio Lamiæ nupſerat, poſtea Auguſta appellata eſt. Poſt hæc tempora ante L. Domitium Aurelianum Imp. duos tantum Conſulares inuenio. Domitium Apollinarem, qui cum Fabricio Veientone Cos. ſuffectus fuit ex Kal. Iul. anno DCCCXLIX. ſub Nerua Imp. & C. Domitium Dextrum, qui in ſecundo conſulatu collegam habuit L. Valerium Meſſalam Thraſiam Priſcum anno DCCCCXLVIII. ſub Seuero Imp. Prioris conſulatus tempus ignoratur. Imp. L. Domitius Aurelius Valerius Aurelianus humili genere Sirmij, vel in Dacia Ripenſi natus Pont. Max. Tr. Pot. V. Cos. III. Imp. III. occiſus eſt, filiam reliquit, ex qua Senator Aurelianus, & alij orti ſunt. Poſt hunc Imp. neminem Conſularem vno excepto reperi, Domitio ſiue Dometio Leontio, qui cum Salluſtio Cos. fuit an. CIↃXCV. ſub filiis Conſtantini Max.

FABIA.

FABIA familia patricia maiorum, vt opinor, gentium, quæ clariſſimos viros habuit, & omni honorum genere ornatiſſimos: in ſex ſtirpes diuiditur, quarum tres frequentes ſunt Vibulanorum, Ambuſtorum, & Maximorum; tres minus frequentes Dorſonum, Pictorum, & Buteonum. Vibulani ſeptem conſulatus obtinuerunt XIIII. Tribunatus Militares conſulari poteſtate V. Decemviratum legibus ſcribendis bis, triumphum, & ouationem ſemel. Primus Q. Fabius K.F. Vibulanus Conſul fuit anno CCLXIIX. cum Ser. Cornelio Maluginenſi Coſſo. Huius pater Kæſo, ſiue Cæſo Quæſtor perduellionis fuerat proximo anno. Iterum Cos. fuit cum C. Iulio Iulo triennio poſt priorem conſulatum. biennio proximo occiſus eſt. Huius frater K. Fabius Cos. fuit cum L. Aimilio Mamercino anno proximo poſt priorem fratris conſulatum. Iterum Cos. fuit anno proximo poſt poſterioris conſulatus fratris annum cum Sp. Furio Medullino Fuſo. Tertio Conſul fuit anno CCLXXIV. cum T. Verginio Tricoſto Rutilo. II.
Superiorum frater M. Fabius Conſul fuit proximo anno poſt primi conſulatus Kæſonis fratris annum cum L. Valerio Potito. Iterum Conſul fuit proximo anno poſt ſecundi conſulatus eiuſdem fratris annum cum Cn. Manlio Vulſone. Ita factum eſt, quod nunquam amplius euenit, vt tres fratres ſeptem annis ſemper conſulatus obtinuerint. Biennio tamen poſt, ſiue anno proximo CCCVI. Fabij cum familiis, & clientibus ad Cremeram cæſi ſunt a Veientibus, diem atrum, & portam Carmentalem, qua exierunt, ſceleratam Romani vocauerunt. Falſumque eſt, vnum tantum impuberem domi relictum, idque iure reprehendit Dionyſius. III.
Poſt horum cædem Q. Fabius. M. F. K. N. Conſul fuit anno CCXXCVI. cum Ti. Aimilio Mamercino II. & Iterum Conſul cum T. Quinctio Capitolino Barbato III. biennio poſt fuit, & in conſulatu luſtrum fecerunt VIIII. nondum ad id munus Cenſoribus creatis. Tertium Conſul cum L. Cornelio Maluginenſi Coſſo ſexto poſt ſuperiorem anno, luſtrum etiam fecerunt X. & triumpharunt Fabius Nonis Mai de Æqueis, Coſſus IV. Idus, de Volſceis Antiatibus. Quartum conſulatum IV.

obtinuit ſuffectus L. Minucio Augurino, cuius collega fuit C. Nautius Rutilus II. anno proximo poſt tertium conſulatum. Decemvir legibus ſcribendis fuit anno CCCIII. Iterumque anno proximo, ſed cum ceteris
V. legibus XII. tabularum conſcriptis abdicauit. Hunc ſecutus eſt M. Vibulanus filius Cos. fuit anno CCCXI. cum Poſtumo Æbutio Helua Cornicine. Tribunus Militum poſt annos IX. cum M. Foſlio Flaccinatore, & L. Sergio Fidenate.
VI. Sextus Q. Vibulanus ſuperioris frater Cos. fuit cum Sempronio Atratino anno CCCXXX. Septennio poſt Trib. Mil. fuit. Iterumque poſt biennium.
VII. Septimus Numerius Vibulanus ſuperiorum frater Q. F. M. N. Cos. fuit cum T. Quinctio Capitolino Barbato anno CCCXXXII. ouans de Æqueis reuerſus eſt. Trib. Mil. fuit poſt ſex annos inter duos Quincti fratris Tribunatus. Iterum Tribunus anno CCCXLVI. De huius Fabij prænomine multi ſcripſerunt, eum Fabium, qui occiſis CCCVI. ſuperſtes fuit, duxiſſe filiam Numerij Otacilij Maleuentani viri locupletis ea conditione, vt qui primus naſceretur, prænomen aui ferret. natoque filio Numerium Fabium eum eſſe appellatum: neminemque patricium antea eo nomine vocatum eſſe. Ego hunc aliis fratribus minorem fuiſſe credo, cum poſt eos fuerit magiſtratus aſſecutus. Vibulanos ſequuntur Ambuſti, Ambuſtos Maximi. Ambuſti duodecim obtinuerunt Pontificatum Maximum, & Dictaturas duas, Principatus ſenatus tres, Magiſteria equitum tria, Cenſuras duas, triumphum, &
I. ouationem, Conſulatus V. Tribunatus militares IX. Primus Q. Fabius Ambuſtus, quem putant M. F. Q. N. fuiſſe, vt Numerium, & Kæſonem Ambuſtos, quos huius fratres fuiſſe arbitrantur. Quæ ſi vera ſunt, addamus horum patrem fuiſſe M. Vibulanum, de quo ſupra diximus. Ita Vibulanos Ambuſtis coniungemus. Illud certum eſt Q. Ambuſtum Cos. fuiſſe cum C. Furio Pacilo anno CCCXLI. Interrex anno proximo fuerat, quod ſolis patriciis conceſſum eſt, & ſi ceteri Magiſtratus poſtea plebeiis fuerint
II. communicati. N. Ambuſtus poſt hunc Trib. Mil. fuit ſexto poſtea anno.
III. Hunc Verrius affirmat fuiſſe M. F. Q. N. Tertius K. Ambuſtus ſuperioris
IV. V. frater Trib. Mil. fuit biennio poſt ſuperiorem. Iterumque poſt tres annos,
VI. & tertio anno CCCLVIII. Tres poſtea fratres Q. K. M. Fabij M. F. cum legati ad Gallos Cluſium obſidentes de pace miſſi eſſent, Cluſinis opem tulerunt: Gallos irritarunt, vt arma contra vrbem Romam mouerunt. prœlio ad Alliam victores vrbem ingreſſi ſunt. tres Fabij Tribuni Militum eodem anno CCCLXIII. proximo anno occiſi ſunt. Hos Marci nepotes eſſe quidam ſuſpicantur, vt ſint Q. pronepotes: nati ex fratre ſuperiorum.
VII. Sequitur M. Ambuſtus K. F. M. N. Tribunus Mil. fuit anno CCCLXXII. Iterumque poſt XI. annos. ac Cenſor anno CCCXC. cum L. Furio Medullino. luſtrum fecerunt XX. Hunc, ſiue alium M. Ambuſtum conſtat Pont. Max. fuiſſe an. CCCLXIII. cum capta vrbs fuit. fortaſſe is eſt, cuius eo anno tres filij Tribuni militum fuerunt. Huius vero M. Cenſorij duæ filiæ Fabia maior nupta Ser. Sulpicio Prætextato patricio, minor C. Licinio Caluo Stoloni plebeio occaſionem præbuerunt petendi Conſulem plebeium quod exercuit
VIII. multos annos ciuitatem Romanam. Eiuſdem fortaſſe filius fuit C. Ambuſtus,

qui Cos. fuit an. CCCXCV. cum C. Plautio Proculo. Nonus M. Ambuſtus ter Conſul fuit. Hunc Verrius N. F. M. N. appellat. primo conſulatu eius collega fuit C. Pœtelius Libo Viſolus biennio ante ſuperioris conſulatum. ſecundum quadriennio poſt primum geſſit cum M. Popillio Lænate II. tertium biennio poſt cum T. Quinctio Capitolino Criſpino. In primo conſulatu ouans rediit de Herniceis Nonis Septemb. an. CCCXCIII. in tertio triumphans de Tiburtibus III. Non. Iun. an. CCCXCIX. Dictator fuit comitiorum cauſſa triennio poſt triumphum. Cenſorem fuiſſe neceſſe eſt, cum ter tribus luſtris Princeps Senatus fuerit, hoc eſt XXV. XXVI. & XXVII. Cenſura fortaſſe ea eſt, quam M. Ambuſto fratri patrueli tribuimus anno CCCXC. & quam aliqui huic tribuunt quinquennio poſt, eam illi M. Ambuſto, ſiue alij conferrem, aut totam abiicerem. Cum enim Princeps Senatus legeretur antiquiſſimus Cenſorius, quo eum antiquiorem conſtituamus, magis ad veritatem, aut veritatis imaginem accedemus. Huius filius Q. Maximus Rullianus fuit, qui ſepties Princeps Senatus lectus eſt. de quo paullo poſt dicemus. Eſt etiam alius M. Ambuſtus ſuperioris, vt creditur Marci filius, qui Magiſter equitum fuit A. Cornelio Coſſo Aruina Dictatore ludorum, vel rei gerundæ cauſſa an. CDXXXI. quo anno Q. Fabius Rullianus Cos. fuit. Ante hunc Q. Ambuſtus, cuius parentes ignoramus, Magiſter equitum fuit P. Valerio Potito Poplicola Dictatore Latinarum feriarum cauſſa an. CCCCIX. & Dictator an. CDXXXII. Comitiorum cauſſa. Duodecimus eſt C. Ambuſtus Mag. eq. in locum Q. Aulij Cerretani in prœlio occiſi Dictatore Q. Fabio Max. Rulliano anno CDXXXIIX. Hunc M. F. N. N. Verrius appellat, vt ipſum Q. Rullianum, cuius fratrem eſſe credendum eſt. Ambuſtos ſequuntur Maximi, vel potius Maxumi, ita enim tunc dicebantur, ex quibus originem ducunt; qui fere omnes aliis cognominibus ſingularibus inter ſe ſinguli diſtinguuntur, cum omnes fere Q. Fabij Maximi appellarentur. XI. reperio ante Auguſti mortem his honoribus, & Magiſtratibus vſos fuiſſe. Dictaturas enim quattuor, triumphos decem, cenſuras quinque Principatus Senatus XIII. Conſulatus XXI. & Magiſterium equitum obtinuerunt. Hoc ſingulare accidit huic familiæ Fabiæ, vt quattuor Principes Senatus eſſent, tres Maximi, & vnus Ambuſtus, pater, filius, nepos, ac pronepos, ſiue abnepos, & ex his tres primi XIII. luſtris lecti fuerint ſine vlla interpollatione, pronepos poſt duos, quorum alter Fabius etiam fuit. Primus Q. Fabius M. F. N. N. Rullianus fuit, qui cognomine a Rullis originem ducere videretur, in adoptionem datus Fabiis; quod minime ſcriptum reperi, Rullos tamen Seruilios plebeios appellatos fuiſſe certum eſt, vel ex eo, qui legem Agrariam promulgauit Tr. pl. Cicerone Cos. Maximi cognomen ex Cenſura obtinuit, in qua turbam forenſem in tribus vrbanas coëgit, qui plurimum in Comitiis poterant. Verrius tamen id cognomen ante Cenſuram eidem tribuit. Hic quinquies Cos. fuit, ter triumphalis, bis Dictator, quod pauci Romæ obtinuerunt, ſepties Princeps Senatus lectus eſt, quod nemini datum eſt. Magiſter equitum fuit L. Papirio Curſore Dictatore rei gerundæ cauſſa an. CDXXVIII. coactus eſt abdicare, honeſta de cauſſa, quod abſente Dictatore Samnites hoſtes viciſſet. Conſul fuit poſt triennium cum

L. Fuluio Curuo. Ambo Coſſ. de Samnitibus triumpharunt: Fuluius Quirinalibus, hoc eſt XIII. Kal. Mart. Fabius poſtridie. Dictator rei gerundæ cauſſa an. CDXXXIIX. Magiſtrum equitum dixit Q. Aulium Cerretanum, eo occiſo a Samnitibus C. Fabium Ambuſtum fratrem. Conſul iterum fuit poſt quinquennium cum C. Marcio Rutilo, poſtea Cenſorino appellato, iterumque Procos. triumphauit Idib. Nouemb. anno proximo de Etruſceis. Inſequenti anno tertium conſulatum geſſit cum P. Decio Mure II. Cos. & cum eodem Cenſor fuit an. CCCCXLIX. luſtrum fecit XXVIII. à quo luſtro Princeps Senatus in ſeptimum lectus ſemper eſt. Iterum Dictator fuit triennio poſt rei gerundæ cauſſa M. Aimilium Paullum Magiſtrum equitum dixit, eoque anno ſine Conſulibus duo Dictatores fuerunt. Rullianus, & poſt eum M. Valerius Coruus, ſenis menſibus, quod tempus omnibus Dictatoribus ante L. Sullam conſtitutum fuit. Quartus conſulatus datus eſt quadriennio poſt cum eodem P. Decio, cum quo tertium, & Cenſuram geſſerat. vno poſtea anno interiecto vacuo iidem Conſules refecti ſunt Fabius V. Decius IV. Hoc conſulatu Decius exemplo paterno ſe deuouit, & occiſus eſt: Fabius triumphum egit tertium de Samnitibus, Etruſceis, & Galleis pridie Nonas Sept. an. CDLVIII. Huius
II. filius Q. Gurges ter Conſularis, bis triumphalis, & Cenſorius, ac Princeps Senatus quater a paternis virtutibus non longe abfuit. Conſul fuit cum D. Iunio Bruto Scæua anno CDLXI. triumphum egit Procos. de Samnitibus anno proximo patre legato in equo currum ſequente. Iterum Cos. fuit cum C. Genucio Clepſina poſt XVI. annos, iterumque triumphauit de Samnitibus, Lucaneis, Bruttieis Quirinalibus an. CDLXXVII. Tertium conſulatum egit cum L. Mamilio Vitulo poſt XI. annos. Cenſor creditur fuiſſe, quod Princeps Senatus lectus ſit, anno CDLXXIII. cum Cn. Domitio Caluino, qui primus e plebe luſtrum XXXII. condidit. Luſtro XXXV. & tribus proximis luſtris
III. Gurges Princeps Senatus lectus eſt. Tertius Q. Maximus Verrucoſſus a Plutarcho pronepos Rulliani Maximi appellatur, ſed cum Q. F. Q. N. a Verrio appelletur, credendum eſt Gurgitis nepotem fuiſſe, patrem vero Quinctum nullis maioribus Magiſtratibus vſum fuiſſe. Ipſe quinquies Cos. bis Dictator, bis triumphalis, bis etiam Princeps Senatus, ſemel Cenſor, Pontifex, Augur, & quod omnium maximum fuit, conſeruator populi Romani creditus eſt, ſecundo bello Punico. quod magis prudenti cunctatione, & conſtanti patientia aſſecutus eſt, quam aliis virtutibus. de quo Ennius,

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem;
Non ponebat enim rumores, ante ſalutem:
Ergo poſtque, magiſque viri nunc gloria claret.

Primum conſulatum obtinuit anno DXX. cum Manio Pomponio Mathone. Ambo Coſſ. triumpharunt Maximus de Liguribus Kalend. Feb. Matho de Sardeis Idib. Mart. Cenſor triennio poſt fuit cum M. Sempronio Tuditano. luſtrum fecerunt XLI. poſt biennium iterum Cos. fuit cum Sp. Caruilio Maximo II. Ex hoc apparet cenſuræ honorem quinquennio non duraſſe, ſed XVIII. menſes. Hic enim & Cenſor, & Cos. fuiſſet, quod numquam accidit. Dictator anno DXXXII. Magiſtrum equitum dixit C. Flaminium Comitiorum

cauſſa, ſiue alterius rei vrgentis; ſed ridicula ſuperſtitione abdicarunt, quod vitio creati eſſent ſoricis occentu audito. tantis tenebris maximi viri tenebantur. Huius rei Valerius Maximus auctor eſt, & Plutarchus idem Minucio Dictatori contigiſſe affirmat. Iterum Dictator, vel potius pro Dictatore a populo creatus fuit anno DXXXVI. occiſo ab Hannibale C. Flaminio II. Cos. apud Traſimenum, Magiſtrum equitum dixit M. Minucium Rufum, qui primus obtinuit, vt ei imperium æquaretur Dictatori, quod obtrectatione militum, & ambitione Minucij, neque intellecta prudenti Fabij cunctatione factum eſt. Sed Minucius temere vſus imperio partem exercitus, cui præerat, in ſummum periculum adduxit, Fabius vtrumque exercitum ſeruauit; idque Minucius agnouit, patremque appellauit, eique faſces ſubmiſit. Biennio poſt Cos. tertio ſuffectus M. Marcello II. qui vitio factus fuerat, iſque creabatur in locum L. Poſtumij Albini III. qui occiſus fuit, antequam iniret. Eorum collega fuit Ti. Sempronius Gracchus. Refectus eſt anno proximo cum M. Claudio Marcello III. & gladius, & clypeus populi Rom. ambo Coſſ. dicti ſunt. Quinctum conſulatum geſſit cum Q. Fuluio Flacco IV. anno DXLIV. iterumque triumphauit de Tarentineis, & pœneis. Princeps Senatus lectus eſt XLIV. & XLV. luſtro. Tantam gloriam maior ſplendor Scipionis Africani imminuit. Sed alter alterius ope adiutus eſt, & ciuitas vtrique obnoxia fuit. Filium amiſit conſularem Q. Fabium Maximum, qui Ti. Sempronij Gracchi II. Cos. collega fuit anno DXL. poſt duos patris conſulatus. Proditum eſt patrem Proconſulem filio Conſuli obuiam veniſſe, iuſſumque a filio, vt e equo deſcenderet; id patri gratiſſimum fuiſſe. Ex liberis L. Æmilij Paulli, qui de Perſe Rege triumphum egit, paterque Africani minoris fuit, maiorem filium Verrucoſſus adoptauit, natum Papiria C. Maſonis conſularis, & triumphalis viri filia. Is Cos. fuit cum L. Hoſtilio Mancino anno DCVIII. Sunt qui adoptionem in filium transferant. Hic Q. Fabius Max. Aimilianus appellatus eſt Allobrogici pater. Sextus eſt Q. Fabius Seruilianus, quem putant Æmiliani fratrem adoptiuum fuiſſe adoptatum a Verrucoſſo, vel ab eius filio Q. Maximo, filiumque fuiſſe aſſerunt Cn. Seruilij Cæpionis, cuius filij Cn. Cæpio & Q. Cæpio duobus proximis annis conſulatum Q. Fabij Seruiliani ſubſecuti ſunt. Conſul autem is fuit cum L. Metello Caluo anno DCXI. Cenſor ſexto poſtea anno cum Q. Fuluio Nobiliore. luſtrum fecerunt LVIII. filium minus caſtum occidit, ſeq. e conſpectu patriæ priuauit. Allobrogicus ſecutus eſt, quem Aimiliani fuiſſe filium certum eſt. Is Cos. fuit cum Q. Opimio anno DCXXXII. triumphum egit anno proximo. Procos. de Allobrogibus, & Rege Aruernorum Betulto, vt Verrius notat. Cenſor fuit anno DCXLV. cum C. Licinio Geta, luſtrum fecerunt LXIII. Tum fornix Fabianus dictus eſt arcus iuxta regiam in ſacra via ab eo Cenſore conſtructus, ibique eius ſtatua poſita eſt. Huius filius fuit Q. Max. cui Eburnus ob candorem cognomen fuit, quem etiam pullum Iouis vocabant. Conſul fuit cum C. Licinio Geta anno DCXXXVII. Huic proditum eſt a Q. Pompeio Prætore Vrbano bonis interdictum fuiſſe. Superiores Maximi reip. Romanæ tempore fuerunt. Sub C. Cæſare Q. Fabius Q. F. Q. N. Conſul ſuffectus

Margin: IV. (beside "Filium amiſit…"), V. (beside "qui de"), VI. (beside "Sextus eſt"), VII. (beside "Allobrogicus"), VIII. (beside "Huius filius"), IX. (beside "Sub C. Cæſare")

fuit anno DCCVIII. qui tribus menſibus Conſul fuit vno, aut altero minus die. namque III. Kalend. Ian. mortuus eſt, cui ſe Caninius Rebilus in vnum
„ diem ſuffectus eſt. In quem pleraque Ciceronis ioca ſunt. Vigilantem
„ Conſulem fuiſſe, qui toto conſulatu ſuo ſomnum non ceperit. Antea Flamines
„ Diales habueramus, nunc habemus Conſulem. Dum ad gratulandum
x. feſtinarem, nox me oppreſſit. Atque alia id genus. Sub Auguſto Paullus
xi. Fabius Q. F. Q. N. Maximus Cos. fuit cum Q. Ælio Tuberone an. DCCXLII. & anno proximo Q. Fabius Q. F. Q. N. Maximus Africanus cum Iulo Antonio. Hos duos Fabios fratres fuiſſe veriſimile eſt. Maxumos veteres non Maximos dicebant. Primus C. Cæſar traditur optimum Maximum ſcripſiſſe. Maxſumos etiam ſcribere veteres ſolebant, quod vſus poſtea mutauit. Tres familias frequentiores Fabiorum peregimus Vibulanorum, Ambuſtorum, & Maximorum: minus frequentes facilius perſequemur. Dorſonum antiquiſſimus is eſt, qui capta vrbe ex Capitolio in collem Quirinalem ritu Gabino accinctus ad ſtatum ſacrificium Fabiorum acceſſit. & inde in Capitolium reuerſus eſt anno CCCLXIII. Is C. Fabius Dorſo appellatus eſt. Eius gentis duos tantum Conſulares inuenio M. Fabium, qui Cos. fuit anno CDVIII. cum Ser. Sulpicio Camerino: & C. Fabium illius fortaſſe filium, qui anno CDXXC. Cos. C. Claudio Canina iterum. Pictorum duos etiam conſulares legi. Alter eſt C. Fabius C. F. M. N. qui Cos. fuit cum Q. Ogulnio Gallo anno CDXXCIV. Hunc Q. Fabium appellat Plinius, eoque Cos. ait argentum ſignatum primo fuiſſe Romæ quincto anno ante primum bellum Punicum. Alter Caij frater N. Pictor, qui triennio poſt Cos. fuit cum D. Iunio Pera. triumphum egit bis III. Nonas Octob. de Saſſinatibus & Kal. Febr. de Sallentineis, Meſſapieiſque. Pictores hiſtoriarum ſcriptores referuntur Q. N. Ser. Græceque eas ſcripſiſſe conſtat. Seruius etiam, vt Iuriſperitus a Cicerone laudatur. Pingendi artem didiciſſe primum eius cognominis conſtat, eius opera a Plinio referuntur. Buteonis familia duos etiam habuit conſulares, quorum alter multis aliis honorum titulis ornatus fuit. Nam Dictator, Cenſor, & Magiſter equitum, & bis Princeps Senatus fuit. Numerius Fabius M. F. M. N. Buteo. Is Cos. fuit anno DVI. cum L. Cæcilio Metello II. Cenſor cum C. Aurelio Cotta poſt ſex annos. luſtrum fecerunt XXXIX. Magiſter equitum anno DXXIX. L. Metello collega Dictatore comitiorum cauſſa. Dictator ſine Magiſtro equitum ſenatus legendi cauſſa fuit poſt pugnam Cannenſem, quod nunquam amplius accidit anno DXXXVII. Princeps Senatus luſtro XLII. & XLIII. lectus eſt. Alter Buteo ſuperioris frater biennio poſt fratris conſulatum cum C. Atilio Bulbo Conſul fuit. Buteonis nomine accipitris genus ſignificari, a quo huic familiæ id cognomen hæſit, Plinius auctor eſt. Apud Appianum quoque legi Buteonem quemdam fratrem patruelem Africani minoris fuiſſe. Addam hoc loco Q. Fabium Q. F. Q. N. Labeonem, qui Prætor ex Creta naualem egit anno DLXIV. & poſt ſex annos Cos. fuit cum M. Claudio Marcello. Hunc ferunt arbitrum decepiſſe Nolanos, & Neapolitanos de finibus agrorum contendentes, & regem Antiochum bello victum. illorum enim agrum, de quo lis erat,

adiudicauit populo Rom. huius naues dimidias pollicitus ei ſe relicturum, ſecari iuſſit, vt dimidiatæ relinquerentur. Vnum etiam conſularem reperi, cognomine Licinum, cuius in ſuperioribus haberi ratio non potuit. Is eſt M. Fabius C. F. M. N. Licinus, qui Cos. fuit anno DVII. cum M'. Otacilio Craſſo II. Huius fortaſſe pater is eſt, quem paullo ante in Dorſonibus rettulimus, C. Fabius M. F. quem Eutropius antiquus, & faſti Græci Licinium appellant, alij Luſcinum. A licino Licinia familia dicta eſt. Veteris poëtæ carmen legi in Porcium Licinum.

Marmoreo in tumulo Licinus iacet, at Cato nullo,
Pompeius paruo: credimus eſſe deos?

Vetuſtiſſima memoria Fabiorum eſt, vt fabulam Herculis, & nymphæ negligamus, ſub Romulo apud Ouidium lib. II. Faſtorum.

Riſit, & indoluit Fabios potuiſſe Remumque
Vincere, Quinctilios non potuiſſe ſuos.

Hos Feſtus Lupercos Fabianos, & Quinctilianos videtur appellaſſe a Fabio, & Quinctilio præpoſitis. Alibi legi Fabium Celerem Centurionem Remum occidiſſe, quod muros vrbis tranſgredi auſus fuerit. Romulum Celeres quoſdam ſatellites habuiſſe notum eſt. Poſt mortem Augusti aliquot Fabij Conſules fuerunt, vnus tamen ſolus ex patriciis eſſe videtur Paullus Fabius Perſicus, qui Cos. fuit cum L. Vitellio patre A. Vitellij Imp. an. DCCLXXXVI. poſt reſurrectionem Chriſti Domini anno primo ſub Ti. Cæſare. Ceteri noui homines fuerunt, quos ordine temporum ſeruato referemus. C. Fabius Valens Cos. ſuffectus fuit cum A. Licinio Cæcina ex Kal. Sept. an. DCCCXXI. ſub Vitellio Imp. Fabius Poſtumus Cos. ſuf. ex Kalend. Iul. cum M. Cornelio Frontone II. anno DCCCXLIX. ſub Nerua Imp. L. Fabius Iuſtus cum C. Iulio Vrſo Seruilio Seruiano II. Cos. ſuf. ex Kal. Iul. an. CCCIↃLXIII. ſub Traiano Imp. Q. Fabius Catullinus cum M. Flauio Apro Cos. fuit anno DCCCXXCII. ſub Hadriano Imp. L. Fabius M. F. Gal. Cilo Septiminus Catinius Acilianus Lepidus Fulginianus bis Cos. fuit priori conſulatu cum Fl. Cl. Sulpiciano ex Kalend. Mart. anno DCCCCXLV. ſub Pertinace Imp. Iterum cum M. Annio Libone poſt XI. annos ſub Seuero, & Antonino, quo anno ludi ſæculares VIII. facti ſunt. Hic alios Magiſtratus obtinuit in titulis ſtatuarum enumeratos, Præfecturam vrbis, Legationes Auguſtales, pro Præfectis multarum prouinciarum, Præf. ærarij militaris, Procos. Prouinciæ Narbonenſis, X-Viratum Stlitibus iudicandis, ſodalit. Hadrian. atque alia munera. Ti. Fabius Titianus Cos. fuit cum Imp. Iulio Philippo an. DCCCCXCVII. Hoc nomine alij quattuor Coss. fuerunt. Fabius Iuſtus cum Fl. Magno Ianuario Cos. fuit an. CIↃLXXIX. ſub Conſtantino Imp. Alter Ti. Fabius Titianus Cos. fuit cum Feliciano Cos. anno CIↃXXCIIX. quo anno Conſtantinus Imp. mortuus eſt. Tertius Cos. cum Neratio Cereali anno CIↃCIX. ſub Conſtantio Iun. Imp. Quartus cum Q. Aurelio Auianio Symmacho anno vrbis CIↃCXLII. Chriſti CCCXCI. ſub Valentiniano Iun. Theodoſio, & Arcadio Impp. Quinctus Ti. Fabius Titianus Cos. fuit cum Imp. Leone III. Coſ. an. vrbis CIↃCCXVII. CHRISTI CCCCLXVI.

FVLVIA.

FVLVIA plebeia gens, ſed quæ non paucos habuit claros viros omni honorum genere ornatos; in tres familias cognominibus diſcretas diuiditur. Nam Curui, Pætini, & Nobiliores vnam, Centumali alteram, tertiam Flacci obtinent. Curuos duos, Pætinos tres, Nobiliores quattuor inuenio, ſed ſeptem tantum viri omnes fuerunt; quod duo bis numerantur; propterea quod alter, & Curuus, & Pætinus, alter & Pætinus, & Nobilior appellati ſint. Hi igitur ſeptem totidem conſulatus, cenſuram vnam, triumphos ſex, ouationem vnam, Magiſterium equitum item vnum aſſecuti ſunt. Centumali tres conſulatus totidem, Dictaturam vnam, triumphos duos obtinuerunt. Flacci ſeptem conſulatus decem, Cenſuras duas, Dictaturam, Magiſteria
I. equitum duo, triumphos ſex conſecuti ſunt. Primus L. Fuluius L. F. L. N. Curuus Cos. fuit anno CDXXXI. cum Q. Fabio Max. Rulliano. Ambo Conſules de Samnitibus triumpharunt. Curuus Quirinalibus, Fabius poſtridie, hoc eſt XII. Kal. Mart. Magiſter equitum fuit dictus a L. Aimilio Mamercino Priuernate II. Dictatore rei gerundæ cauſſa poſt ſex annos a conſulatu.
II. Huius filius, vel frater fuit M. Curuus Pætinus L. F. L. N. qui Cos. ſuffectus fuit Ti. Minucio Augurino in Magiſtratu occiſo; cuius collega L. Poſtumius Megellus erat. triumphum egit in conſulatu de Samnitibus III. Non. Octob. anno CDXLIIX. Pætini cognomen adoptionis indicium eſt a Pæteis, quod cognomen Æliorum fuit. Oculorum vitium ſignificat amantibus ſuaue,
III. quamobrem Venerem pætam dixere vt cæſiam Mineruam. Tertius eſt M. Pænus Cn. F. Cn. N. qui Cos. fuit cum T. Manlio Torquato, qui in magiſtratu mortuus eſt anno CCCCLIV. & triumphum egit de Samnitibus, Nequinatibuſq. Hunc ſuperioribus coniungere non poſſumus, niſi fingamus aliquem Lucium duos filios habuiſſe Lucium, & Cn. ex Lucio ſuperiores natos eſſe filios,
IV. aut nepotes, ex Cn. hunc nepotem. Quartus Ser. Pætinus Nobilior M. F. M. N. Cos. fuit cum M. Aimilio Paullo anno CDXCIIX. Ambo nauales egerunt triumphos de Coſſurenſibus, & Pœneis Fuluius XIII. Kalend. Feb.
V. Paullus XII. Kal. Feb. anno proximo Procos. Quinctus poſt hos conſulares, & triumphales ouationem ſupra triumphum, & conſulatum adiecit, vt iure nobilior ceteris diceretur, M. Fuluius M. F. Ser. N. Nobilior. In Prætura ouans ex Hiſpania reuerſus eſt anno DLXII. Conſul biennio poſt fuit cum Cn. Manlio Vulſone, & poſt biennium a Conſulatu triumphum egit X. Kal.
VI. Mart. de Ætoleis Ambracibus, & Cephalenia. Secutus eſt alter M. Nobilior M.F.M.N. ſuperioris, vt creditur filius, qui etiam poſt conſulatū triumphū egit. Conſul fuit cum Cn. Cornelio Dolabella Procos. triumphauit anno proximo de Liguribus, & Veleatibus XII. Kal. Sept. anno DXCV. Huius frater Q. Fuluius anno ſexcenteſimo primus Kal. Ian. conſulatum iniit cum T. Annio Luſco. Cenſor fuiſſe dicitur cum Q. Fabio Max. Seruiliano poſt XVII. annos luſtrumque feciſſe LVIII. Luſit aliquando in hoc nomine M. Cato Cenſorius, qui Paullo poſt conſulatum Q. Fuluij mortuus eſt; & eum de quo loquebatur,

non

non Nobiliorem dicendum eſſe affirmabat, ſed mobiliorē. Centumalus primus I.
Cn. Fuluius Cn. F. Cn. N. Maximus Coſ. fuit cum L. Scipione anno CDLV. anno
proximo poſt conſulatum M. Fuluij Cn. F. Cn. N. Paitini, qui videtur frater
eiuſdem fuiſſe. Hic etiam triumphum egit de Samnitibus, Etruſceiſque Idib.
Nouemb. Dictator fuit claui figendi cauſſa anno CDXC. vt Verrius hæc
omnia diligentiſſime in faſtis conſcripſit. Secutus eſt alter Cn. Centumalus II.
item Cn. F. Cn. N. ſuperioris, vt creditur, filius. Conſul fuit anno DXXIV.
cum L. Poſtumio Albino II. Anno proximo Procoſ. ex Illurieis naualem egit
X. Kal. Quinct. Tertius Cn. Centumalus Cn. F. Cn. N. Conſul fuit cum P.
Sulpicio Galba Maximo anno DXLII. Succeſſorque fuit Q. Fuluij Flacci quater III.
Conſulis, poſt eius tertium conſulatum. Cognominis huius origo mihi ignota
eſt. Legi in Pandectis Florentinis Centemmanum appellatum fuiſſe Appium
Claudium Cæcum. Ab eo nomine potuit hoc deduci, hoc eſt a centum
manibus. Litteram vero N. in L. mutari Mallij pro Manliis, gemelli pro
geminis exemplo ſunt. Flaccorum primus M. Fuluius Q. F. M. N. Coſ. fuit I.
anno primo belli Punici primi, poſt vrbem conditam anno CDXXCIX. cum
Ap. Claudio Caudice. triumphum egit de Vulſinienſibus Kalend. Nouemb.
Magiſter equitum fuit Ti. Coruncanio Dictatore comitiorum habendorum
cauſſa anno DVII. Huius filius Q. Fuluius M. F. Q. N. quater Coſ. Dictator, II.
Cenſor, Magiſter equitum, & triumphalis, Princeps huius gentis fuit.
Primum conſulatum egit nono poſt ſuperioris Dictaturam anno cum L.
Cornelio Lentulo Caudino in eo de Liguribus triumphauit. Cenſor fuit cum
T. Manlio Torquato anno DXXII. vitio tamen facti abdicarunt. Iterum Coſ.
fuit poſt ſeptem annos cum eodem Torquato II. etiam Coſ. Magiſter
equitum anno DXL. Claudio Centhone Dictatore Comitiorum cauſſa.
His comitiis Coſ. III. deſignatus eſt cum Ap. Claudio Pulchro. ab his Coſſ.
& vrbs obſidione Hannibalis liberata, & Capua capta eſt anno proximo, &
Flaccus inuito collega, & ſenatus litteris non lectis ſupplicium de ſenatoribus
Campanis ſumpſit. Dictator fuit comitiorum cauſſa biennio poſt conſulatum,
& his comitiis IV. Coſ. deſignatur cum Q. Fabio Max. Verrucoſſo V. Coſ.
Huius tres filij fuiſſe dicuntur Q. & L. Flacci, tertius datus eſt in adoptionem III.
L. Manlio Acidino. Duo fratres tum primum Conſules eodem anno fuerunt
Q. Fuluius Q. F. M. N. Flaccus & L. Manlius L. F. L. N. Acidinus
Fuluianus anno DLXXIV. Ambo etiam ante conſulatum triumpharunt,
Fuluius anno proximo Coſ. des. Proprætore ex Hiſpania citeriore, Fuluianus
anno DLXIIX. Proprætore ex eadem prouincia ouans rediit. Iterum etiam
in conſulatu Fuluius de Liguribus triumphauit. Cenſor poſtea fuit anno
DLXXIX. cum A. Poſtumio Albino. luſtrum fecerunt LI. in Cenſura L.
Fuluium fratrem Senatu mouit, quod Tribunus Militum cohortem ſuam
iniuſſu Conſulis domum dimiſerit. Quartus eſt Q. Flaccus Cn. F. M. N. IV.
qui Coſ. ſuffectus fuit in locum C. Calpurnij Piſonis vitrici ſui, qui in
magiſtratu mortuus eſt anno DLXXIII. Eorum collega fuit A. Poſtumius
Albinus. Huius mater Quarta Hoſtilia damnata eſt, quod virum ſuum
occidiſſe diceretur. Quinctus Ser. Flaccus, cuius parentes ignoramus Coſ. V.

fuit cum Q. Calpurnio Piſone anno DCXIIX. triumphum egit de Vardeis ex
VI. Illurico. Anno proximo C. Flaccus collega fuit P. Scipionis Africani
VII. Æmiliani in ſecundo conſulatu. Huius etiam parentes ignorantur. Septimus M. Flaccus M. F. Q. N. Cos. fuit anno DCXXIIX. cum M. Plautio Hupſæo. Procos. biennio poſt Liguribus Vocontieis, Salluuieiſque triumphauit. Hic cum M. Flacco Prætore filio, alioque prætextato anno DCXXXII. occiſus eſt cum C. Graccho Tr. Pl. a L. Opimio Cos. Horum ſoror fuit Fuluia L. Cæſaris conſularis, & Cenſorij vxor mater L. Cæſaris conſularis, & Iuliæ matris M. Antonij Triumuiri reip. conſtituendæ, cuius vxor Fuluia, quæ C. Curionis antea, & P. Clodij vxor fuerat, & ingentes ſpiritus in Ciceronem, & poſtea in Auguſtum generum oſtendit. Sub Domitiano Aug. C. Fuluius Valens annos natus XC. Cos. fuit cum C. Antiſtio Vetere, & in Magiſtratu mortuus eſt anno DCCCXLVIII. Sub Seu. & Anton. Impp. Fuluius Æmilianus Conſul fuit cum M. Nummio Ceionio Annio Albino anno DCCCCLIIX. Alter eiuſdem nominis vltimo Gordiani Imp. anno Cos. fuit cum Peregrino anno vrbis DCCCCXCVI. Iterum poſt quinquennium cum Vettio Aquilino ſub Philippis Augg. Tertius Æmilianus Cos. fuit poſt decennium a poſteriore conſulatu ſuperioris cum Pomponio Baſſo II. ſub Valeriano, & Gallieno Impp. Sub eodem Gallieno imperatores Auguſti appellati ſunt tres Fuluij, Macrianus, & Macrianus iunior, & Quietus, pater cum duobus filiis, ſed ab Aureoli duce Domitiano victi, occiſi ſunt: ex eorum genere ſuperſtites Alexandri Magni imagine in omnibus ornamentis, & poculis vtebantur. eam Macrianorum familiam appellat Trebellius Pollio, & ex ea Cornelium Macrum. Poſtea collega M. Cl. Taciti Imp. in ſecundo conſulatu fuit Fuluius Æmilianus an. CIↃXXIIX.

FVRIA.

FVRIA gens patricia, vel vnico M. Camillo illuſtris, aliis etiam clariſſimis viris exornata eſt. Diuiditur in Fuſorum, ſiue Medullinorum, vel Pacilorum, atque in Camillorum ſtirpes frequentiores. Phili quoque & Purpureones eiuſdem gentis ſunt, ſed pauci ex eis conſulares fuerunt. Hos omnes conſtat Fuſios primum dictos, vt Valeſos, & Auſelios, poſtea Fourios, ſiue Furios. Idque Fuſorum cognomen indicat a Fuſo Fuſios dictos, vt ab Iulo Iulios, a Clauſo Claudios, a Voleſio Valerios, a Coſſo Cornelios, a Licino Licinios, a Plauto Plautios, a Tullo Tullios. Luſit in hoc nomine eleganter Ouidius,

Cur ego non dicam Furia, te Furiam?

Sub Tullo Rege Sp. Fuſius pater patratus reperitur, Liuio teſte, quem ex hac familia fuiſſe certum eſt. Fuſos, & Medullinos, ac Pacilos XVII. inuenio obtinuiſſe Pontificatum Max. Conſulatus XI. Tribunatus Militares XVII. Cenſuras duas. Camillos quinque aſſecutos fuiſſe inuenio Dictaturas VII. Triumphos quinque conſulatus quinq. Tribunatus militares VI. Cenſuram. Interreges fuiſſe ter. Philos duos totidem conſulatus, Cenſuram, & triumphum

adeptos fuiſſe. Purpureonem vnum conſulatum, & triumphum conſecutum. Primus Sex. Furius Medullinus Fuſus Cos. fuit cum Sp. Nautio Rutilo anno I.
CCLXV. Secundus Sp. Furius Cos. fuit poſt annos VII. cum K. Fabio Vibulano II.
II. Tertius L. Furius Cos. fuit anno CCLXXIX. cum A. Manlio Vulſone. III.
luſtrum fecerunt VIII. ante primos Cenſores anno XLI. Quartus P. Furius IV.
biennio poſt Cos. fuit cum L. Pinario Mamercino Rufo. Quinctus Sp. Furius V.
Cos. fuit cum A. Poſtumio Albo Regillenſi anno CCXXCIX. Hoc eodem anno P. Fuſus conſularis frater Conſulis occiſus eſt. Iterum Cos. fuit ſuffectus Sex. Quinctilio Varo, qui in hoc Magiſtratu occiſus eſt anno CCC. eorum collega fuit P. Curiatius Trigeminus. Sextus Q. Furius Fuſus Pont. Max. poſt VI.
quadriennium a ſuperiore ſecundo conſulatu. Septimus Agrippa Medullinus VII.
Fuſus Cos. fuit cum T. Quinctio Capitolino Barbato III. anno CCCVII.
Octauus C. Fuſus Pacilus, qui poſt quinque annos Cos. fuit cum Manio VIII.
Papirio Craſſo. Cenſor ſeptennio poſt conſulatum cum M. Geganio Macerino. luſtrum fecerunt XII. Tribunus militum fuit anno CCCXXVII. Nonus L. IX.
Furius Sp. F. Medullinus Trib. Mil. fuit ſexennio ante ſuperiorem. Iterum creatus eſt anno proximo poſt ſuperioris Tribunatum. Tertio an. CCCXXXIII. X.
Decimus L. Furius L. F. Sp. N. Medullinus, ſic enim a Verrio appellatur. Cos. fuit anno CCCXL. cum M. Cornelio Coſſo. Iterum quadriennio poſt cum Cn. Cornelio Coſſo. Septies Tribunus Militum fuit, quod huic, & Ser. Cornelio Maluginenſi tantum conceſſum eſt. Primus Tribunatus fuit anno CCCXLVI. biennio poſt conſulatum. Secundus poſt alterum biennium. Tertius an. CCCLV. Quartus anno proximo. Quinctus biennio poſt quartum. Sextus anno ſequenti. Septimus an. CCCLXII. Vndecimus eſt C. Furius Pacilus, qui XI.
ſuperioris C. Fuſi Pacili filius, vt creditur, fuit. Conſulatum geſſit cum Q. Fabio Ambuſto anno CCCXLI. Huius nepos, aut pronepos fuit C. Furius XII.
C. F. C. N. Pacilus, qui Cos. fuit cum L. Cæcilio Metello anno DII. Tertius XIII.
decimus fuit M. Furius Fuſus Tribunus Mil. anno CCCL. Quartusdecimus XIV.
Sp. Furius L. F. Sp. N. Medullinus Lucij bis Cos. ſepties Tribuni frater, quamuis hunc etiam Lucium Liuius appellet: Tribunus Mil. fuit anno CCCLIII. Quinctusdecimus Agrippa Furius Medullinus Fuſus alterius Agrippæ, XV.
vt creditur filius Trib. Mil. fuit cum L. Medullino VII. anno CCCLXII. Sextusdecimus eſt L. Furius Sp. F. L. N. Medullinus, qui Trib. Mil. fuit anno XVI.
decimo poſt ſuperiorem cum M. Furio Camillo VI. Iterum decennio poſt Cenſor fuit cum M. Fabio Ambuſto an. CCCXC. luſtrum fecerunt viceſimum. Septimusdecimus Sp. Furius ſuperioris, vt creditur frater, Trib. Mil. fuit anno XVII.
CCCLXXV. Hanc numeroſam familiam nimis ieiune perſecuti ſumus; quod de ea hiſtorici non ſatis certa ſcripſerint; & Verrij Faſti in his tradendis deſiderentur. Camillorum primus ille Princeps Romanæ Reip. alter Romulus dictus, cuius parentes ignoramus, M. Furius Camillus, cuius honores maximi, I.
& frequentes fuerunt, nam quinquies Dictator, ſexies Tribunus militum fuit, quater triumphum duxit, ſemel Cenſor, ter Interrex factus eſt. Hic tamen tantus, ac talis vir numquam Conſul fuit, & exilium paſſus eſt. Sed ex relegatione maior ei gloria nata eſt, & patriam liberandi exilium ei

occaſio fuit. Primus ei Magiſtratus Cenſura fuit, quam cum M. Poſtumio Albino Regillenſi egit anno CCCL. luſtrum fecerunt XVI. Primus Tribunatus fuit biennio poſt, ſecundus tertio poſtea anno, anno proximo Interrex. Dictator anno CCCLVII. triumphum de Veientibus egit quadrigis albis. biennio poſt tertio Trib. Mil. fuit, & anno CCCLXI. Interrex II. Poſtea in exilium ob inuidiam miſſus capta a Gallis Senonib. vrbe anno CCCLXIII. reſtitutus, & abſens Dictator II. factus Gallos vicit, & de Ieis triumphauit. Anno proximo Dictator III. fuit rei gerundæ cauſſa III. triumphum egit de Volſceis, Æqueis, Etruſceiſque eodem anno Interrex III. fuit. Quartum Tribunatum egit anno CCCLXVII. quinctum poſt biennium, ſextum anno tertio poſt quinctum. Dictator IV. fuit anno CCCXXCV. rei gerundæ cauſſa; ſed magis, vt ſeditio de plebeio Conſule ſedaretur; tamen cum videret maioris ſeditionis occaſionem ex delectu, & edictis oriri, abdicauit. Anno proximo Dictator V. triumphum quartum egit de Galleis Senonibus. & Conſule plebeio accepto a patribus, ac Prætore vrbano, &
I. duobus Ædilibus Curulibus patriciis creatis, ſeditio ſedata eſt. Primus Prætor
II. vrbanus fuit Sp. Camillus M. F. Alter L. Camillus M. F. bis Dictator, ſemel Cos. fuit. Priorem dictaturam egit an. CDIII. comitiorum habendorum cauſſa, & eiſdem comitiis Cos. deſignatus eſt cum Ap. Claudio Craſſino Regillenſi. ambo patricij fuerunt. Iterum Dictator fuit quarto anno poſt
III. conſulatum rei gerundæ cauſſa. Tertius Camillus L. Furius Sp. F. M. N. Conſul fuit anno CDXV. cum C. Mainio. Triumphum egit de Pedaneis, & Tiburtibus IV. Kal. Octob. Iterum Cos. fuit anno CDXXVIII. cum D. Iunio
IV. Bruto Scæua. Quartus longo interuallo M. Furius P. F. P. N. Cos. fuit cum Sex. Nonio Quinctiliano anno DCCLX. ſub Auguſto. Suetonius etiam auctor eſt Ti. Claudium Cæſarem habuiſſe admodum adoleſcentem ſponſas duas Æmiliam Lepidam Auguſti proneptem, & Liuiam Medullinam Camillam e genere antiquo Camilli Dictatoris, quam ipſo die nuptiis deſtinato amiſit. Sed & ſub Ti. Cæſare Aug. M. Furius M. F. P. N. Camillus Scribonianus Cos. fuit ſuffectus ex Kal. Iul. anno DCCXXIIII. Nunc de Philis videndum eſt. Duos conſulares reperio eodem nomine vtrumque P. Furium Philum appellari. prior Cos. fuit anno DXXX. cum C. Flaminio. Hic Sp. F. M. N. a Verrio notatur. Triumphum egit in conſulatu de Galleis, & Liguribus IV. Idus Mart. Cenſor fuit poſt annos nouem cum M. Atilio Regulo, ſed in eo honore mortuus eſt, & Regulus abdicauit. Alter Philus Cos. fuit cum Sex. Atilio Serrano anno DCXVII. Hic laudatur, quod Q. Metellum, & Q. Pompeium conſulares inimicos ſuos in Prouinciam Hiſpaniam duxerit legatos inuitus, teſtes ſuarum actionum. Purpureo vnus L. Furius Sp. F. Sp. N. ante conſulatum triumphum egit Prætor de Galleis anno DLIII. quadriennio poſt Cos. fuit cum M. Claudio Marcello. Sub Imp. Claudio an. CIↃXXII. Conſulem inuenio Furium Orfitum cum Fl. Antiochiano. Idem Orfitus poſt triennium Præfectus vrbi fuit. quo anno Conſules fuerunt M. Cl. Tacitus, qui poſtea Imp. fuit, & M. Mæcius Memmius Furius Balburius Cæcilianus Placidus ſub Aureliano Imp. Poſt quadriennium Furius Lupus Præf. vrbi, &

Cos. collega Imp. Probi in ſecundo conſulatu. Præfecturam tenuit eo, & aliis duobus poſtea annis. Ante ſuperiores Conſules Furia Sabina Tranquillina Auguſta vxor Gordiani III. Imp. fuit.

IVLIA.

Ivlia Patricia maiorum gentium in duas præcipuas ſtirpes ſcinditur Iulorum, & Cæſarum. Alia cognomina minus frequentia vſurparunt, vt Mento, & Libo, de quibus poſterius dicemus. Iulorum familia duodecim maioribus honoribus vſos habuit, qui Decemviratum legibus ſcribendis, Dictaturam, Cenſuram, Magiſterium equitum, Conſulatus VII. Tribunatus Militares conſulari poteſtate IX. conſecuti ſunt. Cæſares ante Auguſtum quinque, Dictaturas quattuor, Cenſuram, triumphos ſex, Pontificatum Max. Conſulatus IX. obtinuerunt. Mento vnus Conſul. Libo alter conſularis, & triumphalis. Iulorum primus C. Iulius L. F. Cos. fuit anno CCLXIV. cum I.
P. Pinario Mamercino Rufo. Huius filius fuiſſe creditur C. Iulus C. F. L. N. II.
qui Cos. fuit poſt ſeptem annos cum Q. Fabio Vibulano II. Decemvir legibus
ſcribendis fuit an. CCCII. legatus occiſus eſt anno deinde XIII. Tertius fuit III.
Vopiſcus Iulius Iulus, qui Cos. fuit an. CCXXC. cum L. Aimilio Mamercino
III. Hic fortaſſe ſuperioris frater fuit. Quartus C. Iulius. Cos. fuit cum M. IV.
Geganio Macerino an. CCCVI. Hic fortaſſe X. viri filius fuit II. Cos. fuit poſt annos XII. cum L. Verginio Tricoſto. qui anno proximo refecti fuiſſe
dicuntur, quod alij hiſtorici negant. Quinctus L. Iulus, qui Vopiſci filius V.
fuiſſe creditur, Tribunus Militum fuit cum Mamerco Aimilio, & L. Quinctio Cincinnato anno CCCXV. Magiſter equitum fuit A. Poſtumio Tuberto
Dictatore rei gerundæ cauſſa. Anno proximo Cos. cum L. Papirio Craſſo II. VI.
an. CCCXXIII. Poſt hunc Sex. Iulius poſt ſex annos Trib. Militum fuit.
Huius parentes ignoramus. Septimus C. Iulus L. F. Vopiſci N. Trib. Mil. VII.
fuit an. CCCXLV. & triennio poſt iterum. Cenſor mortuus eſt an. CCCLXI. eique ſuffectus eſt M. Cornelius Maluginenſis, qui cum L. Papirio Curſore luſtrum fecerunt XVII. eo luſtro vrbs a Gallis capta eſt. Religio fuit deinceps aliquem in demortui locum ſufficere; quaſi vero aliquid ad eam rem perti-
nuiſſet. Huius frater fuit L. Iulius, qui Tribunatum Militum geſſit an. CCCLII. VIII.
& iterum poſt quadriennium. Ante hunc alter L. Iulius eundem Magiſtratum IX.
geſſit biennio ante priorem ſuperioris Tribunatum. eius parentes ignoramus.
Decimus eodem nomine appellatus eſt. Tribunus Militum fuit an. CCCLXV. X.
Vndecimus eiuſdem nominis ſimilem Tribunatum geſſit anno CCCLXXIV. XI.
Duodecimus C. Iulius Iulus Dictator rei gerundæ cauſſa in caſtris dictus an. XII.
CCCCI. Caesarvm primus Sex. Iulius Sex. F. L. N. Cos. fuit an. DXCVI. I.
cum L. Aurelio Oreſte. Poſt hunc alter Sex. Cæſar C. F. Sex. N. a Verrio II.
appellatur. Cos. fuit an. DCLXII. cum L. Marcio Philippo. Eius ſucceſſor III.
L. Cæſar L. F. Sex. N. ſuperioris frater patruelis cum P. Rutilio Lupo anno primo belli Marſici Conſul fuit. Ab eo lex Iulia appellata eſt, qua ciuitas data fuit ſociis, qui in officio manſerunt, aut qui cito redierunt. Cenſor fuit anno proximo poſt conſulatum cum P. Licinio Craſſo, luſtrum non fecerunt.

biennio poſt occiſus eſt cum fratre C. Cæſare Strabone, qui Ædilis Curulis fuit, Quæſtor, Trib. Mil. bis, X-vir agris dandis, ad tribuendis, iudicandis, & Pontifex. Horum mater fuit Popillia, quam mortuam laudauit publice Q. Lutatius Catulus maior, horum frater vterinus, eique mulieri tum primum is honos datus eſt, qui antea tantum viris haberi ſolebat. Vxor L. Cæſaris Fuluia M. Fuluij Flacci viri conſularis filia, qui cum C. Graccho occiſus eſt

IV. a L. Opimio Cos. Huius filius L. Cæſar Cos. fuit cum C. Marcio Figulo anno DCXXCIX. cuius ſoror Iulia ex M. Antonio Marci oratoris filio MARCUM Antonium Triumvirum, & Caium, & Lucium Antonios ſuſcepit, poſtea P. Cornelio Lentulo Suræ Conſulari nupſit, qui in coniuratione Catilinæ Cicerone Cos. occiſus eſt, anno proximo poſt L. Cæſaris conſulatum. Hic ſemper optimarum partium fuit, nulla propinquitatis C. Cæſaris, vel M. Antonij habita ratione. Qua de cauſſa proſcriptus eſt a Triumviris, conſeruatus a ſorore inuito filio eius Antonio. Huius filius fuit alter L. Cæſar, qui

V. cum mandatis de pace miſſus eſt ad Cæſarem initio belli ciuilis. Sequitur C. Iulius C. F. C. N. Cæſar, cuius pater Prætor repentino mortuus eſt anno DCLXIX. Auia paterna fuit Marcia Marcij Regis filia. Amita Iulia C. Marij ſepties Cos. vxor, quam mortuam laudauit. In ea oratione dixit Iulios a Venere & Ænea; Marcios a Numa Rege ortos. Mater ei fuit Aurelia, quæ eum Pontificem Max. vidit, & neſcio, an Cos. Initium Pontificatus fuit idem ille annus coniurationis Catilinæ, in qua conſenſiſſe inſimulatus eſt. Quadriennio poſt Cos. fuit cum M. Calpurnio Bibulo an. DCXCIV. Omnia ſolus per vim, & populum egit. L. Calpurnij Piſonis ſucceſſoris in conſulatu filiam duxit, Pompeia repudiata, ob P. Clodij Pulchri amorem, cum in Bonæ deæ ſacris domi ſuæ Aurelia mater reperit Clodium veſte muliebri indutum, Pompeia L. Sullæ Felicis neptis fuit, Q. Pompeio Rufo, & Cornelia nata. Habuerat ante hanc vxorem Corneliam L. Cinnæ quater Cos. filiam, ex qua Iuliam ſuſceperat Cn. Pompeij Magni vxorem. Ante Corneliam Coſſutia Equitis Romani filia Cæſaris ſponſa fuit. Poſt conſulatum decem annos Gallias tenuit, poſtea cum exercitu aduerſus Cn. Pompeium & Conſules Romam venit. Dictator a M. Lepido Prætore vrbano dictus eſt an. DCCIV. Iterum Cos. anno proximo cum P. Seruilio Vatia Iſaurico. quo anno victo Pompeio II. Dictator reip. conſtituendæ, M. Antonium Mag. Eq. dixit. III. Cos. cum M. Aimilio Lepido an. DCCVII. fuit. & III. Dictator, anno proximo Cos. IV. ſine collega, cenſum vicatim egit. Eodem anno IV. Dictaturam iniit, quæ ei poſtea perpetua conceſſa eſt. In tertio conſulatu quater triumphum egit, primum de Galleis & Germaneis, ſecundum de Pharnace Ponti Rege ex Aſia, Tertium ex Ægypto de Rege Ptolemæo, Quartum de Iuba Mauretaniæ Rege ex Africa. In quarto conſulatu quinctum egit ex Hiſpania. Anno DCCIX. Dictator IV. vel potius perpetuus, Conſul V. occiſus eſt Eidibus Martiis. Eius collega fuit M. Antonius. In hac quarta Dictatura ouans ex monte Albano VII. Kalend. Febr. reuerſus eſt. Sororem habuit Iuliam nuptam M. Attio Balbo viro Prætorio, ex quo Attiam peperit. Attia C. Octauio C. F. C. N. C. Pron. nupta eſt, poſtea L. Marcio

Philippo. C. Octauius Prætor fuit, & Procos. prouinciam Macedoniam rexit, in qua Imperator appellatus eſt. ex priore vxore Ancharia Octauiam maiorem, ex Attia Octauiam minorem, & C. Octauium, quem heredem C. Cæſar teſtamento reliquit. Quamobrem C. Iulius C. F. Cæſar appellatus eſt, quem etiam iure Octauianum aliqui vocant. Poſt Cæſares quinque de Mentone, & Libone agere polliciti ſumus. Cn. Iulius Mento Conſul fuit anno CCCXXII. cum T. Quinctio Penno Cincinnato L. Iulius L. F. L. N. Libo cum M. Atilio Regulo anno CCCCXXCVI. & triumphum egit de Sallentineis VIII. Kal. Febr. cum M. Regulo collega. Sine cognomine antiquiſſima mentio eſt Proculi Iulij Senatoris, qui Romulo a Senatoribus, vt creditur, occiſo iurauit ſe eum vidiſſe poſtea mandantem patribus, & populo, vt Quirinum appellarent, ſeque vt deum colerent. Iulios etiam plebeios fuiſſe video, ex quibus Tribuni plebis fuerunt Ap. Iulius an. CCCIV. C. Iulius an. CCCXXX. L. Iulium Annalem, qui proſcriptus eſt a Triumviris, & Q. Iulium Candidum, qui patrem proſcriptum prodidit, plebeios fuiſſe exiſtimo. De Sexto Annali teſte producto in reum, quem Cicero defendebat, notus eſt iocus; cum enim læſiſſet reum, & accuſator, dic aliquid M. Tulli ſi potes, de Sexto Annali; tum Cicero verſum ex ſexto Annali Ennij recitauit,

Qui potis ingentes cauſſas euoluere belli.

Primus ex his cognomen ex lege Iulia Annali, quam pertulit, inuenit. Sunt qui putent Annales non Iulios ſed Villios fuiſſe, legemque Villiam non Iuliam appellandam. Hæc de Iuliis ante Auguſtum. a quo, & a maiori auunculo C. Cæſare hæc familia ſuper alias omnes excelluit. Nam, vt verum fateamur, libertatis tempore non a patriciis ſolum, Valeriis, Corneliis, Fabiis, Æmiliis, ſed etiam a plebeiis Cæciliis, & Fuluiis, perſonarum, & honorum dignitate Iulia familia victa eſt. A Cæſare, & Auguſto menſes duo, qui antea Quinctilis, & Sextilis dicebantur; Iulius, & Auguſtus appellati ſunt. Ab eiſdem omnes Imperatores Cæſares, & Auguſti dicti ſunt. Inter diuos falſos hi relati ſunt, Diuus Iulius, Diuus Auguſtus, Diua Auguſta, quæ Iulia poſt mortem Auguſti appellata eſt, vt ex parte heres. Diua Druſilla C. Cæſaris Caligulæ ſoror. Diua Iulia Diui Titi filia. Diua Iulia Auguſta Seueri Imp. vxor. Diua Iulia Mæſa Elagabali, & Alexandri auia materna. Diua Iulia Mamæa Alex. Imp. mater. Diuus Philippus ſenior. Diuus Philippus iunior, & quæ vere Diua dicta eſt, Fl. Iulia Helena, quam Sanctam Helenam dicimus, & veneramur. Ex hac familia præter ſupradictos Imperatores & Auguſtas fuerunt: Ti. Iulius Cæſar Auguſti Cæſaris filius adoptiuus, C. Iulius Cæſar Germanici filius Ti. N. Auguſti pronepos, Agrippina Auguſta eiuſdem Germanici filia Ti. Claudij Imp. vxor mater Neronis Imp. Iulia Sœmias Auguſta mater Elagabali Imp. Iulia Aquilia Seuera Auguſta vxor eiuſdem Imp. Iulia Paula Auguſta, cuius cognationem ignoramus. Maximinus Imp. & C. Iulius Verus Maximus Cæſar eius filius. C. Iulius Æmilianus Imp. & Q. Iulius Gallieni Imp. filius. Fl. Iulius Criſpus Cæſar Conſtantini max. filius, & Fl. Iulius Conſtantius iun. Imp. Ex tanta gloria iterum in obſcuras tenebras deciderunt: & vix fumi prætereuntis vmbra quaſi in ſomnis viſa ſit, leuem quandam ſui memoriam reliquit.

Nunc de Auguſto, & eius liberis videamus; poſtea de iis, qui ſub eo, & ceteris conſulatus geſſerunt. C. Octauius, ante adoptionem Magiſter equitum deſignatus fuit in locum M. Lepidi, C. Cæſare IV. Dictatore anno DCCIX. poſt adoptionem Cos. ſuffectus anno proximo, & III-vir Reip. conſtituendæ cum M. Aimilio Lepido, & M. Antonio ex ante diem v. Kal. Decemb. ad pridie Kal. Ian. ſextas. II. Triumvir in alterum quinquennium cum eiſdem fuit, ſed Lepidum abdicare coëgit, M. Antonium hoſtem Reip. declarauit, & vicit. terdecies Cos. fuit, duas ouationes, tres triumphos egit, Tribuniciam poteſtatem XXXVII. accepit, Imperator XXI. appellatus eſt, Pontifex Max. fuit mortuo M. Lepido anno DCCXL. Poſt Actiacam victoriam, quæ DCCXXII. anno vrbis accidit, ſolus imperium tenuit, optimuſque Imperator fuit ad annum DCCLXVI. quo mortuus eſt. Priores XII. annos tyranni inſtar egit. Sponſas habuit duas Seruiliam P. Iſaurici filiam, hanc reliquit, vt priuignam M. Antonij duceret, Claudiam Fuluiæ ex P. Clodio Pulchro filiam: Sed eam intactam dimiſit mores ſocrus exoſus. Mox Scriboniam L. Libonis ſoceri Sex. Pompei Magni ſororem, quæ duobus antea conſularibus nupſerat, & ex altero mater erat, duxit. Cum hac etiam diuortium fecit. Tandem Liuiam Druſillam, quæ poſtea Liuia Auguſta dicta eſt, prægnantem ex Ti. Nerone duxit. quæ poſt tres menſes Neronem Claudium Druſum Imperatoris Ti. Claudij patrem peperit. Ex Scribonia Iuliam ſuſceperat, quæ prius M. Marcello Octauiæ ſororis Auguſti filio, eoque mortuo M. Agrippæ nupſit, qui tunc Marcellam eiuſdem Octauiæ filiam habebat in matrimonio, & ex ea liberos: ſed eam repudiatam Octauia Antonio M. F. collocauit. Agrippa mortuo Iulia Ti. Claudio Neroni priuigno Auguſti nupſit, qui vxorem prægnantem, & ex qua Druſum filium habebat, dimittere coactus eſt. Ea autem erat Agrippina M. Agrippæ, de quo diximus filia ex Cæcilia Attica Q. Cæcilij Attici Pomponiani, & Piliæ filia: quæ poſt diuortium abortum fecit; & nupſit C. Aſinio Gallo Pollionis F. qui Salonini ex eadem pater fuit. Nepotes Auguſti ex M. Vipſanio Agrippa, & Iulia filia fuerunt tres Caius, Lucius, & Agrippa Poſtumus: neptes duæ Iulia, & Agrippina. Caium, & Lucium adoptauit emptos per æs, & libram a M. Agrippa patre. Ita ex Vipſaniis Iulij facti ſunt. Iuliam duxit L. Paullus Cenſoris filius, ex his Æmilia Lepida nata eſt Ti. Claudij Imp. ſponſa, poſtea repudiata, quod parentes Auguſtum offenderant, Agrippinam duxit Germanicus Neronis Druſi, de quo diximus, & Antoniæ minoris filius. Erat autem Antonia M. Antonij Triumviri, & Octauiæ maioris minoris ſororis Auguſti, de qua diximus, filia. C. & L. Cæſares Pontifices, Conſules deſignati, quamuis aliqui Caium Cos. fuiſſe tradiderint, & Principes iuuentutis mortui ſunt, Caius in Lycia, Lucius Maſſiliæ. Tunc Agrippam Poſtumum tertium nepotem, quem mox abdicauit, & Tiberium Neronem priuignum in foro per legem Curiatam adoptauit. Sic Nero ex Claudia familia in Iuliam venit prænomine retento. Ti. Iulius Auguſti F. Cæſar appellatus eſt. Duas Iulias filiam, & neptem Auguſtus relegauit. natum ex nepte filium ali agnoſcique vetuit. A. Tiberio Cæſ. Germanicus fratris filius adoptatus eſt, ita is quoque ex

Claudio

Claudio Iulius effectus eſt. Ti. Cæſar viuo Auguſto patre adoptiuo Tribuniciam poteſtatem xvi. accepit, Pontifex, & bis Conſul fuit, Imperator vii. appellatus eſt. Poſt mortem Pontifex Max. conſulatum ter amplius accepit, Tribunic. poteſt. ad xxxviii. auxit, Imperator octauum appellatus eſt: triumphos duos egit, ouationem vnam, triumphalia ornamenta bis conſecutus eſt. Vxores duas habuit, quas paullo ante retulimus, Agrippinam, ex qua Druſum ſuſcepit, & Iuliam Auguſti filiam; ex hac nullos liberos habuit. Druſus Liuillam ſiue Liuiam duxit Neronis Claudij Druſi, & Antoniæ minoris filiam Ti. Claudij Auguſti, & Germanici Cæſaris ſororem, quæ ei Tiberium & alios peperit. Sed a Seiano adultero perſuaſa virum veneno ſuſtulit. Tiberium Druſi filium C. Cæſar Imperator necari iuſſit. Germanicus Cæſar Ti. Cæſaris adoptiuus filius ex Agrippina Iuliæ filia, Auguſti vero nepte, vt antea dictum eſt, nouem liberos procreauit. ex quibus tres infantes perierunt: tres mares Nero, Druſus, & Caius, quem Caligulam dicebant; tres feminæ fuerunt Agrippina, Liuilla, Druſilla, pro Liuilla alij Iuliam ſcribunt, quod ipſum denariis, & aſſibus C. Cæſaris confirmatur. Agrippinam duxit Cn. Domitius Antoniæ maioris filius Ahenobarbus, quæ ei Neronem peperit Imp. & poſtea Ti. Claudio Auguſto patruo nupſit, Nerone filio adoptato, a quo poſtea occiſa eſt. Iulia M. Vinicio, Druſilla L. Caſſio Longino ſiue M. Lepido nupſit. Has tres ſorores dicitur Caligula vitiaſſe, Druſillam in diuos retuliſſe, duas alias relegaſſe. Agrippinam Germanici vxorem, & duos filios Neronem, & Druſum Tiberius Cæſar Imp. variis criminibus excogitatis mori coegit. Ipſum Germanicum per Cn. Piſonem ſuſtuliſſe creditum eſt. Piſo damnatus pœnas dedit. Caius ſucceſſor Tiberij, cuius mortem acceleraſſe dicitur, eius crudelitatis heres, quadriennium fere in imperio debacchatus eſt. Pontifex Max. Cos. iv. Imp. ii. Trib. poteſt. iv. & triumphalis occiſus eſt. Vxores habuit ante imperium Iuniam Claudillam M. Silani filiam, poſtea Liuiam Oreſtillam C. Piſonis, Lolliam Paulinam C. Memmij vxores abreptas, & mox dimiſſas; & Cæſoniam impudicam trium filiarum matrem duxit, ex qua filiam procreauit Iuliam Druſillam. Sed hanc cum matre percuſſores Caligulæ occiderunt. Hic finis Cæſarum fuit. Conſules ſub Auguſto tantum reperio Iulios ipſum Auguſtum, & Ti. Cæſarem, de quibus antea diximus, & Caium, ac Lucium M. Agrippæ filios, nepotes Auguſti, quos a patre emptos adoptauit. Ex quibus C. Iulius Aug. F. Cæſar Cos. deſignatus fuit, ſed non iniit anno dccxlvii. Conſul vero fuit anno dccliii. cum L. Æmilio Paullo. L. Iulius Aug. F. Cæſar ſuperioris frater Cos. deſignatus eſt anno dccxlix. ſed non iniit. Tertius poſt hos Germanicus Cæſar fuit, cuius pater naturalis Nero Claudius Druſus fuit, adoptiuus Ti. Iulius Cæſar. hic Conſul fuit anno dcclxiv. cum C. Fonteio Capitone. triumphum egit Procos. de Cheruſceis, Catteis, Angriuarieiſque Germaneis. vii. Kal. Iul. anno dcclxix. Iterum ſub Tiberio patre, eiuſdem in tertio conſulatu collega fuit anno proximo, ſed aut non iniit, aut ſtatim abdicauit. Sub eodem Tiberio Druſus Cæſar filius non adoptiuus ſed naturalis Cos. fuit cum C. Norbano, anno dcclxvii.

Iterum Cos. poſt ſex annos cum ipſo Ti. Auguſto IV. & anno proximo Tribuniciam poteſtatem in decennium accepit: ſed poſt annum mortuus eſt. Hic etiam Germanicus appellatus eſt, & ouans Procos. de Germaneis rediit anno DCCLXXIIII. Poſt Caligulam ante Maximinum Imp. hos Conſules inuenio. Primus eſt C. Iulius Atticus Veſtinus, qui Cos. occiſus eſt anno DCCCXVII. ſub Nerone Imp. Eius collega fuit P. Silius Nerua, quem etiam Silianum appellarunt. Sub eodem Imp. C. Iulius Rufus Cos. fuit biennio poſt cum C. Fonteio Capitone. Eiſdem Coss. C. Iulius Vindex Proprætore in Galliis primus aduerſus Neronem cum exercitu ſe in libertatem vindicauit, Galbamque vt idem faceret, exhortatus eſt. Sub Veſpaſiano Imp. Cn. Iulius Agricola Iulij Græcini eruditi viri filius Cos. ſuffectus fuit cum Domitiano Veſp. Aug. F. VI. anno DCCCXXIX. Huius Agricolæ vitam conſcripſit P. Cornelius Tacitus eius gener. ortum fuiſſe ait ex Foroiulienſi Colonia, patre, quem diximus Græcino, quem C. Cæſar Caligula, quod noluerit M. Silanum accuſare, interfecit. matre Iulia Procilla, vtroque auo equite procuratore Cæſaris. vxor eius Domitia Decidiana. allectus eſt a Veſpaſiano inter patricios. poſt conſulatum filia collocata in Britanniam miſſus. ex victoria Britannica ornamenta ei triumphalia a Domitiano Imp. decreta, & ſtatua. ſucceſſore miſſo, annos natus ſex & quinquaginta Romæ mortuus eſt. ſub eodem Domitiano C. Antius, Iulius Quadratus Cos. fuit ex Kalend. Iuliis cum M. Lollio Paulino Valerio Aſiatico Saturnino anno DCCCXLV. Sequitur Iulius Ferox Cos. ſuffectus cum Acutio Nerua anno DCCCLII. ſub Traiano Imp. Quincto deinde anno Ti. Iulius Candidus II. & A. Iulius Quadratus II. Coss. fuerunt. quorum conſulatus priores conſcripti non ſunt. Quamobrem ſuffectos fuiſſe credidimus. Biennio poſt C. Iulius Seruilius Vrſus Seruianus Coſ. fuit ex Kal. Iuliis cum Surano II. Iterum anno DCCCLXIII. etiam ex Kal. Iuliis cum L. Fabio Iuſto ſub eodem Traiano. Tertium Cos. fuit ſub Hadriano, cuius ſororem duxerat, & ab eo XC. annos natus occiſus eſt. Hic etiam appellatur Ser. Seruianus. eius collega fuit C. Vibius Iuuentius Verus. Conſules fuerunt an. DCCCXCVI. Sub Traiano C. Iulius Africanus bis Cos. fuit. Priori conſulatu an. DCCCLX. Cos. ſuffectus cum Clodio Criſpino ex Kal. Iul. in ſecundo, collega fuit Imp. Traiani in ſexto conſulatu poſt quadriennium. Secutus eſt Ti. Iulius Alexander. qui Cos. ſuffectus fuit ex Kal. Iul. anno DCCCLXIX. cum M. Erucio Claro, ſub eodem Trajano. Sub Hadriano Q. Iulius Balbus Cos. fuit cum P. Iuuentio Celſo II. an. DCCCLXXXI. Et ſexto poſtea anno. L. Iulius L. F. Atticus Acilianus cum Pompeiano Luperco. Sub Pio Imp. C. Iulius Seuerus, & M. Rufinus Sabinianus Coss. fuerunt an. DCCCCVII. Sub Marco & L. Vero Impp. C. Iulius Macrinus Cos. fuit cum L. Cornelio Celſo poſt annos IX. Et ſub Imp. Pertinace C. Iulius Fructus Clarus Cos. fuit cum Q. Soſio Falcone an. DCCCCXLV. Sub Alexandro Imp. Iulius Lupus Cos. fuit cum Maximo anno DCCCCXXCIV. Maximinus Imp. patre Micea matre Ababa altero Gotho, altera Alana in Thracia natus a magnitudine corporis appellatus eſſe videtur. Cuius filius C. Iulius Verus Maximus appellatus eſt. barbaris feriſque moribus pater biennio Imp. fuit P. M. Trib. Pot. III. Cos. II. Pater patriæ

occiſus eſt cum filio Cæſare. Sub eodem Imp. Cos. fuit C. Iulius Africanus collega eiuſdem Imp. an. DCCCCXXCIIX. & anno proximo Cos. ſuffectus ex Kal. Mai. Iulius Silanus cum Meſſio Gallicano. Sub Gordiano C. Iulius Arrianus, & Æmilius Papus Coss. fuerunt anno DCCCCXCV. Imp. M. Iulius Philippus Pont. Max. Trib. Pot. VI. Cos. III. cum filio eiuſdem nominis Pontifice Trib. Pot. III. Cos. II. Procos. occiſi ſunt. C. Iulius Æmilianus Imp. Pont. Max. Trib. Pot. Cos. occiſus eſt. Q. Iulius Licinius Saloninus Gallienus Cæſar Gallieni Imp. filius cum patre occiſus eſt. Iam vero C. Iulius Capitolinus collega fuit in conſulatu ſecundo L. Domitio Aureliano Imp. anno CIƆXXVI Fl. Iulius Criſpus Cæſar Imp. Conſtantini Maximi nothus filius poſt triennium Cos. fuit cum Imp. C. Aurelio Licinio V. & II. cum Fl. Valerio Conſtantino iuniore II. an. CIƆLXXII. ſub Conſtantino Max. & eodem Licinio Imp. Fl. Iulius Conſtantius Imp. annis XXV. imperauit Cos. fuit decies. Triumphum egit Cos. VI. de Magnentio, Decentioque tyranneis ex Gallia pridie Kal. Mai. anno CIƆCVI. Conſulem poſtea vnum tantum inuenio Iulium Felicem Valentinianum, qui cum Sex. Aurelio Victore Cos. fuit anno CIƆCXX. ſub Valentiniano, Valente & Gratiano Auguſtis.

IVNIA.

IVNIA duplex & patricia, & plebeia, vtraque nobilis fuit. Sed illa vnico viro Conſulari præfulſit L. Iunio Bruto, qui & primus Conſul fuit, & autor libertatis populi Romani: plebeia in plures ſtirpes propagata XIII. Conſulares viros ante Auguſti imperium habuit. Eorum cognomina hæc ſunt: Bruti, Scæuæ, Bubulci, Peræ, Pulli, Silani, & Penni. Lucius ille Brutus M. Iunij & Tarquiniæ ſororis L. Tarquinij cognomento Superbi Regis filius, ſtultitiæ ſimulatione, ne a Rege ſuperbo, vt Marcus frater, & pater occideretur, Bruti cognomen accepit. Sed poſt illud Sex. Tarquinij facinus, qui Lucretiæ Sp. Tricipitini filiæ, L. Tarquinij Collatini vxori vim intulit, ſapientiam detexit, & primus Regibus exigendis autor fuit. Quamuis iam tum Tribunus Celerum eſſet, quo magiſtratu vſus eſt in abrogando Regibus imperio. Primus Conſul fuit ſiue Prætor; ſic enim a præeundo dicebatur; cum eodem L. Collatino, quem tamen abdicare ſe magiſtratu coegit, & in exilium abire extra vrbem propter odioſum Tarquinij nomen; collega ſubrogato P. Valerio Publicola, quem tunc Valeſium Popliculam dicebant, in prœlio occiſus eſt. Aruntem enim Superbi filium ita inuaſit, vt ambo ictu contrario ceciderint, vt Cicero in Tuſcul. autor eſt. Id prœlium fuit pridie Kalendas Martias anno poſt vrbem conditam ducenteſimo quadrageſimo quarto. Eum mortuum matronæ annum luxere. Vxor eius fuit Vitellia, ſiue Gellia, cuius fratres Marcum, & Manium, cum duobus filiis ſuis Tito, & Tiberio, & fratris filiis, vt quibuſdam placet, atque ſororis Collatini Lucio & Marco filiis, & Aquilliis ob coniurationem interfecit. ſtatua ei decreta eſt, atque ſtatuta in Capitolio ex ære inter regum ſtatuas gladium diſtringentis habitu, vt Plutarchus affirmat. Idem Poſſidonium refert aſſerere ex tribus filiis duos ſecuri interfici iuſſiſſe,

tertium infantem relictum, a quo familia Brutorum deducta ſit. Alios ex Bruti diſpenſatore ortos fuiſſe dixiſſe, eos præſertim qui M. Bruti odio, qui C. Cæſarem cum D. Bruto, & C. Caſſio, ac ceteris coniuratis interemit, flagrarent. Hanc vero patriciam L. Bruti familiam Dionyſius a quodam Æneæ ſocio progenitam ſcribit. Plebeius vetuſtiſſimus L. Iunius C. F. Paterculus, qui primus Tribunus plebis fuit cum L. Sicinio L. F. Veluto anno XVI. poſt Reges exactos, hoc eſt anno CCLIX. vt ex Aſconio in Corneliana didicimus. quamvis pro L. Iunio Lauinium quidam ſcripſere; hos C. Licinium, L. Albinum Liuius appellat: Dionyſius L. Iunium Brutum, & C. Sicinium Bellutum, & his tres alios additos C. & P. Licinium, & C. Iuſillium Rhiuganum. Brutum illum Tribunum appellatum fuiſſe, non quod ſanguine cum L. Iunio Conſule coniungeretur; ſed quod eo nomine ab amicis laudaretur, ab inimicis irrideretur. Poſt hunc Q. Iunius Tribunus Plebis fuit anno CCCXIV. Conſul primus D. Iunius Brutus Scæua cum L. Furio Camillo, iterum an. CCCCXXIIX. fuerat Magiſter Equitum ante quattuordecim annos Q. Publilio Philoni Dictatori rei gerundæ cauſſa. Alter eodem nomine D. Brutus Scæua Conſul fuit anno CCCCLXI. cum Q. Fabio Maximo Gurgite. Hunc ſuperioris filium fuiſſe probabile eſt. Vtrumque Sæuam non Scæuam quidam appellant, ſed plerique omnes Scæuam, quod placet; cum videam Scæuolam ſiue Scæuulam cognomen Muciorum ab hoc deductum; ſiue a ſiniſtra, ſiue ab omine, aut augurio bono. Siniſtra enim auſpicia Romanis meliora fuere; vtpote quæ ſinerent rem fieri, ſic enim interpretabantur. Ea Græce σκαιὰ dicuntur. Sic Feſtus ait Scæuam & in bona, & in mala reuocari. Et Varro lib. VI. de lingua Latina pueris refert turpiculam rem ſuſpendi in collo, ne quid obſit bonæ Scæuæ cauſſa, vnde Scæuola appellatus eſt, Scæuumque bonum eſſe omen dicit: quod ſiniſtra bona auſpicia exiſtimarentur. Bubulci Bruti duo item conſulares fuerunt, quorum alter ter Conſul, bis triumphalis, Dictator, cenſorque ſemel, ac bis Magiſter Equitum: alter iterum Conſul triumphauit, ambo C. Iunij dicti, Caio patre, Caioque auo prognati Verrio Flacco autore ſunt. Prior enim Conſul fuit anno CDXXXVI. cum Q. Aimilio Barbula, iterum quarto demum anno cum L. Papirio Curſore quinctum Conſule. anno proximo Magiſter equitum fuit C. Sulpicio Longo Dictatore rei gerundæ cauſſa. Tertium Conſul cum collega ſuo Q. Barbula iterum eodem anno deſignatus eſt, & de Samnitibus Nonis Sextilibus in conſulatu triumphum egit. Barbula de Etruſceis Idib. Sextil. Biennio poſt iterum Magiſter Equitum L. Papirio Curſore iterum Dictatore rei gerundæ cauſſa, quo anno, vt Verrius aſſerit, Dictator, & Magiſter Equitum ſine conſulibus fuerunt. Cenſor cum M. Valerio Maximo anno CDXLVII. luſtrum fecit XXVII. L. Antonium ſenatu mouit, quod virginem repudiaſſet ſine amicorum conſilio. Dictator de Æqueis. III. Kalend. Sextil. anno CDLI. iterum triumphum egit. Ædem ſalutis, quam Conſul vouerat, Cenſor locauerat, Dictator dedicauit. Eam ædem qui primus ex Fabiis Pictor appellatus eſt, pinxit. Huius filius vt creditur, Conſul fuit anno CDLXII. cum L. Poſtumio Megello tertium, qui Interrex erat. Iterum Conſul de Lucaneis, & Bruttieis Non. Ian. anno CDLXXVI.

triumphum egit. Eius collega fuit P. Cornelius Rufinus iterum Conſul. Poſt hos, tres conſulares Brutos accepimus fuiſſe, nullo alio cognomine diſtinctos. Quorum primus M. Iunius M. F. L. N. Conſul fuit cum A. Manlio Vulſone anno poſt vrbem conditam DLXXV. Huius, vt arbitror pater Prætor Vrbanus fuit tertio decimo antea anno. annoque ei proximo P. Iunius Brutus Prætor Tuſcos prouinciam obtinuit, & poſtea Proprætore in vlteriorem Hiſpaniam profectus eſt. His temporibus, vt Valerius Maximus ſcribit, Marcus, & Decimus Bruti primi in funere patris gladiatores dederunt anno DXLI. ſed Florus lib. XVI. id D. Bruto ſoli defert bello Punico primo. Alter conſularis D. Brutus, quem M. F. Cicero in Bruto fuiſſe ſcribit, in conſulatu collega fuit P. Cornelij Scipionis Naſicæ Serapionis cognomento appellati anno vrbis DCXV. Poſt conſulatum Callaicus appellatus eſt, & triumphum geſſit Proconſule de Luſitaneis, & Callaiceis ex Hiſpania Vlteriore. De hoc Plutarchus, poſt Ciceronem refert non vt ceteros menſe Februario, ſed Decembri parentaſſe. Eumdem Attio familiarem fuiſſe, & ab eo templa de manubiis ornata verſibus Attij decoraſſe alij conſcripſerunt. Huius filius ex Clodia vxore D. Brutus D. F. M. N. a Verrio cenſetur, collega Mamerci Lepidi Liuiani anno DCLXXVI. Non deſunt, qui ſupra ſcriptis inſerant M. Iunium Pennum, quem M. F. M. N. Verrius appellat, & fuiſſe exiſtiment M. Bruti conſularis filium, ac patrem D. Bruti Callaici. Hic Conſul fuit cum Q. Ailio ſiue Allio Paito anno vrbis DXXCVI. Huius filius M. Pennus laudatur a Cicerone, vtpote qui in tribunatu plebis C. Gracchum exagitauit Quæſtorem anno DCXXVI. Eumque Ædilicium mortuum fuiſſe aſſerit. Ante hos tamen M. Iunius Pennus Prætor Vrbanus fuit anno DLII. & poſt annos XXIX. alter M. Pennus Hiſpaniam Citeriorem Prætor obtinuit. quem illius filium eſſe exiſtimo, hunc vero eumdem illum Conſulem. Peræ cognomine duos Conſulares reperio, quorum alter cenſorius, & bis triumphalis; alter Dictator, & Cenſor fuit. Prior D. Iunius D. F. D. N. Conſul fuit anno CDXXCVII. cum N. Fabio Pictore, & in eodem Conſulatu bis triumphum egit v. Kal. Octob. de Saſſinatibus, & Non. Febr. de Sallentineis, Meſſapieiſque Cenſor fuit anno quingenteſimo cum L. Poſtumio Megello, qui Prætor etiam erat, & eo in Magiſtratu mortuo D. Pera abdicauit. Sunt, qui ſuſpicentur hunc Peram D. Scæuæ conſularis filium fuiſſe, & alterius Scæuæ conſularis nepotem. quod a temporum ratione alienum non eſt. Sed id, vt incertum omittamus. Alter Conſularis M. Pera D. F. D. N. Superioris vt arbitror filius, Conſul fuit cum M. Aimilio Barbula anno DXXIII. & Cenſor quinquennio poſt cum C. Claudio Ap. F. Centhone, luſtrum fecerunt XLII. Dictator vero rei gerendæ cauſſa poſt pugnam Cannenſem an. DXXXVII. Magiſtrum Equitum dixit Ti. Sempronium Gracchum Ædilem Curulem. Eiſdem temporibus Pulli cognomine L. Iunium C. F. L. N. Conſulem fuiſſe inuenio cum P. Claudio Pulchro anno vrbis DIV. vrguente bello Punico primo: Sed ambo Conſules claſſem amiſerunt, & Pulcher damnatus a populo eſt, Pullus necem ſibi conſciuit. Eiſdem conſulibus tertij ludi Sæculares acti Antiate & Liuio autoribus. In hæc etiam tempora incidit, quod Plinius lib. XXXIV.

cap. VI. ſcribit P. Iunio, & Ti. Coruncanio interfectis a Teuca Illyriorum regina tripedaneas ſtatuas poſitas fuiſſe. Sed Polybius lib. II. Eos C. & L. Coruncanios appellat, & vnum tantum ex his occiſum fuiſſe an. DXXIII. Ad Silanos conſulares ventum eſt, quos ex Manliis Torquatis originem duxiſſe indicant Ciceronis verba lib. I. de finibus: cui Valer. Max. lib. V. cap. VIII. & Florus lib. LIV. ſubſcribunt. Nam T. Manlius A. F. T. N. Torquatus, qui cum Cn. Octauio Conſul fuit anno vrbis DXXCIIX. cum Decimo Silano filium in adoptionem dediſſet, iſque Prætor Macedoniam obtinuiſſet, de prouincialium querelis domi audiuit, erat autem Iuris Ciuilis, & Pontificij peritiſſimus; cumque contra filium pronuntiaſſet, in conſpectum ſuum venire vetuit, filius eadem nocte laqueo ſibi necem intulit. at pater adoleſcentis funeri non interfuit, & ſe conſulentibus aditum patere iuſſit. Hac de cauſa titulum exſtare ſcio cuiuſdam ſepulchri Virginis Veſtalis Maximæ, cuius apud Tacitum lib. III. mentio fit, vt C. Silani Proconſulis Aſiæ ſub Tiberij Cæſaris ſororis, quæ cum C. Silani filia eſſet Iunia Torquata dicta ſit. Ex veteribus Silanis M. Iunium Prætorem fuiſſe cognouimus anno Vrbis quingenteſimo quadrageſimo primo. Hunc arbitror a Boiis occiſum fuiſſe poſt annos XVI.

Primus M. Silanus Conſul fuit anno ſexcenteſimo quadrageſimo quarto cum Q. Metello Numidico. Hic male cum Cimbris pugnauit, & accuſatus eſt a Cn. Domitio Tribuno plebis quinquennio poſt apud populum, duæ tantum tribus Sergia, & Quirina damnarunt. Huius filius, vt arbitror D. Silanus M. F. Conſul fuit cum L. Licinio Murena anno vrbis ſexcenteſimo nonageſimo primo. Hic primus in Senatu a Cicerone Conſule rogatus, cum deſignatus eſſet, ſententiam in P. Cornelium Suram, & Cethegum Catilinæ ſocios dixit. Huius vxor Seruilia fuit Soror M. Catonis mater M. Bruti; qui adoptione in Seruiliam gentem inſertus eſt. Itaque appellatur in Philippicis, & in denariis eius nomine ſignatis Q. Seruilius Q. F. Cæpio Brutus. Huius ſorores tres fuere Iuniæ dictæ ex Silano, vt arbitror; patre natæ, quarum vna M. Aimilio Lepido Pontifici Maximo, & poſtea Triumuiro Reipublicæ conſtituendæ nupſit, altera C. Caſſio percuſſori Cæſaris, quam Tertiam, ſiue Tertullam cognominatam fuiſſe accepimus, de qua notus eſt Ciceronis iocus. Nam cum male audiret Seruilia, quod a Dictatore prædia emeret minimo pretio: nil mirum inquit ille, Tertia deducta eſt. De alia Iunia ſorore nihil accepimus. Tacitus in calce libri tertij, Iuniam C. Caſſij vxorem obiiſſe ait ſexageſimo quarto poſt Philippenſem pugnam anno. Viginti clariſſimarum familiarum imagines antelatas, Manlios, Quinctios, aliaque eiuſdem nobilitatis nomina. Seruiliæ, & Catonis mater fuit Liuia M. Druſi Tribuni plebis ſoror. M. Bruti percuſſoris Cæſaris pater poſt mortem Syllæ bellis ciuilibus a Pompeio occiſus eſt, eum Florus M. Brutum appellat libro nonageſimo.

Alij duo eodem prænomine, & cognomine fuerunt, M. Brutus pater vir Prætorius, Iuris Ciuilis peritiſſimus, qui multis in locis a Cicerone, & a Pomponio in Digeſtis laudatur; & M. Brutus filius accuſator dictus, quem L. Craſſus multis iocis vexauit. Fuit etiam percuſſor Cæſaris D. Brutus Marci propinquus. hic ab A. Poſtumio Albino adoptatus A. Poſtumius Bruti filius

Albinus appellatus eſt. Conſul deſignatus Mutinæ a M. Antonio obſeſſus eſt. Ab eodem poſtea occiſus eſt, & parum viriliter collum percuſſori præbuit, vt Valerius obiicit. At M. Bruti vxores duæ Claudia Appii Pulchri filia, & Porcia Catonis auunculi filia, quæ prius ex M. Calpurnio Bibulo Cæſaris in Conſulatu collega filium habuit. Porciæ ac Bruti interitus a multis laudantur; quos ego minime laudo. At eorum igniculos virtutis ſuſpicio. Fuerunt enim in Bruto magna quædam animi ingenij, & eruditionis atque eloquentiæ bona. Reliquit orationes, & de philoſophia libros, qui non exſtant.

Ad Silanos redeo, quorum cognomen a Silo deductum eſſe cenſeo, non vt quidam exiſtimant a Sylla, qui eos Sillanos conſcribunt. Silus Sergiorum, & Liciniorum cognomen, eum ſignificat, vt Feſtus refert, qui naſo ſurſum verſus repando ſit, & galeæ Silæ dicebantur ab eadem ſimilitudine. Hos patricios fuiſſe, vt Torquatos, a quibus originem ducunt, quærendum cenſeo. auget ſuſpicionem, quod collegas habuerint plebeios in Conſulatu: alter Metellum Numidicum, alter Murenam.

Sub Auguſto tres Conſules Silanos inuenio. M. Silanum collegam Auguſti nono Conſulatu, anno ſeptingenteſimo vigeſimo octauo, quo anno Ianus cluſus eſt. Hunc D. F. M. N. quidam appellant, vt ceteris Conſularibus coniungant. C. Silanum C. F. qui poſt acto annos Conſul cum C. Furnio fuit, quo anno ludi ſæculares quincti acti ſunt. C. Silanum Caij filium Marci Nepotem Flaminem Martialem, qui anno ſeptingenteſimo ſexageſimo ſecundo Conſul fuit cum P. Cornelio Dolabella. Sub Tiberio Cæſare duo Conſules Silani fuerunt, M. Iunius M. F. qui cum L. Norbano Balbo Cos. fuit anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo primo & Ap. Silanus, qui nono poſtea anno Conſul fuit cum P. Silio Nerua. Marci Silani filia Iunia Claudilla nupſit C. Caligulæ ante adeptum imperium, quæ ex partu mortua eſt. Socerum idem Imperator ad necem compulit. Marci frater D. Silanus Iuliæ neptis Auguſti adulter exilium voluntarium ſuſcepit, vt Tacitus libro tertio ſcribit. Temporibus Ti. Claudij Imperatoris D. Silanus Appij filius Conſul fuit cum Q. Haterio Antonino anno octingenteſimo quinto. Hunc Proconſulem Aſiæ & fratrem Lucium generum Ti. Claudij Imperatoris, Agrippina Neronis mater occidi iuſſit, ne filio præferretur in imperio. Eos Tacitus initio libri " decimitertij appellat Diui Auguſti abnepotes: Plinius vero libro ſeptimo, " cap. decimotertio naturalis hiſtoriæ, Marcus Silanus, inquit nepos neptis " Auguſti, natus quo anno exceſſit e vita Auguſtus, Aſiam obtinuit poſt Conſulatum, a Nerone veneno ſublatus. Idem Tacitus libro decimoquinto refert Torquatum Silanum mori coactum a Nerone, qui Diuum Auguſtum atauum ferebat. & libro decimo ſexto huius ſororem Lepidam C. Caſſij vxorem, & amitam L. Silani, quem etiam occidi iuſſit.

Sub Hadriano Imperatore Iunius Silanus Siſenna cum Hibero Conſul fuiſſe dicitur anno DCCCXXCV. In titulo tamen quodam Præneſtini monumenti exſtat mentio horum Coss. Q. Iunij Silani, & L. Septimij Valeriani, in quo titulo mentio fit Ælij Auguſti liberti. Sub Commodo duo Silani eodem anno Conſules fuerunt Caſſiodoro, anno DCCCCXLI. alterum Iunium, alterum

Seruilium quidam appellant. Maximini vero temporibus Conſules ſuffecti
ex Kal. Mai. Iunius Silanus, & Meſſius Gallicanus anno DCCCCXXCIX. Sub
quibus Maximino abrogatum imperium eſt, & Gordiani Africani Imperatores
appellati ſunt. Maximini filio C. Iulio Maximo Cæſari Iunia Fadilla proneptis
Antonini Imp. ſponſa coniuncta non eſt, ſed poſt eius cædem Toxotio nupſit
eiuſdem familiæ Senatori, & poſtea Prætori, cuius poëmata legit Iulius
Capitolinus. Enumerat idem ex Iunij Cordi indagatione arras, & munera
regia ſponſæ data. Sed nos ceteros conſulares Iunios perſequamur, quorum
varia cognomina fuerunt. Primus ſub Caligula Sex. Iunius Celer cum Sex.
Nonio Quinctiliano Conſul ſuffectus ex Kal. Iuliis fuit anno DCCXCII.
II. Alter Q. Ruſticus collega Imperatoris Hadriani in tertio conſulatu anno
III. DCCCLXXI. Tertius eiuſdem nominis, quem etiam Præfectum Vrbis fuiſſe
ſub M. Antonino, & L. Vero Vlpianus ſignificat, eius collega in conſulatu
Vettius Aquilinus, vel vt in titulo cuiuſdam monumenti eſt, Q. Flauius
Tertullus Kal. Iul. anno DCCCCXIV. Hunc exiſtimo bis Conſulem fuiſſe,
eumque eſſe, quem Iulius Capitolinus ait ſummum philoſophum Stoïcæ
diſciplinæ, cuius auditor Marcus Imperator fuit, eique mortuo ſtatuas a
IV. Senatu poſtulauit. Anno proximo A. Iunius Paſtor Conſul fuit cum L.
Papirio Æliano, ſiue cum M. Pontio Læliano. Quinquennio poſt T. Iunius
V. Montanus cum L. Vettio Paullo. Altero anno hoc eſt DCCCCXXII. ſub
VI. eodem Marco Imp. L. Iunius Clarus cum M. Aurelio Seuero, quem etiam
VII. Cethegum quidam vocant. At ſub Valeriano, & Gallieno Iunius Donatus
cum Cornelio Sæculari iterum Conſule anno CIↃXII. quo anno Valerianus
VIII. Imp. a Perſis captus eſt. Sub Probo Iunius Meſſalla Conſul fuit cum Grato
IX. anno CIↃXXXI. Item C. Iunius Tiberianus anno proximo collega Imp. Probi
X. IV. Secundus eiuſdem conſulatus fuit cum Caſſio Dione anno CIↃXLII. Sub
Diocletiano, & Maximiniano, quo tempore idem Tiberianus Præfectus Vrbi
XI. fuit. Inter hos duos conſulatus M. Iunius Maximus, qui etiam Vrbis Præfectus
XII. fuit, bis Conſul fuit. Namque anno CIↃXXXV. Conſul ſuffectus ex Kal. Iul.
cum M. Aurelio Maximiano, qui poſtea imperium obtinuit, & biennio poſt
XIII. Conſul ordinarius fuit cum Vettio Aquilino ſub Diocletiano Imp. Fuit alter
Iunius Maximus cum Imp. Maxentio IV. Conſul ſuffectus anno CIↃLX. Sub
XIV. Conſtantino, & Licinio Flauius Iunius Rufinus Cos. fuit quartodecimo anno
XV. poſt ſuperiorem cum Acilio Seuero. Poſtremo Iunius Quartus Palladius
collega fuit in Conſulatu ſeptimo Imp. Theodoſij minoris anno CIↃLXIX. &
eiſdem temporibus idem Palladius Præfectus Vrbis & Præfectus Prætorio fuit.
Hæc de Conſularibus Iuniis. Triumphalia ornamenta C. Iunius Blæſus tulit an.
vrbis DCCLXXV. Proconſul Africæ permittente Tiberio Cæſare quod
auunculus Ælij Seiani Præfecti Prætorio eſſet, qui tum plurimum poterat,
eidemque permiſſum eſt, vt Imp. more maiorum ſalutaretur a militibus poſt
victoriam de Tacfarinate & Numidis, vt Tacitus lib. III. & IIII. refert. Huius
fortaſſe filius fuit a Vitellio Imp. occiſus, Iuniis, & Antoniis auis clarus, vt
Tacitus lib. XIX. refert. de quo fortaſſe Suidas in Apicio. Tulit etiam ſimilia
ornamenta L. Silanus Appij filius, cui Octauia Ti. Claudij Imp. filia deſtinata
fuit

fuit, quam Nero Imp. duxit vxorem; cum legatus de Britanneis victoriam obtinuit anno DCCXCVI. Hunc, eiuſque patrem de medio ſuſtulit idem Claudius Imperator eiuſque fratrem Decimum Silanum Aſiæ Proconſulem Agrippina poſt Tiberij mortem, vt ſupra diximus.

LICINIA.

LICINIA familia plebeia, ſed clara, ac nobilis in quattuor Conſulares præcipuas cognominibus diſtinctas ſtirpes propagata eſt: Caluorum, Craſſorum, Lucullorum, & Murenarum. Sed & Vari, & Getæ, & Neruæ, aliique minus clari exſtitere, de quibus poſtea dicemus. Primus Tribunus plebis C. Licinius fuit anno CCLIX. vt Liuius ſcribit, C. & P. Licinij cum aliis trib. vt Dionyſius, ac poſt XIII. annos Sp. Licinius. Primus quoque Tribunus Militum Conſulari poteſtate de plebe P. Licinius Caluus anno CCCLIII. ita ceteri plebeij cedere debent Liciniis, quod primi & plebeios & patricios magiſtratus fuerint cóſecuti. Magiſter Equitum e plebe primus C. Caluus, Conſul plebeius ſecundus fuit C. Licinius Caluus Stolo, quem conſtat auctorem fuiſſe, vt alter Couſul plebeius eſſe poſſet. Namque vt Liuius refert, M. Fabio K.F.M.N. Ambuſto, qui Tribunus militum bis, Cenſor, & Pontifex Maximus fuit, duæ filiæ natæ ſunt, quarum alteram duxit Ser. Sulpicius Rufus prætextatus, qui Tribunus militum fuit anno CCCLXII. Minor huic C. Caluo Stoloni nupſit. Hanc ferunt inuidia ſororis, quæ patricio nupta ampliſſimis magiſtratibus domum exornatam cerneret, impetraſſe a patre & a viro, vt in hanc rem maxime incumberent, vt plebeij patricios magiſtratus conſequi poſſent. Tum Caluus Tribunus plebis leges promulgauit, quarum alteram facile pertulit, ne quis ciuis Romanus ſupra quingenta iugera poſſideret: alteram de plebeiis Conſulibus, de qua magnæ contentiones ortæ ſunt. Sed ita in ea re perſtitit Caluus, vt non permiſerit comitia vlla haberi, niſi hac lege perlata. Ita idem Caluus cum L. Sextio Laterano refectus quinquies Tribunus plebis fuit, & curulibus magiſtratibus toto vno quinquennio Roma caruit. quorum primus fuit poſt Vrbem conditam annus CCCLXXVII. Conſul fuit anno CCCXXCIX. cum C. Sulpicio Petico, iterumque triennio poſt cum eodem collega. Sed quarto poſt alterum conſulatum anno ſua lege Licinia damnatus eſt, quod vltra quingenta iugera cum filio emancipato, cui donationem in fraudem legis fecerat, poſſideret: Hunc primum Stolonem dictum fuiſſe Varro ait: quod nullus ſtolo in eius agris reperiretur: eoſq; identidem tolli iuberet. ſunt autem ſtolones arborum ſtirpes, ac radices, quæ arantibus obſunt. Verrius hoc ei cognomen non adſcripſit, qui eum dixit fuiſſe C. F. P. N. ſuſpicor eius auum fuiſſe eum, qui primus Tribunus militum e plebe fuit cum quinque patriciis. Cuius filius P. Caluus quadriennio poſt patrem eumdem magiſtratum obtinuit: Poſt quem alter C. Caluus P. F. P. N. anno CCCLXXV. Tribunus etiam Militum fuit, & decimo poſtea anno Magiſter Equitum primus e plebe P. Manlio Capitolino Dictatori ſeditionis ſedandæ & rei gerundæ cauſſa, qui M. Furio Camillo Dictatori abdicanti ſuffectus eſt; & eo anno duo Dictatores, & duo Magiſtri Equitum

CCc

ſine aliis Curulibus magiſtratibus fuerunt. Ita quattuor Calui duos Conſulatus, Tribunatus Militares tres, ac Magiſterium Equitum obtinuerunt. Celebris longo poſtea interuallo fuit C. Liciniij Calui optimi oratoris & poëtæ fama, cuius pater C. Licinius Macer vir Prætorius accuſatus, Cicerone Prætore, repetundarum, cum damnaretur, ſe ipſum interemit. Erat tum Caluus filius annos natus XVII. Macri autem hiſtoria a veteribus celebratur, ſed oratio Calui in P. Vatinium illuſtrior fuit. Quæ cum haberetur, dum multi exclamarent; ſurgens Vatinius, num, inquit, quia hic diſertus eſt, ego innocens damnandus ſum? Fuit autem Caluus Atticorum imitator verbis, & ſententiis valde preſſus, quod Cicero improbare videtur non ſine aliqua moleſtia, ne dicam inuidia, quod a multis doctis viris id genus orationis Tullianæ præfer-

II. retur. Craſſi feliciores Caluis fuerunt. Nam ſeptem Conſulares viri, octo Conſulatus, Cenſuras quattuor, Pontificatus Maximos duos, triumphum, & ouationem, & Magiſterium Equitum ante Cæſarem Dictatorem obtinuerunt.

I. Primus P. Craſſus Diues P. F. P. N. Pontifex Maximus anno DXLI. in locum L. Cornelij Lentuli cooptatus eſt, biennio poſt Magiſter Equitum Q. Fuluio Flacco Dictatori comitiorum habendorum cauſſa, & eodem anno Cenſor cum L. Veturio Philone, qui in eo magiſtratu mortuus eſt: quamobrem Craſſus abdicauit: vt poſt vrbem captam a Gallis factum ſemper eſt. Conſul cum P. Scipione Africano maiore fuit anno DXLIIX. duobus & viginti annis poſt Conſulatum vixit. Eius funeris cauſſa viſceratio data, & gladiatores CXX. & ludi funebres triduo, & poſt ludos epulum, vt Liuius lib. XXXIX. ſcribit.

II. Alter P. Craſſus C. F. P. N. Cos. fuit anno primo belli Perſici cum C. Caſſio Longino, hoc eſt anno DXXCII. Prætor is fuerat ante quinquennium, & in

III. Hiſpaniam prouinciam ire recuſauit. Tertio poſtea anno C. Craſſus eiſdem parentibus natus, vt fratrem germanum eſſe non dubites; M. Verrio teſte, cum L. Aimilio Paullo iterum Conſul fuit, qui ante quadriennium Prætor

IV. Vrbanus fuerat. Tertius P. Craſſus, quem Verrius P. F. P. N. appellat, Paterculus Mucianum cognomento, alij Diuitem, Pontifex Maximus in locum P. Scipionis Naſicæ Serapionis anno DCXXI. cooptatus eſt. proximo anno Conſul fuit cum L. Valerio Flacco Flamine Martiali, cum quo poſtea de prouincia contendit, & Flaminem vetuit a ſacris diſcedere. Sed ipſe in Aſia occiſus eſt ab Ariſtonico, primus extra Italiam Pontifex Maximus profectus. Hunc ferunt P. Muccio Scæuola Conſulari, & triumphali viro natum, a P. Craſſo Diuite adoptatum fuiſſe, fratremque germanum fuiſſe P. Scæuulæ Pontificis Maximi, & Conſularis viri, qui iuris ciuilis peritiſſimus fuit. De hoc Sempronius Aſellio, quinque maxima conſecutus eſt Mucianus, quod eſſet ditiſſimus, nobiliſſimus, eloquentiſſimus, iuriſconſultiſſimus, & Pontifex Maximus. Eius duæ filiæ fuerunt, quarum alteram C. Sulpicius Seruij Galbæ oratoris, & Conſularis filius. alteram C. Gracchus optimus orator duxit. Huius filium videtur Cicero appellare P. Craſſum Vinu-

V. liæ filium, & viuo patre mortuum eſſe ſuſpicari. Quartus P. Craſſus M. F. P. N. ex faſtis Capitolinis, Conſul fuit anno DCLVI. cum Cn. Cornelio Lentulo. Huius pater M. Craſſus, is eſt, quem ſemel in vita riſiſſe Lucilius

ſcripſit, auum fuiſſe eum exiſtimo. quem ſecundo loco conſtituimus P. Craſſum. Pro Conſule de Luſitanis triumphat quarto anno poſt Conſulatum pridie Idus Iunias. Cenſor quadriennio poſt triumphum cum L. Iulio Cæſare factus eſt. aduerſus vnguenta exotica, & ſumptus ambo edixere. Iidem a C. Mario, & L. Cornelio Cinna occiſi ſunt anno DCLXVI. quamquam hic ſibi manus intulit. Occiſus etiam eſt P. Craſſus filius &c. Cæſar frater L. Cæſaris, & alij inſignes viri. Superſtes patris fuit M. Craſſus, quem diuitem plerique VI. appellant, Cn. Pompei Magni in duobus conſulatibus collega. Eos geſſit anno DCXXCIII. & DCXCVIII. Ante conſulatum priorem anno proximo pro Prætore de Spartaco, & fugitiuis ouans laurea, non myrtea corona vt ceteris ex Senatuſconſulto Vrbem ouans ingreſſus eſt. Huius diuitiæ, & potentia a multis celebratur, quæ fere in tyrannidem euaſit trium virorum clariſſimorum Cn. Pompeij, C. Cæſaris, & M. Craſſi. Cenſor fuit quincto anno poſt priorem Conſulatum cum Q. Lutatio Catulo, ſed diſſenſione inter eos orta, abdicarunt. A Parthis cum Publio filio magnæ ſpei adoleſcente occiſus eſt, aduerſus quos cum exercitu profectus Proconſule eſt. Vxor eius Tertulla M. Luculli Conſularis viri, & triumphalis filia, parum pudica C. Cæſari fuiſſe traditur. Sunt etiam, qui ſuſpicentur Cæciliam Metellam Q. Cretici filiam eiuſdem vxorem fuiſſe, quod in titulo eiuſdem monumenti Craſſi nomen adſcriptum ſit. Venio nunc ad L. Craſſum diſertiſſimum illum oratorem, VII. quem maxime laudat M. Cicero. Conſul is fuit cum Q. Mucio P. F. Scæuula Pontifice Maximo anno vrbis DCLIIX. Hic ne triumpharet, collega impedimento fuit, vt ex Cicerone & Aſconio in Piſoniana didici. Cenſor triennio poſt cum Cn. Domitio Ahenobarbo, cum quo ſæpe contendit. Anno proximo L. Philippo Conſule annos natus fere quinquaginta mortuus eſt, vt Cicero initio libri tertij de Oratore, in Bruto ſignificat. Tribunum plebis fuiſſe Lucilius refert. Huius parentes ignoramus. vxor eius fuit Mucia Q. Scæuulæ Auguris, qui Conſul fuit anno DCXXXVI. filia, & Læliæ maioris C. Lælij ſapientis filiæ. Filias duas reliquit, ex quarum altera, quam P. Scipio Naſica duxit, nepotem teſtamento in filium adoptauit, qui L. Craſſus dictus eſt; fraterque fuit Q. Metelli Scipionis Corneliæ patris, quæ prius vxor P. Craſſi M. F. a Parthis occiſi, fuit, mox Cn. Pompei Magni. Alteram duxit C. Marius C. Marij ſepties Conſulis filius. Sed & idem Marius pater alteram Muciam eiuſdem Q. Sceuulæ Auguris filiam vxorem habuit. Antequam ab hac Craſſorum gente diſcedo, commemorare libet, quæ Valerius Maximus lib VI. cap. XI. ſcriptum reliquit, Craſſum quemdam cognomine Diuitem decoxiſſe, bonaque eius a creditoribus fuiſſe diuendita, ita non ſine riſu veteri diuitis nomine poſtea ſalutatum. Eodem fortaſſe pertinet, quod Cicero Attico ſcripſit, Noſter amicus magnus, cuius cognomen vna cum Craſſi diuitis cognomine conſeneſcit.

Lucullorum tres tantum Conſulares fuiſſe inuenio, duos ex his etiam triumphales. Ante hos L. Lucullus, & Q. Fuluius Ædiles Curules ludos III. Romanos anno DLI. ter inſtaurarunt. Pecuniam ex ærario non ſine Luculli infamia ſcribas, & viatores ſumpſiſſe compertum eſt. Sexto poſtea anno C.

Lucullus T. Romuleius, & P. Porcius Læca primi Triumviri Epulones facti ſunt. & poſt XII. annos M. Lucullus Prætor inter ciues, & peregrinos ius dixit. Eſt etiam apud Salluſtium P. Luculli Tr. Pl. mentio, qui Iugurthini belli tempore continuare magiſtratum nitebatur. an. DCXLIII. Primus L. Lucullus Conſul fuit an. DCII. cum A. Poſtumio Albino biennio ante bellum Punicum Tertium. Sub hoc in Hiſpania Scipio Africanus minor militauit. Huius filius Lucius Cæciliam Q. Metelli Numidici ſororem L. Metelli Calui filiam duxit, qui anno nono poſt Luculli Conſulatum Conſul fuit, ex ea Lucium, & Marcum filios reliquit. Sed ambo coniuges infami nota famoſi vixerunt. alter furti, ſeu repetundarum Seruilio augure accuſante damnatus, Cæcilia parum pudica vulgo credita. His parentib. ortus L. Lucullus præſtanti vir ingenio, clariſſimus & fortiſſimus fuit. Litteriſque tam Græcis quam Latinis in primis eruditus; philoſophiæ quoque, vt Cicero & Plutarchus conſcribunt, operam dedit. Conſul fuit anno DCLXXIX. cum M. Aurelio Cotta. poſt vndecim annos M. Cicerone Conſule de Regibus Mithridate, & Tigrane triumphum Proconſule egit. Vxores habuit duas Clodiam Ap. Pulchri filiam, & Seruiliam M. Catonis ſororem, ex qua pupillum reliquit Catonis tutelæ commiſſum, quamuis ita poſt triumphum vixit, vt parum gratus Catoni eſſet, in omni genere luxus, & deliciarum ſumptus effundens. Huius & cænæ, & piſcinæ, & villæ vt regij ſplendoris, & magnificentiæ celebrantur. Lucij Luculli frater patruelis ni fallor fuit M. Lucullus M. F. quem adoptatum fuiſſe conſtat a M. Terentio Varrone. Ita a quibuſdam M. Licinius Lucullus, ab aliis M. Terentius Varro Lucullus appellatus eſt. Conſul is fuit cum C. Caſſio Varo anno proximo poſt L. Luculli fratris Conſulatum, & bienno poſt ſuum Conſulatum triumphũ de Thracibus, & Dardanis egit ex Macedonia. Eum Cicero in Bruto videtur iuris publici, & priuati peritum appellare. Huius filiam, vt antea diximus, M. Craſſus Diues vxorem duxit. quæ de C. Memmij cum vxore eius adulterio prodita ſunt, ſileamus. Occiſum a M. Antonio Triumviro
IV. Valerius ait, eiuſque amicum ſummum C. Volumnium. Nunc ad Murenas venio, quos Muræenas Græci, vt piſces eiuſdem nominis appellant. Triumphalis & Conſularis familia fuit. Namque anno DCLXXIII. L. Licinius Murena Proprætore de Rege Mithradate, ex Ponto & Aſia triumphum egit. Huius filij duo fuere Lucius, & Caius. Lucius Murena Conſul fuit cum Decimo Iunio Silano anno DCXCI. Hunc Cos. deſignatum ambitus accuſatum a Ser. Sulpicio, & M. Catone defendit M. Cicero Cos. exſtatque pulcherrima eius defenſio. Vitricus hic fuit L. Pinarij Nattæ, & Pinariæ vxoris P. Clodij Ap. F. Pulchri Tribuni plebis, qui eumdem Ciceronem aqua, & igne interdicendum ſua rogatione curauit. Incerti temporis eſt, quod D. Murena Valerio teſte aduerſus libertinos Volſinienſes fecit, qui cum omnem publicam diſciplinam corrumperent, a Senatu Romano miſſus Murena omnes aut in carcere necari, aut veteribus dominis reſtitui iuſſit. Atque etiam P. Murena, cuius Cicero in Bruto mentionem facit, bello ciuili Mariano occiſus. Ante hos omnes Craſſos, Lucullos, Murenas. C. Licinius Varus P. F. P. N. Conſul
V. fuit anno DXVII. cum P. Lentulo Caudino. quo tempore ludi ſæculares tertij

facti ſunt. Anno vero DXLIII. P. Licinius Varus, & L. Veturius Ædiles Curules ludos Romanos diem vnum inſtaurarunt. Biennio poſt Prætor vrbanus idem P. Varus fuit. Poſt centum & viginti annos a C. Vari conſulatu C. Licinius Geta Conſul fuit cum Q. Fabio Maximo Eburno, & poſt conſulatum anno octauo Cenſor fuit cum Q. Fabio Allobrogico, luſtrumque fecerunt LXIII. Cum tamen proximo luſtro fuiſſet poſt Conſulatum Senatu motus a L. Cæcilio Metello Caluo, & Cn. Domitio Ahenobarbo Cenſorib. Hactenus Conſulares Licinios enumerauimus ante Cæſarum imperium. Ipſum Licinij nomen a Licino deductum eſſe arbitror, vt Iulij ab Iulo, Poſtumij à Poſtumo, Planci a Planco, atque alia nomina eadem ratione. Licini & Fabij, & Porcij dicti ſunt a liciis fortaſſe quibus telæ texuntur. Porcij quoque Liciniani dicti Licinia priore vxore Marci Catonis Cenſorij orti, Saloniani vero Salonina poſteriore. Neruas Licinios duos Prætores inuenio, quorum alter C. Nerua Hiſpaniam Vlteriorem anno DXXCVI. & proximo anno A. Nerua Prætor aut eamdem, aut citeriorem Hiſpaniam prouinciam obtinuit. M. Cicero in Bruto C. Licinium Neruam Tribunum plebis cum L. Calpurnio Beſtia coniunxit, vtrumque non indiſertum appellat, ſed Neruam ciuem improbum fuiſſe, alterum bonis initiis orſum Tribunatum, quod P. Popillium a C. Graccho expulſum ſua rogatione reſtituerit, triſti euentu conſulatum geſſiſſe. damnatus enim eſt Mamilia lege, quod a Iugurtha corruptus pecunia fuerit. Pollionis cognomine Liuius L. Licinium quemdam appellat a Senatu miſſum cum Sex. Cæſare, & L. Cincio Alimento ad Conſulem T. Quinctium Criſpinum poſt obitum M. Claudij Marcelli collegæ anno DXLV. L. Damaſippi Prætoris crudelitas celebrata eſt, qui partes Marianas ſecutus aduerſæ partis nobilitatem trucidare iuſſit, in quibus Q. Scæuulam Pont. Max. ad ædem Veſtæ, C. Carbonem Prætorium, Antiſtium Ædilicium, cuius vxor Calpurnia Beſtiæ filia ſeipſam interemit. Acta hæc anno vrbis DCLXXI. Sacerdotis cognomen C. Licinius Prætor habuit, qui ante C. Verrem Siciliam obtinuit. Apud Florum quoque inuenio Sex. Licinium Senatorem a C. Mario VII. Cos. de ſaxo eiici iuſſum eſſe: & apud Valerium Liciniam virum ſuum Claudium Aſellum necaſſe, & a propinquis ſtrangulatam, cuius rei Florus quoque lib. XLVIII. mentionem facit. Liciniam quoque Veſtalem abſolutam poſtea, inceſtus eſſe damnatam a L. Caſſio, alij tradiderant. Vide Flor. lib. LXIII.

Craſſorum familia quinque Conſulares eodem prænomine ſub Cæſaribus habuit, quorum vnus cognomento Mucianus ter Conſul fuit. Primus M. I.
Craſſus M. F. M. N. collega Auguſti fuit in quarto Conſulatu anno DCCXXIII. biennio poſt Proconſule ex Thracia, & Geteis IV. Nonas Iul. triumphum egit. Alter eodem prænomine Craſſus M. F. Conſul fuit cum Cn. Cornelio II.
Lentulo anno DCCXXXIX. ſub Auguſto. Hunc ſuperioris eſſe filium ſuſpicantur. Tertius poſt annos XL. Conſul fuit cum L. Calpurnio Piſone III.
ſub Tiberio Cæſare. Hunc etiam proximi filium eſſe exiſtimant. Quartus M. IV.
Craſſus Mucianus ter Conſul ſuffectus ex Kal. Iul. fuit, in primo Conſulatu cum L. Cornelio Sulla anno DCCCIV. ſub Ti. Claudio Imp. in ſecundo collega Domitiani Cæſaris, temporibus Veſpaſiani anno DCCCXXII. in tertio vero

Conſulatu collega eiuſdem Domitiani quinquennio poſt fuit quamquam
V. hæc non certis indiciis, ſed ſuſpicionibus quibuſdam collecta ſunt. Quinctus M. Craſſus Frugi Cos. fuit cum C. Lecanio Baſſo anno DCCCXVI. ſub Nerone. Hic ex Calpurniis Frugi in Liciniam familiam adoptione tranſlatus eſt. Huius, vt arbitror, filia Licinia Magna L. Piſonis Pontificis vxor fuit. Nam ſe in titulo cuiuſdam monumenti Craſſi Frugi Pontificis filiã appellat. Eiſdem temporibus L. Piſo Frugi M. Craſſi filium adoptat, qui L. Piſo Frugi Licinianus dictus eſt. Hunc poſtea Ser. Galba Imp. adoptauit. Reliqui Conſulares Licinij ante Imp. Valerianum, qui ex eadem familia fuit, ſex fuerunt, quorum vnus Nerua Silanus, duo Cæcinæ, ex quibus alter etiam Largus, vnus Sura, qui
I. ter Conſul fuit, duo Sacerdotes appellati ſunt. Primus A. Licinius A. F. Nerua Silanus cum Q. Metello Cretico Conſul anno DCCLIX. ſub Auguſto. Hic P.
II. Silij filius ab A. Nerua adoptatus eſt, vt Paterculus aſſerit. C. Cæcina Largus, quem Aſconius Longum appellat, Conſul fuit cum Ti. Claudio Imp.
III. iterum Cos. anno DCCXCIV. Hic in magiſtratu mortuus eſt. At vero A. Cæcina Conſul ſuffectus ex Kalend. Sept. anno DCCCCXXI. cum C. Fabio Valente. Sed vltimo die bimeſtris Conſulatus magiſtratus ei abrogatus eſt, quod a Vitellio Imp. ad Veſpaſianum defeciſſet, & in eum diem Conſul Dialis, vt Cicero luſit, cum de C. Caninij Rebili ſimili Conſulatu ornati a C. Cæſare ageret, Roſſius Regulus creatus eſt. Anno proximo C. Cæcina Pætus, & L. Annius Baſſus menſe Nouembri Conſules fuerunt ſub
IV. Veſpaſiano Imp. Sed an hic Cæcina Licinius fuerit, incertum eſt. Quartus L. Sura ter Conſul cum C. Soſio Senecione fuit ſub Traiano Imp. Primo conſulatu ſuffecti fuerunt ex Kalend. Iul. anno DCCCL. Alter conſulatus Suræ, tertius Senecioni fuit quadriennio poſt. & poſtea quincto ab hoc anno tertius conſulatus Suræ, quartus Senecioni. Hoc Suræ cognomen P. Cornelio Lentulo acceſſit, qui a Cicerone Conſule ob coniurationem Catilinæ ex S. C. occiſus eſt. Fieri poteſt, vt adoptione a Corneliis in Licinios venerit.
V. Sacerdotum alter cum Tertullo temporibus Pij Antonini anno DCCCCX.
VI. alter collega M. Antonini Elagabali Imp. in ſecundo Conſulatu poſt annos vnum & ſexaginta. Triumphalia ornamenta hoſtibus deuictis acceperunt A. Cæcina Seuerus legatus Ti. Cæſaris Imp. de Germaneis anno DCCLXIIX. M. Licinius Craſſus Frugi legatus Ti. Claudij Imp. bis ante annum DCCXCVI. ex Britannia. & M. Craſſus Mucianus legatus Veſpaſiani Imp. de Sarmateis anno DCCCXXII. Valerianus Imperator, eiuſque filij Valerianus minor, & Gallienus Licinij fuerunt, quamuis adoptione ex Valeria familia, vt ipſum Valeriani nomen ſignificat, & quod pater Valerius fuerit, vt Trebellius Pollio teſtatur. Victor cognomen Colobij addit Valeriano; alij nomen Aurelij & Valerij. Sed in nummis eodem tempore ſignatis P. Licinium Valerianum tantum legimus. Cenſor ante Imperium fuit ſub Decio Imp. anno Vrbis M. III. ſine collega, & luſtrum non fecit. quater Conſul fuit, Tribuniciam poteſtatem ſepties accepit, annos LXXVII. natus in prælio victus a Perſis captus eſt. Ex duabus vxoribus duos filios habuit, quorum alter P. Licinius Gallienus Aug. alter P. Licinius Valerianus Cæſar dictus eſt. Gallieni vxor

fuit Cornelia Salonina Pipa Marcomannorum Regis filia, ex hac duos filios procreauit. quorum alter P. Licinius Cornelius Saloninus Valerianus Cæſar appellatus eſt; alterum ſunt qui Q. Iulium Licinium Saloninum Gallienum Cæſarem appellent. Gallienus cum patre Imperium adeptus eſt, poſteaque filios Cæſares appellauit, Conſul ſepties fuit, Tribuniciam poteſtatem XV. accepit. Triumphum de Perſis egit. Valerianum fratrem, & Cæſarem. & Conſulem iterum, & deinde Auguſtum fecit. Ambo fratres, & Q. Iulius filius Gallieni ſimul occiſi ſunt, Cornelius Saloninus ante ſex annos occiſus fuerat. Poſt horum cædem quadrageſimo anno Galerio Maximiano & Conſtantino Maximo, & Maxentio Auguſtis adiectus eſt Valerius Licinianus Licinius. Hic inter agricolas natus fortis miles fuit, bonarum litterarum non ſolum expers, ſed etiam hoſtis, vt ſpadonum, & palatinorum, quos tineas & mures palatij appellabat. Vxorem duxit Conſtantiam Conſtantini Imp. ſororem, Filium habuit Valerium Licinianum Licinium Cæſarem. Conſulatus quattuor obtinuit, Tribuniciam poteſtatem XV. coactus eſt abdicare ſe imperio a Conſtantino, & poſtea occidi iuſſus; nec multo poſt Licinianus Cæſar filius qui ſemel tantum Conſul fuit. Poſt hos neminem Licinium Imp. aut Conſulem fuiſſe accepimus.

LIVIA.

LIVIAM familiam, quamuis plebeiam olim floruiſſe admodum, octo Conſulatibus, Cenſuris duabus, triumphis tribus, Dictatura ac Magiſterio Equitum honeſtatam Suetonius in Tiberio Cæſare autor eſt. Sed cum eius verba cum his faſtis Conſularibus, qui hodie circumferuntur, contuli, ante eiuſdem Imp. tempora ſeptem Conſulatus, Magiſteria Equitum duo inuenio, cætera eodem modo. Quo fit, vt exiſtimem alterum Magiſtrum Equitum, non Magiſtrum, ſed Conſulem in illis faſtis, quos Suetonius ſecutus eſt, proditum fuiſſe. Liuiorum cognomina fuerunt Denter, Salinator, Druſas, Libo, Æmilianus, Claudianus. C. Denter incertis ſuſpicionibus Magiſter Equitum fingitur C. Claudio Craſſino Regillenſi Dictatori comitiorum habendorum cauſſa anno CDV. Huius nepos M. Denter Conſul fuit anno CDLI. cum M. Aimilio Paullo. Hic etiam ornatur a quibuſdam Magiſterio Equitum poſt annos XVI. Q. Hortenſio Dictatore ſeditionis ſedandæ cauſſa, a quo lex Hortenſia de plebiſcitis lata eſt. Sed nos incertis hærere nolumus. Ad Salinatores venio, quorum primus M. Liuius M. F. M. N. Magiſter Decemvir ſacris faciendis fuit cum Manio Aimilio Manij filio ludis ſæcularibus tertiis anno DXVII. ex Verrio Flacco. Idem, aut alius eiuſdem nominis patre & auo ortus ſimili etiam prænomine appellatis Conſul fuit cum L. Aimilio Paullo anno CXXXIV. qui proximus fuit ante ſecundum bellum Punicum. ambo Conſules de Illurieis triumphum egerunt. Peculatus accuſatus ob inuidiam mulcta ei irrogata eſt omnium tribuum, vna excepta Mæcia, ſuffragio. Iterum Conſul poſt duodecim annos vrgente Hannibale creatus cum C. Claudio Nerone, qui cum inimicitias geſſerat, eis reip. cauſſa depoſuit.

Maximamque rem ambo geſſere victo Aſdrubale, & Pœnis, de quibus triumphum iterum Salinator, in cuius Prouincia res geſta fuit, egit; Nero ouans Vrbem ingreſſus eſt. Eodem anno Dictator comitiorum cauſſa a collega dictus eſt. Triennio poſt Cenſores ambo fuerunt, qui cum equitum centurias recognoſcerent, in quibus adhuc ambo cenſeri ſoliti fuerant, in Pollia tribu Salinator a collega equum vendere iuſſus eſt, quod olim populi iudicio fuiſſet damnatus. At is omnes tribus, vna excepta Mæcia, ærarias reliquit, quod magna inconſtantia in ſe vſæ fuerint, quem & damnauerint, & iterum Conſulem, atque Cenſorem fecerint. De collega queſtus eſt, quod non ſincera fide cum eo in gratiam redierit. & quod falſum in ſe teſtimonium dixiſſet. Ob quas cauſas eum vendere equum iuſſit. Ambo Cenſores cum a Cn. Bæbio Tribuno Pl. rei agerentur ob nimis aſpere actam Cenſuram, Senatus, ne cauſſam dicerent, dectetum interpoſuit. Salinatoris cognomen in cenſura inueniſſe Liuius exiſtimat vectigali nouo ex ſalaria negotiatione inducto. Sed aliis antiquum cognomen fuiſſe videtur. Poſt hunc C. Salinator M. F. M. N. ſuperioris, vt arbitror, filius, Conſul fuit cum M. Valerio Meſſalla anno DLXV. Ante Conſulatum anno XIV. Prætor Brutios prouinciam obtinuit. huius, vt arbitror, patruus eodem prænomine; at hic idem triennio ante Prætor claſſem prouinciam ſortitus eſt. Druſorum primus Conſularis C. Liuius, quem Verrius M. Aimiliani filium, Marci nepotem fuiſſe affirmat. Conſul is fuit cum P. Scipione Africano Aimiliano anno DCVI. Druſi cognomen a Drauſo hoſtium duce occiſo primum inueniſſe Suetonius ſcribit. eumdemq. Proprætore ex prouincia Gallia aurum retuliſſe Senonibus Capitolium obſidentibus datum. Huius ad nepotem ob eximiam aduerſus Gracchos operam patronum Senatus dictum. Hunc ipſum patronum M. Cicero M. Druſum C. F. appellat, qui in Tribunatu C. Gracchum collegam iterum fregerit, eumque & C. Druſum fratrem laudat. Fuit autem C. Druſus, ni fallor, iuris peritiſſimus, cuius ſenis & cæci domum multi frequentabant, vt Cicero lib. V. Tuſcul. & Val. lib. VIII. ſcripſerunt. Nec diſplicet nobis eorum opinio, qui eumdem ipſum eſſe arbitrentur M. Druſum, qui Conſul fuit cum L. Calpurnio Piſone Cæſonino anno DCXLI. & ſuperioris Conſularis C. Druſi filium. Idem M. Druſus triumphum anno proximo poſt Conſulatum Proconſule egit de Scordiſceis ex Thracia. Cenſor biennio poſt fuit cum M. Aimilio Scauro, luſtro mors Druſi impedimento fuit. Ex Cornelia vxore M. Druſum, qui Tribunus Pl. occiſus eſt anno DCLXII. & Liuiam matrem M. Catonis, & duarum Seruiliarum, & Q. Seruilij Cæpionis procreauit. Seruiliarum altera M. Bruti, & trium Iuniarum mater, altera L. Luculli Conſularis, & triumphalis viri vxor fuit. Hos Druſos ab Æmiliis ortos fuiſſe Æmiliani nomen docet, & pro ſenatu Tribunos plebis ea de cauſſa ſtetiſſe credimus. Gratior tamen patris Druſi Tribunatus fuit, ob quem filius prætextatus diligebatur. Parua de re ob anulum forte orta cum Q. Cæpione ſororis eius viro contentio, maximas tragœdias in perniciem reipublicæ excitauit. Plurimas leges promulgauit, quas omnes L. Philippo Conſule auctore eo prætextu, quod aduerſus auſpicia latæ eſſent, Senatus abrogauit. Dum ciuitatem

Latinis

Latinis pollicetur, cauſſa belli ſocialis exſtitiſſe creditur. Hunc exiſtimo aut eius filium adoptaſſe aliquem ex Claudia Pulchrorum familia; qui Liuius Druſus Pulcher Claudianus appellatus ſit. Namque Tranquillus refert Tiberium Cæſarem paternum genus a Tiberio Nerone, maternum ab Appio Pulchro ducere, qui ambo Appij Claudij Cæci filij fuerint. Inſertumque Liuiorum familiæ adoptato in eam materno auo. Mater Tiberij Liuia Druſilla filia fuit Liuij Druſi, quem nobiliſſimum, & fortiſſimum virum appellat Paterculus, licet falſo Calidianum, pro Claudiano, eumque victis Bruto & Caſſio ſe ipſum iteremiſſe, & Aufidiæ Lingonis filiæ. Hanc cum ex Tiberio Nerone priori viro Tiberium, quem diximus, filium haberet, & prægnans eſſet, Auguſtus duxit; quam ſemper vnice dilexit. Hunc Tib. adoptauit, & Germanicum Druſi Neronis filium, quem Liuia in domo Auguſti peperit poſt tres menſes a die nuptiarum, Tiberius idem adoptauit. Hæc Liuia poſt obitum Auguſti Iulia Auguſta appellata eſt, ob teſtamenti conditionem: poſt obitum vero ſuum ob conſecrationem Diua Auguſta dicta. Tertius Druſus Conſularis fuit temporibus Auguſti M. Liuius L. F. Druſus Libo, qui cum L. Piſone Cos. fuit an. DCCXXXVIII. Ex Scribonia familia adoptatum Libonis nomen indicat & Tacitus lib. II. refert mortem Libonis Druſi, cuius proauus Pompeius, amita Scribonia Auguſti vxor, conſobrini Cæſares eſſent, an. DCCLXIIX. Druſi cognomen Claudio cuidam Suetonius addit, quem refert ſtatua ſibi cum diademate ad Appij forum poſita Italiam per clientelas occupare temptaſſe. Antiquiſſimam Liuiorum memoriam reperio apud T. Liuium lib. IX. cum de Caudinæ pacis expiratione ageretur an. CCCCXXXIII. Nam L. Liuius, Q. Mælius Tribuni plebis impedire deditionem Conſulum cœperunt. Sed Cicero lib. III. officiorum, eoſdem Tribunos T. Numitium Q. Æmilium appellat. At cum ſe P. Decius P. F. Mus Cos. deuouit, M. Liuius Pontifex verbis ſolemnibus præiuit an. CDLIIX. & cum Lictoribus Decij Proprætore Gallos vicit. Ex Liuiis Mamercus Aimilius Lepidus ortus eſt, qui Conſul fuit anno DCLXXVI. ac poſtea Cenſor, & Princeps Senatus. Quem a M. Verrio Lepidum Liuianum appellari didicimus. An autem is D. Druſi filius fuerit, nobis incertum eſt, quamuis id alio loco retulerimus. Non omittam primum illum Latinum poëtam L. Liuium Andronicum & T. Liuium Patauinum optimum hiſtoricum huic familiæ decus adieciſſe. Ille primus fabulam dedit anno DXIII. Sed eius ſcripta vix digna iudicantur a Cicerone, vt iterum legantur: huius eloquentiam mirantur omnes. Nunc Liuias quaſdam referam, quæ aut Imperatorum vxores fuerunt, aut celebres. Nero Claudius Druſus Germanicus Liuiæ, & Ti. Neronis, vt ſupra ſcripſimus, filius ex Antonia minore M. Antonij filia Germanicum Cæſarem, & Ti. Claudium Druſum, qui poſtea Auguſtus quoq; appellatus eſt, & Liuiam ſiue Liuillam, quæ Druſo Tiberij Cæſaris Imp. filio & Agrippinæ Atticæ filiæ nupſit, eique filium Tiberium peperit. Hæc Liuia ab Ælio Seiano corrupta virũ veneno ſuſtulit, vt Seiano nuberet: ſed pœnas ambo dedere; vt Tacitus & alij ſcripſerunt. Germanicus Cæſar ex Agrippina Iuliæ filia C. Caligulam Imp. & quinque ſorores, quarum vna Liuilla dicta eſt, procreauit. Inter Caligulæ vxores Liuia Oreſtilla fuit, quam is C. Piſoni

nubentem ſibi vindicauit, & poſt paucos dies repudiatã biennio poſt relegauit. At Tiberij Claudij Imp. ſponſa fuit Liuia Medullina Camilla, quæ genus ducere a M. Furio Camillo dicebatur; hanc ipſo nuptiarum die amiſit. Ad hæc Liuia Rutilij vxor ſeptimum & nonageſimum annum vixiſſe memoriæ proditum eſt. Denique Liuia Ocellina Ser. Sulpicij Galbæ Imp. nouerca eumdem adoptauit & L. Liuius Ocella vſque ad imperij tempus appellatus eſt.

LVCRETIA.

LVCRETIA patricia familia cum Tarquiniis Regibus propinquitate coniuncta, & ab eis propter iniuriam deſciſcens vindicandæ libertati cauſſam præbuit, & exactis Regibus intra CXXX. annos ſeptem viri Conſulatus ſex, Tribunatus Conſulari poteſtate totidem, Triumphos duos obtinuerunt. Omnes cognomine Tricipitini, vno excepto Flauo ſunt appellati.
I. Primus Conſul Sp. Lucretius pater illius caſtiſſimæ & infeliciſſimæ feminæ Lucretiæ L. Tarquinij Collatini vxoris, quæ vim paſſa a Sex. Tarquinio ſuperbi Regis filio, & ſi infamiam timens conſenſit, ne ſeruum cum ea ſimul occideret, vt Sextus minabatur; ſeipſam in viri & patris, & aliorum conſpectu interemit. Erat tum Præfectus Vrbis a Rege conſtitutus idem Sp. Tricipitinus. Tribunus Celerum L. Iunius Brutus. Imperio Regibus abrogato, ab eodem Præfecto comitia centuriata habita ſunt, & primi Conſules quos tunc Prætores appellabant, creati, idem L. Brutus & L. Collatinus Lucretia coniuge orbatus: quorum alter Tarquinia ſorore Regis natus erat Collatinus fratris patruelis, vt multi, aut ſobrini eiuſdem Regis filius, vt Dionyſius affirmat, & altera ſorore Superbi natus. Sed abdicanti Collatino & Lauinium abeunti P. Valeſius Poplicula ſufficitur, & L. Bruto in prœlio occiſo Sp. Lucretius magnus natu & infirmis viribus, qui paullo poſt moritur; cui M. Horatius Puluillus ſucceſſit. Erat is annus CCXLIV. poſt Vrbem conditam M. Verrio Flacco, quem libens ſequor, teſte. Alter
II. T. Lucretius anno proximo cum eodem P. Valeſio iterum Conſul fuit, & luſtrum quinctum condiderunt. Tunc enim Conſulum munus erat, quod poſtea Cenſoribus, quod Magiſtros morum dixerunt, proprium fuit. Antea Ser. Tullius Rex quater luſtrum condidit & primus centuriata comitia inſtituit. Iterum Conſul fuit poſt quadriennium cum eodem Poplicula IV. Conſule.
III. Ambo Conſules de Sabineis, & Veientibus triumphum egerunt. Tertius L. Tricipitinus T. F. T. N. Conſul fuit cum Sp. Vetuſio Craſſo anno vrbis CCXCI. Hunc ſuperioris filium fuiſſe exiſtimant, ex patris & aui prænominibus a Verrio adiectis. Triumphum Conſul de Volſceis & Æqueis egit.
IV. Sequitur Hoſtus Lucretius. ſiue Hoſtius, incertum enim vetuſtas facit, & in hoc fere ſingulare prænomen, quo ex Valerio Iulius Paris ait vocatos eos qui peregre apud hoſpites, quos tunc hoſtes dicebant, naſcerentur. Perduelles enim a duello hoc eſt bello dicti ſunt, quos nunc hoſtes dicimus: vnde perduellionis crimen nomen accepit. quamuis ea nomina vna tantum L. littera tunc & ſcriberentur & proferrentur. Hic igitur Lucretius Conſul

fuit cum L. Sergio Fidenate iterum anno CCCXXIV. Huius filius P. Lucretius V.
decimo poſtea anno Tribunus Militum fuit cum Agrippa Menenio Lanato Sp. Nautio, Rutilo, & C. Seruilio Axilla, & poſt vnius anni otioſi interuallum iterum cum eodem Agrippa, & L. Seruilio Structo iterum, atque Sp. Vetuſio Craſſo. Poſt hunc quater Tribunus Militum fuit L. Lucretius Tricipitinus VI.
ab anno CCCLXII. ad ſeptuageſimum ſecundum, inter primum & ſecundum Tribunatum vacui honoribus anni duo; inter ſecundum & tertium VII.
anni quattuor, inter duos poſtremos annus relictus eſt. Collegas enumerare operoſum, & moleſtum eſt. Vnus Flaui cognomine L. Lucretius Conſul fuit cum Ser. Sulpicio Camerino anno vrbis CCCLX. Præter hos ſine aliquo cognomine P. Lucretium Præfectum Vrbis fuiſſe inuenio anno CCXCIV. & Sp. Lucretium Ædilem plebis creatum Prætorem in anno DXLIIX. Ariminum, ſiue Galliam ei Prouinciam obtigiſſe: nec non alterum Sp. Lucretium Prætorem Hiſpaniam vlteriorem anno DXXCI. prouinciam obtinuiſſe. Anno proximo C. Lucretius Gallus Prætor etiam fuit. Paullo ante idem ſiue alter C. Lucretius cum C. Matieno Duumvir naualis creatus eſt anno DLXXII. Sed hic Gallus Prætor, cui claſſis prouincia etiam fuit, cum ea in Aſia & Græcia auare verſatus magiſtratu exacto a populo damnatus eſt, mulctaque ei decies æris dicta. Ante hæc tempora anno primo belli Punici ſecundi, hoc eſt vrbis DXXXV. duo Quæſtores Romani a veniente in Ligures Hannibale intercepti ſunt C. Fuluius & L. Lucretius. Sub Auguſto Q. Lucretius Q. F. Veſpillo Cos. fuit cum C. Sentio Saturnino anno DCCXXXIV. Fuerat autem is a Triumviris proſcriptus. Primus ex ea familia hoc cognomine appellatus eſt is Lucretius Ædilis, qui Tiberij Gracchi occiſi a P. Scipione Naſica corpus in Tiberim proiecit. Veſpæ & Veſpillones Feſto dicuntur, qui veſperi eos efferunt, qui funebri pompa duci propter inopiam nequeunt. Annus Gracchanæ cædis fuit DCXX. A Cicerone in Bruto Q. Lucretius Veſpillo inter oratores enumeratur, qui in priuatis cauſſis verſaretur, & laudatur, vt acutus & iuriſperitus. Offellæ cognomine Lucretium quemdam legi fuiſſe occiſum, a L. Sulla Felice Dictatore, ſiue a L. Bellieno auunculo L. Catilinæ ex eius autoritate, quod auſus eſſet petere conſulatum contra eius voluntatem; quod cum populus Romanus indigne tuliſſet, aduocata concione omnes ſe id iuſſiſſe certiores fecit: vt verba a tyranni facto non diſcreparent. Hunc Florus & Aſconius Aſellam appellant non ſine mendo, vt credimus. Sed ego eos omnes, quos poſt Tricipitinos, & Flauum primo excepto enumeraui, ſuſpectos habeo, vt ex patriciis Lucretiis non fuerint; & in eam opinionem propenſior ſum, vt credam plebeios fuiſſe. Quamobrem duplicem Lucretiam, vt pleraſque facere oportet patriciorum & plebeiorum familiam.

LVTATIA.

Lvtatiorvm plebeia familia, ſed nobiliſſima fuit, clariſſimis viris, atque ornatiſſimis illuſtris. Conſulatus quinque, cenſuras duas, Triumphos tres, & Principatum Senatus, quinque tantum viri conſecuti ſunt. Omnes

DDd ij

Catuli cognomine, vno excepto Cicerone, & ipſi eorumque parentes ſolo
I. Caij, aut Quincti prænomine nuncupati. Primus C. Lutatius C. F. C. N. Catulus Conſul cum A. Poſtumio Albino Flamine Martiali anno Vrbis DXI. inſignem victoriam de Pœnis obtinuit, & finem bello Punico primo poſt XXIII. annum impoſuit. Anno proximo IIII. Nonas Octob. Proconſule naualem triumphum egit. Cum Q. Valerio Prætore contendit Atilio Calatino ſponſionis iudice; & facile vicit; vt quamvis, dum prælium commiſſum eſſet, Conſul in lecto claudus accubuerit, Prætorque pugnauerit: tamen cum imperium Conſulis fuerit & auſpicium; eidem ius triumphandi competiiſſe.
II. Eodem anno Q. Cerco frater & Conſul fuit cum A. Manlio Torquato iterum & triumphauit de Faliſceis Kalend. Mart. Quinquennio poſt idem Quinctus Cenſor fuit cum L. Cornelio Lentulo Caudino, & in magiſtratu mortuus eſt. Cerconis cognomen a cauda dictum credimus, vnde cercalopex, & cercopithecus. Eodem cognomine Cn. Lutatius ad Regem Perſen cum aliis Legatus profectus eſt anno DXXC. Sequitur C. Catulus: qui cum L. Veturio Philone
III. Conſul fuit anno DXXXIII. Huius parentes ignoramus, ſed ex ſuperioribus,
IV. fuiſſe credimus. Poſt hos fuere duo Q. Catuli inſignes viri, quos Cicero ita diſtinguit, vt alterum patrem, alterum filium appellet. Pater collega C. Marij in quarto conſulatu fuit anno DCLI. & ambo Conſules de Cimbreis, aliiſque barbareis gentibus præclariſſima victoria potiti, anno proximo Proconſulibus triumphum egerunt. Huius mater Popillia poſt mortem Q. Catuli prioris viri L. Iulio Cæſari nupſit, ex quo liberos duos L. Cæſarem, & C. Cæſarem Strabonem ſuſcepit. Laudata Popillia eſt a Q. Catulo filio ſuo poſt mortem exemplo ſingulari. Hic eſt ille Q. Catulus, quem Cicero cum C. Cæſare fratre finxit lib. II. de oratore interfuiſſe illi ſermoni, quo L. Craſſus, & M. Antonius de ratione dicendi vſi ſunt. Eius vxor Domitia Cn. Domitij Ahenobarbi filia Cn. Domitij ſoror, qui Tribunus plebis legem de ſacerdotiis tulit. Ex ea Q. Catulum, & Lutatiam procreauit, quam L. Hortenſius orator duxit. Sunt qui hanc Seruilia matre fuiſſe credant. Mortem ſibi conſciuit cubiculo incluſus nuper calce illito, & igne admoto, cum L. Cinna, & C. Marius Cæſares, fratres & alios Senatores occidi iuſſiſſent, & a militibus a collega Mario miſſis quæreretur an. CCLXVI. Poſt quattuor annos Capitolium conflagrauit, quem Q. Catulus filius curauit reſtituendum, quamobrem Capitolinus a Suetonio appellatur. Conſul fuit cum M. Aimilio Lepido. anno DCLXXV. cum L. Sulla ſe Dictatura perpetua abdicaſſet; maximis contentionibus hi duo Conſules inter ſe, vtpote diuerſarum factionum homines contenderunt, & Lepidum Catulus ex Italia eiecit. Cenſuram cum M. Licinio Craſſo poſt tres annos geſſit, ſed diſcordiæ cauſſa luſtrum non fecerunt. quadriennio poſt principem Senatus a Cenſoribus lectum, & eodem anno mortuum eſſe ferunt. eius adoleſcentia delicatior quam par erat, fuit. Sed cum de mittendo in Aſiam aduerſus Mithradatem duce ageretur, & Manilius Tribunus plebis legem promulgaſſet, vt Cn. Pompeius mitteretur, diſſuaſit hic idem Q. Catulus, qui cum in concione diceret, non in vno Pompeio omnia eſſe ponenda, neque eum omnibus periculis obiiciendum eſſe: quem

enim haberent, ſi quid ei accidiſſet, in quo ſpem eſſent habituri: vna voce populus exclamauit, in te. Cepit inquit Cicero, qui tunc Prætor erat, & Maniliæ rogationis ſuaſor, cepit magnum ſuæ virtutis fructum; atque dignitatis: cum omnes prope vna voce in eo ipſo vos ſpem habituros eſſe dixiſtis. Etenim talis eſt vir, vt vlla res tanta ſit, ac tam difficilis, quam ille non & conſilio regere, & integritate tueri, & virtute conficere poſſit. Vterque Q. Catulus & pater & filius eruditiſſimi tum Græcis, tum Latinis litteris fuerunt. pater libros ſcripſit de rebus geſtis & conſulatu, eiuſque carmina vt mollia, & delicata laudantur. Filius non fuit in oratorum numero, ſed elegans quoddam, & eruditum orationis genus ſequebatur. Huius filiam duxit Mummius L. Mummij Achaici, qui Corinthum euertit, nepos; ex qua Mummiam Achaicam ſuſcepit Ser. Sulpicij Galbæ Imperatoris matrem. Itaque Galba ſtatuarum titulis ſe pronepotem Q. Catuli Capitolini ſemper adſcripſit; & cum generis ſui imagines longo ordine in atrio collocaret, paternam originem ad Iouem; maternam ad Paſiphaen Minois vxorem retulit. Tanta erat illis temporibus cæcitas, vt nobiliſſimum hic ſe eſſe putaret, ſi genus duceret, vel ab illo omnium cubilium adultero, vel ab hac ſuæ pudicitiæ ſupra ſexum, atque feminæ conditionem prodiga.

MANLIA.

Manlia gens patricia clariſſima fuit, & ab ipſis initiis libertatis ad Cn. Pompej, & C. Cæſaris conſulatuum tempora multis præclaris viris effloruit. Initio Vulſonis, & Capitolini cognomine, poſtea Imperioſſi, & Torquati multi vſi fuerunt, vnus, atque alter Atticus, Acidinus, Fuluianus, Longus appellatus eſt. Fuerunt etiam Vulſones poſteriores a Torquateis, & Imperioſſeis diſtincti. Nos igitur prius de iis agemus, qui ante primum Imperioſſum in maioribus magiſtratibus fuerunt, hos ſequentur Imperioſſi, illos Torquati, Torquatos Vulſones poſteriores, & Acidinus Fuluianus. Nouem igitur Manlij fuerunt, primo loco a nobis conſtituti, qui Conſulatus tres, Tribunatus conſulari poteſtate duodecim, Dictaturam, Decemviratum legibus ſcribendis, & ouationes duas obtinuerunt. At Imperioſſi tres Conſulatus duos, Dictaturam, Cenſuram, & Magiſterium Equitum. Torquati autem ſeptem Conſulatus vndecim, Dictaturas quattuor, Cenſuras duas, Triumphos tres conſecuti ſunt. Poſtremo Vulſones poſteriores tres conſulatus quattuor, triumphos duos. Acidinus nouo exemplo Conſul cum fratre germano fuit, & ante Conſulatum ouans vrbem ingreſſus eſt. Tot præmiis fecunda virtus Manliorum exornata annos quadringentos & amplius emicuit. Primus Conſul, vel vt tunc II.
appellabant, Prætor Cn. Manlius fuit, cuius cognomen ignoramus, cum M. Fabio Vibulano iterum anno vrbis CCLXXIII. poſt Reges exactos anno XXIX. fortiter aduerſus Etruſcos pugnans cum Q. Fabio collegæ fratre occiſus eſt. M. Fabius victor, quamuis ſaucius, & triumphum recuſauit, & ſe Conſulatu abdicauit. Sexto ab hinc anno A. Manlius Cn. F. P. N. Conſul fuit cum L. III.
Furio Medullino, & luſtrum octauum fecit; non enim Cenſores adhuc creati

erant. Idibus Martiis ouans ingreſſus eſt, quod inducias cum Veientibus fecerit. Anno CCXCIX miſſus Legatus eſt ad leges Græcorum conſcribendas cum Sp. Poſtumio Regillenſi, & Ser. Sulpicio Camerino: eas cum attuliſſent, Conſulibus abdicantibus, Decemviri cum aliis collegis creati ſunt legibus ſcribendis anno vrbis trecenteſimo ſecundo. His duodecim tabularum lex fons & origo totius iuris ciuilis Romanorum debetur. Huius cognomen Baſſi vel Vulſionis fuiſſe, vt ſuperioris Cincinnati, aut Cæcinati alicubi inueni; ſed
III. parum tutum eſſe exiſtimaui eorum librorum fidem ſequi. Tertius L. Manlius
VI. eſt, quem Capitolinum Liuius appellat, Tribunus militum fuit anno CCCXXXI. Hunc ſequitur M. Manlius eodem magiſtratu functus poſt alterum annum,
V. cuius & parentes & cognomen ignoramus. Poſt hunc M. Verrio debemus A. Manlium A. F. Cn. N. Vulſonem Capitolinum, qui cum aliis quinque Trib. Mil. fuit an. CCCXLIIX. & biennio interiecto iterum. Additurque a quibuſdam tertius Tribunatus anno CCCLVI. quod Liuio A. Manlius hoc anno Tribunus nuncupetur. Sed eumdem eſſe non ſignificat, cum is numerum tertium non
VI. addat. Ventum eſt ad M. Manlium Capitolinum, qui bonis initiis, dum altiſſimum gloriæ gradum conſecutus altiora ſe cogitat, ex eodem Capitolino ſaxo, quod ſeruarat, deiectus eſt. Conſul is fuit an. CCCLXI. Cum L. Valerio Potito, ouans de Æqueis Vrbem ingreſſus eſt. Biennio poſt vrbe capta a Galleis, in arce Capitolina, dum anſeres obſtrepunt, hoſtes adeſſe intelligens, eos deiecit ex cuniculo, qua aggreſſi arcem erant. Interrex fuit triennio poſt, damnatus eſt anno CCCLXX. Poſt hunc nemo Manlius Marci prænomine eſt vſus. Huius fratres fuerunt Aulus, & Titus Manlius, quorum alter fortaſſe eſt is, de quo locuti ſumus A. Vulſo Capitolinus. Sex ciuicas tuliſſe hunc M. Capitolinum, in quibus vnam de duce Seruilio Plinius lib. XVI. auctor eſt. Sed Liuius ſpolia hoſtium cæſorum triginta, dona imperatorum XL. in quibus inſignes duas murales coronas, ciuicas octo: inter ſeruatos ciues C. Seruilium Mag. Equitum nominatum. Capitolini nomen non hunc primum adeptum oſtendunt alij, quos retulimus, quod in Capitolio habitarent, ita appellati: id
VII. deinde patriciis prohibitum. Septimus eſt A. Manlius, quem ter Tribunum Militum fuiſſe Liuius affirmat anno vrbis CCCLXV. & CCCLXIIX. & CCCLXX. Sunt qui quartum Tribunatum addant poſt annos duodecim,
VIII. quo anno Liuius A. Manli Tribuni mentionem facit. Octauo loco C. Manlij
IX. Tribunatus cum P. Manlij tribunatu coniungitur anno CCCLXXIX. Publius hic Capitolinus cognomento, Dictator fuit ſuffectus M. Furio Camillo abdicanti ſeditionis ſedandæ & rei gerundæ cauſſa anno CCCXXCV. Is C. Licinium Caluum primum plebeium Magiſtrum Equitum dixit. Anno huic proximo idem P. Manlius ſiue alter eiuſdem nominis Tribunus Militum fuit, quem Verrius Flaccus A. F. A. N. Capitolinum appellat, nec addit notam, quam ſolet ſecundis magiſtratibus. Imperioſſi cognomen primus habuit L.
X. Manlius A. F. quod nimis ſeuere delectum habuerit Dictator anno vrbis CCCXC. claui figendi cauſſa creatus. Cui M. Pomponius Tribunus plebis diem dixit, quod aliquot ſibi dies ad dictaturam gerendam addidiſſet, quodq. Titum filium, qui poſtea Torquatus appellatus eſt, rus ab hominibus rele-

gaſſet. Sed filius Pomponium coëgit iurare ſe ab accuſatione diſceſſurum.
Alter Torquati frater is eſt, vt arbitror, quem M. Verrius Cn. Manlium IV.
L. F. A. N. Capitolinum Imperioſſum appellat. Conſul is fuit cum M. Popillio
Lænate anno quarto poſt patris Dictaturam. Iterumque anno interiecto cum
C. Marcio Rutilo, vt quidam arbitrantur; neque enim a veteribus proditum
eſt eundem iterum creatum. Interrex biennio poſt fuit. Cenſor cum eodem
Rutilo primo e plebe fuit anno CDII. luſtrum feciſſe dicuntur XXII. Tertius III.
alter Cn. Manlius ſuperioris, vt creditur filius, niſi forte idem ipſe eſt,
Magiſter Equitum fuit a Dictatore L. Furio Camillo dictus anno CDVIII.
Torquati cognomen inuenit T. Manlius L. F. A. N. Imperioſſus cum anno
CCCXCII. cum Gallo pugnat & ei torquem aureum detrahit, eoque ſe II.
induit. Hic ter Dictator, ter Conſul fuit, & in tertio conſulatu triumphauit.
Primam Dictaturam geſſit anno Vrbis quadringenteſimo, rei gerundæ cauſſa
Magiſtrum Equitum dixit A. Cornelium Coſſum. Iterum Dictator quarto
deinde anno, comitiorum habendorum cauſſa eumdem Mag. Equit. dixit. &
biennio poſt Conſul fuit cum C. Plautio Vennone. iterumque Conſul cum
C. Marcio Rutilo tertium, anno CDIX. Tertium Conſulatum geſſit cum P.
Decio Mure quadriennio poſt; & vrgentibus Latinis inſignem victoriam
obtinuit. Collega ſe deuouit & occiſus eſt. Hic Titum filium, quod eius
iniuſſu pugnauit, licet victorem occidi iuſſit. Quamobrem odioſum ſe iuuen-
tuti Romanæ fecit, nemoque ei aduleſcens nobilis obuiam proceſſit. Vrbem
ingredienti dum Conſul triumphum agit XV. Kal. Iunias de Latineis,
Campaneis, Sidicineis, & Aurunceis. Tertia Dictatura fuit anuo DXXXIII.
comitiorum, vt creditur, cauſſa. Alter Torquatus ſuperioris fortaſſe nepos II.
in Conſulatu, quem cum M. Fuluio Paitino geſſit anno CDLIV. ex equo
lapſus, dum ſe exercet, mortuus eſt. Tertius a Verrio Flacco A. Manlius III.
T. F. T. N. Torquatus Atticus appellatus Cenſor fuit anno DVI. cum A.
Atilio Calatino & luſtrum fecerunt XXXVIII. Conſul triennio poſt cum
C. Sempronio Blæſo iterum factus eſt: iterumque Conſul cum Q. Lutatio
Cercone anno DXII. cum eodem de Faliſceis triumphum egit. Cerco Kal.
Martiis, Atticus IV. Nonas. Quartus T. Torquatus T. F. T. N. proximi IV.
frater, aut fratris filius vt ſuſpicamur, Conſul fuit cum C. Atilio Bulbo iterum
ſexennio poſt illum triumphum, & de Sardeis VI. Idus Martias hic quoque
triumphauit. eodem anno pace vbique parta templum Iani iterum cluſum
fuiſſe veteres prodiderunt. Sub Numa Rege antea ſolum cluſum fuerat.
Tertio temporibus Auguſti Cæſaris. Cenſuram geſſit cum Q. Fuluio Flacco
anno DXXII. Sed luſtrum non fecerunt, quod vitio facti fuiſſe dicerentur.
Itaque abdicarunt, Verrio teſte. Septimo poſtea anno cum eodem Flacco
iterum Conſule, iterum hic ipſe Torquatus Conſul fuit, Dictator quoque
auno DXLV. tum Comitiorum habendorum, tum ludorum cauſſa fuit.
Triennio antea cum comitiis Conſularibus prærogatiua centuria eum
Conſulem faceret & aliæ idem facturæ eſſe viderentur, oculorum valetudinem
excuſauit, quæ cum excuſatio recepta non eſſet; neque ego veſtros, inquit,
mores Conſul ferre potero, neque vos imperium meum. Hunc filius, vt V.

opinor, Auli ſequitur T. Manlius A.F. T. N. a Verrio dictus, quem Valerius iuris ciuilis, & Sacrorum Pontificalium peritiſſimum appellat. Conſul hic fuit cum Cn. Octauio anno Vrbis DXXCIIX. filium D. Iunio Silano in adoptionem dedit, in quem auditis Macedonum legatis ſententiam tulit pecunias eum a ſociis accepiſſe, eaque de cauſſa & rep. & domo ſua indignum eſſe. Eam notam filius tam acerbe tulit, vt eadem nocte ſe ipſum laqueo interemerit. Pater funeri noluit intereſſe, ſed conſultoribus eodem tempore vacare. Proximo anno A. Torquatus fratri in conſulatu ſucceſſit, cuius collega fuit Q. Caſſius Longinus.
VI. Prætor triennio ante fuerat, de reb. capitalibus quæſtiones exercuit. Septimus
VII. L. Torquatus Conſul fuit cum L. Aurelio Cotta anno DCXXCIIX. Hi videntur præmio legis Conſules facti, cum accuſaſſent ambitus P. Sullam, & P. Autronium competitores Conſules deſignatos, & obtinuiſſent. Sed maximum periculum Kalend. Ian. & Nonis Febr. ſubierunt ab eiſdem, quos accuſauerant, inita coniutatione cum L. Catilina, & Cn. Piſone. Sed detecta coniuratio eſt, & Cn. Piſo in Hiſpaniam miſſus, Catilina Conſulatum cum obtinere non potuiſſet, Cicerone Conſule biennio poſt, iterum coniurationem inſtituit. Exſtat Ciceronis oratio pro P. Sulla, ex qua apparet L. Torquatum L. Torquati conſularis viri filium, cuius mater Aſculana fuiſſe dicitur, Sullam accuſaſſe, vt vtriuſque coniurationis non expertem. Hic eſt L. Torquatus filius, quem vt Epicureum fingit idem Cicero, lib. I. de finibus cum eo longum habuiſſe ſermonem. Fuit eodem tempore A. Torquatus
∴III∴ quæſitor in Milonem de ambitu. Nunc ad Manlios Vulſones poſteriores venio. Primus L. Manlius A. F. P. N. Vulſo Longus Conſul fuit anno CCCCXCVII. cum Q. Cædicio, & eo mortuo cum M. Atilio Regulo iterum. bello Punico primo in Conſulatu naualem de Pœneis triumphum egit. Iterum Conſul fuit ſexto anno a priore eiuſque collega C. Atilius Regulus iterum.
II. Alter Cn. Vulſo Cn. F. L. N. a Verrio dictus, ſuperioris, vt credimus, nepos, Conſul fuit cum M. Fuluio Nobiliore anno DLXIV. triumphum egit III. Nonas Martias biennio poſt de Galleis Aſiaticeis. Huius res geſtas Hannibal Græce ſcripſit. Tertius A. Vulſo ſuperioris frater, vt exiſtimamus, cum a Verrio Flacco Cn. F. L. N. vt ille, appelletur, Conſul fuit cum M. Iunio
∴IV∴ Bruto anno DLXXV. Præter hos P. Manlius Vulſo Prætor Sardiniam obtinuit anno DXLIII. & anno poſtea XIII. L. Vulſo Pr. Siciliam eamdem prouinciam biennio poſt C. Vulſo Prætor ſortitus eſt. Reliquum eſt, vt de Acidino Fuluiano agamus. Q. Fuluius Flaccus, qui quater Conſul, ſemel Dictator, Cenſor, Magiſter Equitum & Triumphalis fuit, filium in adoptionem dedit L. Manlio L. F. Acidino. Itaque filius, qui antea, vt credimus M. Fuluius Flaccus dicebatur, poſtea L. Manlius L. F. L. N. Acidinus Fuluianus appellatus eſt ἀκιδνός Græcis imbecillum ſignificat ac tenuem: inde fortaſſe Acidini cognomen deducitur; niſi potius ab acido Acidinus eſt. Hic cum fratre germano Q. Fuluio Q. F. M. N. Flacco quod numquam alias ante Cæſarum imperium accidit, Conſul fuit anno vrbis DLXXIV. Triumpharunt duo fratres germani Metelli eodem die, duo etiam Cenſores eodem anno fratres patrueles fuerunt, & vt Paterculus refert, duo quoque Cenſores fuerunt Scipiones,

Scipiones, ſiue Cæpiones fratres germani; quod, vt alia multa, quo anno acciderit, ignoramus. Acidinus biennio ante conſulatum cum P. Scipione Naſica & C. Flaminio Aquileiam Coloniam Latinam Triumvir deduxit. ex Hiſpania Citeriore Proprætore fuiſſe reuerſum ouantem conſtat anno vrbis DLXVIII. Prætor is fuerat ante triennium. Alius quoque L. Acidinus Prætor fuit anno DXLIII. M. Marcello IV. Conſule. Idemque vt arbitror poſt vndecim annos ex Hiſpania reuerſus a Senatu, vt ouans ingrèderetur, impetrauerat; ſed a M. Porcio Læca Tr. Pl. prohibitus eſt. magnum tamen auri & argenti pondus in ærarium tulit. Præter hos omnes P. Manlius Cos. fuiſſe dicitur cum C. Papirio Carbone anno CCXXXIII. ſed is Mallius, aut Manilius fortaſſe eſt, quæ ambæ conſulares familiæ fuerunt; quamuis a multis tam Græcis, quam Latinis & inter ſe & cum hac Manlia confundantur. vt in collega P. Rutilij Rufi Cos. anno DCXLIIX. quem Cn. Mallium in titulo veteris monumenti appellatum eſſe ſcio, & in collega L. Marcij Cenſorini, qui Conſul fuit anno DCIV. quem Manium Manilium P. F. P. N. Verrius appellat. Prætorem quoque L. Manlium fuiſſe ſcimus anno primo belli Punici ſecundi, Vrbis conditæ DXXXV. & poſt vndecim annos C. Manlius Prætor Siciliam obtinuit. Nec dubito, quin apud Liuium lib. XXVIII. Q. Manilius Thurinus fuerit, is qui Ædilis Plebis cum M. Pomponio Mathone ludos plebeios inſtaurauit anno DXLVI. & anno proximo Prætor peregrinus fuit. quamuis Q. Manlius mendoſe legatur. At P. Manlius anno DLVIII. Prætor Hiſpaniam citeriorem Prouinciam obtinuit, adiutorque M. Porcio Catoni Conſuli datus eſt. Idem iterum Prætor eandem prouinciam obtinuit poſt annos tredecim. Quærendum quoque eſt, quis nam L. Manlius fuerit, qui cum L. Minucio Myrtilo iuſſu M. Claudij Prætoris Vrbani, quod legatos Carthaginienſium pulſaſſent traditi legatis ſunt, vt Carthaginem ducerentur.

MARCIA.

MARCIA gens duplex patriciorum, & plebeiorum, vtraque nobiliſſima: illa vetuſtate, atque origine a duobus Romanorum Regibus orta, atque decorata, & Coriolano clariſſimo viro, atque fortiſſimo illuſtris: hæc in varias ſtirpes diuiſa multis inſignibus viris eluxit. Nam & Rutili, & ex his orti Cenſorini, & Philippi, & Figuli, ac Reges, & ſi qui alij aliis cognominibus diſtinguuntur, omnes plebeij fuerunt. At patricij, quos maiorum gentium dicere poſſumus, ſi eorum opinionem ſequamur, qui credunt a L. Iunio Bruto primo Conſule adſcitos ex equeſtri ordine, primos patricios minorum gentium fuiſſe appellatos, ex Sabinis Romam cum Numa Pompilio Rege migrarunt. Numa Marcius princeps gentis appellatus eſt, quod Marci filius eſſet, vt Numa Rex, quod Pomponis eſſet, Pompilium gentis nomen inuenit. Hunc Numam Marcium Præfectum Vrbis fuiſſe, & Pontificem Maximum ſub Numa & Tullo Hoſtilio, inuenio. ex vxore Pompilia Numæ Regis filia Ancum Marcium Regem quartum Romanorum ſuſcepit. Numæ Regis vxor Tatia Titi Tatij Regis Sabinorum filia fuit, qui Romæ cum Romulo

regnauit. Ex ea Pompilia nata fuerit, necne, ignoramus. Sunt qui affirment eumdem Regem quattuor præterea filios procreaſſe, Pomponem, Pinum, Calpum, & Marcum ſiue Mamercum, vtroque enim nomine idem ſignificatur, vt cum Mamers Mars dicitur. Ab his ortos fuiſſe Pomponios, Pinarios, Calpurnios, & Marcios, quos falſo Mamercios Plutarchum appellaſſe quidam arbitrantur. Ita duplex origo Marciorum, aut a Numæ Regis filio, aut ab Anco Rege, & a Numæ filia, orationibus & laudationibus funerum iactabatur. Quibus affirmat Cicero hiſtoriam rerum Romanarum
» effectam eſſe mendacem. Multa enim, inquit, ſcripta ſunt in eis quæ
» facta non ſunt, falſi triumphi, plures conſulatus, genera etiam falſa, & a
» plebe, vel ad plebem tranſitiones, cum homines humiliores in alienum
» eiuſdem nominis infunderentur genus. Anci prænomen Marcij Regis Sabinum eſſe Varro ſignificat, quidam Græcum eſſe putant a vitio brachij nimis adunci. Regnauit annos XXIV. triumphum bis egit de Veientibus, & Sabineis, Oſtiam Coloniam deduxit. Duos filios, qui poſtea L. Tarquinium Priſcum Regem occiderunt, reliquit, quos Ser. Tullius Rex in exilium miſit. Tarquinius annos XXXIIX. regnauit. occiſus eſt anno Vrbis conditæ CLXXV. Ab hoc anno ad CCLX. nulla Marciorum mentio, quod ſciam, fuit. Tum Cn. Marcius, quem Caium Plutarchus appellat, a Poſtumo Cominio Conſule laudatus, quia fortem ſe, dum Corioli Volſcorum oppidum caperetur, oſtenderat; qui cum ei multa dona optare concederet, equum, & hoſpitem tantum Marcius Coriolanus, ſic enim appellatus poſtea eſt, optauit. Anno proximo cum repulſam in conſulatus petitione tuliſſet, & de Tribunorum Pl. poteſtate abroganda in Senatu conſilium dediſſet, ne damnaretur præſens, ſolum vertit. in patriam magnum Volſcorum exercitum quadriennio poſt duxit ſed Vetuſiæ matris & Volumniæ vxoris, & aliarum matronarum precibus ab incepto deſtitit. Matronis multa conceſſa a Senatu enumerantur, aram Fortunæ muliebri eodem loco faciendam curarunt, quo id impetrauerant. Coliolani mortem varie veteres ſcripſerunt. Alij a Volſcis proditionis crimine inuiſum occiſum eſſe, alij ſeipſum interemiſſe, vt Themiſtoclem; tertij ſenem admodum in exilio eſſe mortuum.
∴ II ∴ Plebeiorum vetuſtiſſimus C. Marcius, qui Tribunus plebis fuit, anno poſt Vrbem conditam CCCLXIV. Rutilorum & Cenſorinorum tres conſulares ante Auguſti tempora fuerunt, quorum primus quater Conſul bis triumphum egit, idemque primus e plebe Dictator, primuſque plebeius Cenſor fuit. Alter cum bis Cenſor fuiſſet, quod nemo vnquam obtinuit: Cenſorini cognominis cauſſa fuit. Tertius & Conſulatum & Cenſuram conſecutus eſt. Primus igitur C. Marcius L. F. C. N. Rutilus in primo conſulatu, quem cum Cn. Manlio Imperioſſo II. geſſit an. CCCXCVI. de Priuernatibus triumphauit Kalend. Iuniis & anno proximo de Tuſceis pridie Nonas Mai. Dictator. quarto poſtea anno iterum Conſul fuit cum P. Valerio Potito Poblicola. Anno vertente Cenſor cum Cn. Manlio Imperioſſo, luſtrum fecerunt XXII. Tertium Conſul fuit anno CDIX. cum T. Manlio Torquato II. & cum Q.
II. Seruilio Ahala quartum Conſul vno anno interiecto honoribus vacuo. Ex

hoc clariſſimo principe familiæ natus eſt C. Rutilus, qui cum Q. Fabio Maximo Rulliano iterum anno CDXLIII. Conſul fuit. Cenſuram priorem geſſit poſt annos XVI. cum P. Cornelio Aruina. luſtrum fecerunt trigeſimum. Iterum Cenſor poſt annos nouem & viginti, hoc eſt anno CCCCXXCIIX. cum Cn. Cornelio Blaſione fuit, luſtrumque fecerunt XXXV. Tunc Cenſorini nomen accepit, quod poſteris quoque acceſſit. Populum increpuiſſe dicitur, quod bis eidem tantam poteſtatem detulerit: & ne aliquis bis Cenſor fieret, legis promulgandæ Autorem fuiſſe. Tertius L. Marcius C. F. C. N. Cenſorinus III. Manij Manilij in Conſulatu collega anno primo tertij belli Punici, hoc eſt anno Vrbis DCIV. biennio poſt Cenſor fuit cum L. Cornelio Lentulo Lupo. luſtrum fecerunt LVI. Hunc nepotem, aut pronepotem ſuperioris fuiſſe credimus.

Philippi quattuor Conſulatus quinque, Cenſuras duas, Magiſterium III. Equitum, & triumphum obtinuerunt. Primus Q. Marcius Q. F. Q. N. in I. conſulatu, quem cum L. Aimilio Barbula geſſit, triumphauit de Etruſceis Kalend. Aprilis anno CDLXXII. Magiſter Equitum fuit anno XIIX. Cn. Fuluio Maximo Centumalo Dictatore claui figendi cauſſa. Sequitur Q. II. Philippus L. F. Q. N. Verrio teſte, quem proximi nepotem fuiſſe ſuſpicamur. Conſul fuit cum Sp. Poſtumio Albino anno DLXVII. ob Bacchanalia ex Senatuſconſulto Conſules quæſtiones exercuerunt in pleraſque feminas non viles; quæ ſacrorum prætextu turpiter vixerant. Ante biennium Prætor Siciliam obtinuit. Iterum Conſul fuit cum Cn. Seruilio Cæpione an. DXXCIV. quinquennio poſt Cenſor cum L. Aimilio Paullo. Luſtrum fecerunt LIII. Huius filius Q. a Liuio commemoratur. Tertius L. Philippus Q. F. Q. N. III. cuius mater Clodia ſoror fuit Appij Pulchri C. F. conſularis viri, clariſſimus vir fuit, & poſt L. Craſſum, & M. Antonium eloquentiſſimus: in Tribunatu plebis legem Agrariam promulgauit. Sed eam non pertulit, in Tribuni Militaris, & conſulatus petitione repulſam tulit: Conſul tamen factus eſt cum Sex. Iulio Cæſare anno proximo ante Marſicum, ſiue ſociale bellum: hoc eſt Vrbis anno DCLXII. in eodem Conſulatu M. Druſi Tr. Pl. conatus fregit, eiuſque leges Liuias neminem tenere decernendi ſenatui autor vt Conſul & Augur fuit, vtpote contra auſpicia latas. Cenſor cum M. Perperna IV. quinquennio poſt luſtrum condidit LXVII. Quartus L. Philippus L. F. hoc eſt ſuperioris L. Philippi filius Conſul fuit cum Cn. Lentulo Marcellino an. DCXCVII. Hic vitricus fuit C. Octauij, qui poſtea adoptione maioris auunculi C. Cæſar Octauianus appellatus eſt, & poſtea Auguſti cognomine imperium tenuit. Namque Attia Auguſti mater poſt C. Octauij Prætorij viri mortem L. Philippo nupſit; ex qua L. Philippum procreauit, vt Dion ſcribit. Ouidius vero in calce lib. VI. Faſtorum, materteram Cæſaris Auguſti Philippo nupſiſſe ait, & ex eo natam Marciam, quæ tum ab Anco Rege tum ab eo Philippo, qui templum Herculis Muſarum ædificauit, genus duceret. Hunc autem Auguſti tempore fuiſſe, qui id templum conſtruxerit, Suetonius autor eſt. Ex alia vxore Philippi Marcia nata eſt, M. Catonis & Q. Hortenſij vxor, quæ viuo Catone ab Hortenſio expetita eſſe dicitur, & mortuo Hortenſio

ad Catonem rediiſſe. L. Philippum patrem inuenio Gellij vitricum fuiſſe, & Gelliæ Poſtumij matris. Eſt autem is Gellius quem Catullus turpiſſimis verbis proſcidit, in quem Cicero in Sextiana inuehitur frater, vt arbitror L. Gellij Publicolæ viri Cenſorij. Figulos duos tantum conſulares reperio ambos eodem

∴IV∴ prænomine. Prior C. Marcius C. F. Q. N. Conſul cum P. Cornelio Scipione Naſica, qui Corculum dictus eſt, anno DXCI. Sed Figulus e Gallia, Naſica e Corſica redierunt, & abdicarunt ſe conſulatu, quod vitio facti eſſe dicerentur. In eorum locum facti ſunt P. Lentulus, & Cn. Domitius Ahenobarbus. Iterum tamen Conſul ſexto poſtea anno fuit cum L. Lentulo Lupo. cum Delmatis varie pugnauit, victoria tandem potitus eſt. C. Figulum Prætorem fuiſſe inuenio anno DXXCIV. eum hunc ipſum fuiſſe arbitror, & claſſi præfectum fuiſſe. Huius filius C. Figulus Iuriſconſultus cum in petitione conſulatus repulſam tuliſſet, poſtridie fertur conſulentibus dixiſſe, Vos conſulere ſcitis, Conſulem facere neſcitis. Alter conſularis C. Figulus C. F. a Dione appellatur. Figuli Iuriſconſulti, vt arbitror, filius, aut nepos. Conſul fuit cum L. Iulio Cæſare anno DCXXCIX. Ante hos T. Marcius Figulus an. DXXCIV. nuntiauit Senatui palmam enatam in impluuio ſuo.

∴V∴ Reges duos etiam conſulares inuenio, & alterum triumphalem. Prior Q. Marcius Q. F. Q. N. Conſul fuit cum M. Catone Liciniano anno DCXXXV. Proconſule anno proximo triumphum egit de Liguribus Stœneis III. Nonas Decembres. Hic in conſulatu vnicum filium amiſit magnæ ſpei aduleſcentem; eodem die Senatum habuit. Alter Q. Rex ſuperioris vt creditur fratris filius Conſul fuit anno DCXXCV. maioreque parte anni ſolus conſulatum geſſit, propterea quod cum L. Metellus collega initio anni mortuus fuiſſet, & eum qui ei ſuffectus fuerat, antequam iniret, mortuum fuiſſe audirent, religioni habitum eſt Regi collegam creare. Ex hac familia Marcia fuit auia paterna

I. C. Cæſaris Dictatoris. Nam cum is funebri oratione Iuliam amitam, quæ C. Marij ſepties Conſulis vxor fuit, laudaret; eius paternum genus cum diis immortalibus coniunctum eſſe dicebat, cum a venere Iulij eſſent: & maternum ab Regibus ortum; cum ab Anco Marcio Marcij Reges eſſent, quo nomine fuiſſet mater amitæ. Captaſſe quoque P. Clodium A. P. F. Pulchrum conſtat Q. Marcij Regis conſularis hæreditatem, qui tertiam Clodiam eius ſororem duxerat, ex Ciceronis ioco diſcere quis poteſt. Sed ad Conſules reuertamur.

∴VI∴ Ante hos omnes, quos diximus Philippos, Figulos, Reges, Q. Marcius Tremulus fuit, qui bis Conſul, & triumphalis Marciæ genti maximum ornamentum addidit. Priori Conſulatu, quem cum P. Cornelio Aruina geſſit, triumphum egit de Anagnineis, Herniceiſque prid. Kalend. Quinctiles anno CDXLVII. ſtatua ei equeſtris togata ante ædem Caſtorum ſtatuta eſt, quod Samnites bis deuicerat, & Anagnia capta populum ſtipendio liberauerat. Prætorem

V. inuenio vrbanum fuiſſe M. Marcium Rallam anno DXLIX. & biennio poſt Legatum Carthaginem miſſum cum L. Veturio & L. Scipione. ſine cognomine inſignis vir L. Marcius fuit ſeptimi filius eques Romanus, qui morte Publij, & Cn. Scipionis, quorum alter Africani, alter Naſicæ pater fuit, perditas res in Hiſpania collecto exercitu reſtaurauit, & maximos hoſtium exercitus vicit.

Senatum tamen offendit: quod ſe Proprætore appellauerit in litteris, quibus de rebus geſtis eum certiorem fecit. a militibus enim nouo exemplo fuerat dux electus, & Proprætore ſalutatus. Eidem ferunt concionanti caput ardere viſum; clypeumque in Capitolino templo poſitum eſſe, quod Marcium diceretur cum imagine Aſdrubalis ab eo victi. M. Marcius Tribunus Militum VII.
ſecundæ legionis occiſus a Gallis anno DLX. M. Marcius Rex ſacrorum moritur anno DXLIII. quem arbitror patricium fuiſſe. Nam Cicero in oratione ad Pontifices Regem Sacrorum, Flamines, Salios, & ex parte dimidia ſacerdotes, & interregem, & eum, a quo is proditur, patricios eſſe oportere affirmat. L. Marcius cum Q. Fuluio Ædilis Curulis fuit anno DXXCIIX. cum Hecyra Terentij tertio relata eſt, potuit is eſſe L. Marcius Cenſorinus, quem Conſulem fuiſſe diximus poſt annos XVI. De aqua Marcia varietas inter ſcriptores eſt, a quo nomen ſumpſerit. Plinius Marcia inquit, quondam Auſeia, fons ipſe Piconia. Primus eam in Vrbem ducere auſpicatus eſt Ancus Marcius vnus e Regibus: Poſtea Q. Marcius Rex in Prætura, rurſuſque reſtituit M. Agrippa. Marcij, inquit Plutarchus, fuere Publius & Quinctus, qui maximum, pulcherrimumque Romæ aquæductum fecere. Iulius Frontinus anno ab Vrbe condita DCVIII. Ser. Sulpicio Galba, L. Aurelio Cotta Coss. datum eſt a Senatu negotium Marco Titio, qui tum Prætor inter ciues & peregrinos ius dicebat, aquæductuum reficiendorum & vt alias aquas duceret. Is hanc aquam a tertio milliario duxit, cui ab autore Marciæ nomen eſt. Feneſtella quoque refert Marco decreta in hæc opera HS. DCCCIV. & Præturam in alterum annum prorogatam. Sed in verbis Frontini mendum eſſe poteſt, vt pro Marcio, vel pro Marcio Tito M. Titius ſcribatur; nam cur a prænomine Marco Marcia, non a Titio nomine gentis Titia dicta eſt? quamuis Appia & via & aqua a prænomine Appij Claudij dicitur; ſed nonnulli Claudiam aquam dixere, & Appij prænomen genti Claudiæ ita hæſit, vt raro apud alias inueniatur. Augent opinionum varietatem denarij Philippi Monetalis, qui adhuc exſtant, in quibus Anci Regis imago cernitur eius prænomine adſcripto, & aquæ ductus his litteris inſcriptus AQVA MARC. & in eo ſtatua equeſtris cum his litteris PHILIPPVS. Non dubito, quin is Triumvir Monetalis, qui denarium ſignauit, voluerit gentis ſuæ monumenta celebrare, & ſe originem ducere ab Anco Rege ſignificare, & ab eo qui aquam duxerit, & cui ſtatua equeſtris donata ſit, quem fortaſſe antea Tremulũ cognomento appellauimus. Laudatur præterea a Plinio Manius Marcius Ædilis plebis, qui primus frumentum populo in modios aſſibus donauit. Nec eſt omittendus Marcius vates a veteribus Romanis celebratus, quiſquis ille fuit. Sub Auguſto Cæſare duos conſulares fuiſſe video ex Cenſorinorum familia; quorum alter triumphalis etiam fuit. Prior L. Marcius L. F. C. N. Coſ. ex Macedonia triumphum egit Kalend. Ian. anno DCCXIV. eius collega fuit C. Caluiſius C. F. Sabinus Alter ſuperioris filius C. Cenſorinus L. F. L. N. Conſul fuit anno DCCXLV. Tiberij Cæſaris temporibus vnus Q. Marcius Barea cum T. Ruſtio Nummio Gallo Cos. ſuffectus fuit anno DCCXXCIIX. Neque poſt hæc tempora alium conſularem Marcium inuenio. Marciæ Auguſtorum vxores aut concubinæ

hæ a nobis collectæ ſunt. Marcia Furuilla Titi Veſpaſiani filij vxor ſplendidi generis, vt ait Suetonius, ex qua filia nata eſt Iulia, quam Domitianus patruus adamauit. Marcia item Commodi Imp. concubina, quam Amazonis habitu diligebat, & Amazonium ſe, menſemque Decembrem vel Ianuarium appellabat. Hanc dum occidere meditatur, eius conſilio occiſus eſt. Marcia quoque L. Septimij Seueri vxor prior appellata eſt, cui Imperator factus ſtatuas poſuit. Marciæ Otacillæ Seueræ Auguſtæ vxoris Philippi Imperatoris multa monumenta exſtant, & pecunia eius nomine & imagine ſignata. Fuit præterea Marcia Fabij Maximi vxor Liuiæ Auguſtæ valde familiaris: & Marcia Veſtalis cum Licinia prius abſoluta, poſtea damnata, L. Caſſio Quæſitore. cum Sex. Peduceus Tribunus Pl. L. Metellum Pont. Max. & totum collegium Pontificum criminatus eſt male iudicaſſe Æmiliam tantum condemnando, ceteras abſoluendo, vt Aſconius teſtatur in Miloniana.

MINVCIA.

MINVCIAE gentis familia duplex patriciorum & plebeiorum vtraque conſularis. Namque Augurini patricij conſulatus quinque, Decemviratum legibus ſcribendis & Pontificatum Maximum obtinuerunt. Rufi plebei Conſulatus tres, triumphos duos, & Magiſterium Equitum cuius imperium cum Dictatore nouo exemplo eſt æquatum. Præter hos Thermorum familia, quam plebeam fuiſſe exiſtimo, conſularis & triumphalis fuit. Primus
I. M. Minucius Augurinus Conſul fuit cum A. Sempronio Atratino anno Vrbis CCLVI. poſt Reges exactos anno XIII. Iterum cum eodem collega
II. Conſul fuit, vel vt tunc dicebatur, Prætor anno poſt ſuperiorem ſexto. Anno proximo hoc eſt anno CCLXI. Conſul fuerat P. Augurinus cum T. Geganio
III. Macerino. Tertius L. Minucius eodem cognomine ceteris & virtute, & præmiis præcellens Conſul fuit an. CCXCV. cum C. Nautio Rutilo iterum coactus eſt abdicare a L. Quinctio Cincinnato Dictatore. Decemvir legibus ſcribendis fuit anno CCCIII. & proximo, quo abdicare cum reliquis eſt coactus propter Appij Claudij collegæ libidinem, atque potentiam. Idem tamen ſiue alius eiuſdem nominis præfectus annonæ fuit anno CCCXIII. & proximo, quibus Sp. Mælij facinus tyrannidem captantis, quem C. Seruilius Ahala interemit, detexit, & farris pretium trinis nundinis ad aſſem redegit. ob quas res vndecimus Tribunus plebei creatus eſt, & ei ſtatua atque columna ſtipe a populo collata extra portam Trigeminam ſtatuta eſt, non ex Senatuſconſulto, ſed tum primum ex populi decreto, vt Plinius autor eſt. Liuius tantum boue aurato extra portam Trigeminam donatum aſſerit, falſumque eſſe imaginis titulum, quo diceretur vndecimum Tr. pl. cooptatum; cum patricius fuerit, & patres non ſinerent augeri numerum. Exſtant hodie
IV. Augurinorum denarij cum columnæ, & Auguris imagine. Quartus Q.
V. Augurinus Cos. fuit anno CCXCVI. cum C. Horatio Puluillo. Quinctum
VI. inuenio Sp. Augurinum Pontificem Maximum fuiſſe anno CCCXXXV. Poſtremo Ti. Minucium reperio Conſulem L. Poſtumj Megelli in conſulatu

collegam an. CDXLIIX. mortuum eſſe, eique ſuffectum M. Fuluium Curuum plebeium. Quod facit, vt dubitent quidam, num ipſe Minucius plebeius fuerit. Sed mihi non mirum eſſe videtur, vt initio anni duo patricij Conſules fuerint, & poſtea altero mortuo plebeius fuerit ſuffectus. Venio nunc ad Minucios plebeios, quorum vetuſtiſſimus eſt M. Minucius Tribunus plebis anno CCCLII. Ruforum vero primus Marcus ille Minucius, qui Cos. anno I. DXXXII. cum P. Scipione Aſina, & quarto poſtea anno Magiſter Equitum fuit Q. Fabio Maximo Verrucoſſo II. Dictatori, qui cum victorem Hannibalem cunctando coërcuiſſet, eam cunctationem milites ignauiam & ſocordiam appellantes a populo Romano obtinuerunt, vt Minucio cum Dictatore æquaretur imperium. Sed cum id in perniciem ceſſiſſet, niſi Minuciani a Fabianis fuiſſent ſummo periculo liberati, iterum ſe omnes Dictatori ſubiecerunt, eumque Patrem appellarunt. Alter eſt Q. Minucius C. F. C. N. II. Rufus a Verrio dictus. is Conſul anno DLVI. cum C. Cornelio Cethego, triumphum egit de Liguribus & Boiis in monte Albano. Prætor Brutios prouinciam ante triennium obtinuit: & M. Rufus Prætor peregrinis ius dixit, anno conſulatus Q. Rufi. Tertius Q. Rufus, quem aliqui M. appellant, Conſul fuit cum Sp. Poſtumio Albino anno ſecundo belli Iugurthini, hoc eſt vrbis DCXLIII. triumphum egit anno proximo de Scordiſceis & Triballeis ex Thracia. Thermum Conſularem vnum inueni Q. Minucium Q. F. L. N. qui Proprætore anno DLIIX. ex Hiſpania Citeriore triumphum egit, Conſul fuit biennio poſt cum L. Cornelio Merula. Hic Ædilis Curulis cum T. Sempronio Longo anno DLV. fuerat. & ab his ludi Romani qua ter inſtaurati fuerunt. Præturam biennio poſt geſſit in Hiſpania Citeriore, ex qua, vt diximus, triumphum egit. Occiſus eſt anno DLXV. a Thracibus. Prætor M. Thermus fuit, ſub quo C. Iulius C. F. Cæſar poſtea Dictator prima ſtipendia in Aſia fecit. & ab eo in expugnatione Mytilenarum ciuica donatus eſt anno plus minus DCLXXIII. Præter hos inuenio T. Minucium Melliculum Prætorem inter ciues & peregrinos mortuum eſſe anno DLXXIII. C. Minucium Numatium occiſum Cannenſi prœlio, quem Magiſtrum equitum fuiſſe anno proximo, hoc eſt anno vrbis DXXXVI. aliquot dies Liuius aſſerit. Minucia Veſtalis viua defoſſa extra portam Collinam campo ſcelerato nomen dedit anno CDXVI. Lucius Minucius Legatus a Q. Fuluio Flacco miſſus ex Hiſpania Citeriore anno DLXXIII.

MVCIA.

MVCIA gens plebeia quidem, & quæ ſero ad conſulatum peruenerit; tamen clariſſimos viros habuit, & tum Iuris Ciuilis ſcientia, tum grauitate morum inſignes: Conſulatus quinque, Pontificatus Maximos duos, & triumphum obtinuit. Omnes eodem cognomine Scæuolæ ſiue Scæuulæ vſi ſunt, eo excepto, qui primus id cognomen inuenit, quem Cordum a multis, ab Athenodoro Opſigonum appellatum fuiſſe accepimus. Cordi agni, & cordum frumentum, aut fenum dictum eſt, quod ſero naſceretur, aut

matureſceret: idem Opſigonus ſignificat. Scæuola is dictus eſt, quod dexteram in ignem miſerit, cum Porſenam Regem Vrbem obſidentem interimere putans, purpuratum eius ſiue ſcribam occidit: & poſtea ſiniſtra vſus neceſſario eſt. Scæua græca origine ſiniſtram ſignificat, & Scæuula deminutionis cauſſa dicitur, vt ſportula, & animula. Quod vero o littera pro u poſteri in eo nomine vſi ſint, mirandum non eſt, tum propter earum litterarum in multis aliis facilem permutationem, tum propter vſum eius vocalis poſt digamma, quæ raro ab eruditioribus veteribus retinebatur, ſed in o mutabatur. Vnde in nummis paullo poſt cædem C. Cæſaris ſignatis DIVOS IVLIVS. ſic in veteribus Plauti & Terentij & aliorum libris VOLGVS, VOLT, VOLTIS, VOLTVS, & cetera eadem ratione. Sed antiquius eſſe arbitror Scæuulæ vſum, vt Popliculæ, & epiſtulæ, quorum alterum in Publicolam mutatum eſt, alterum licet vt origine græcum, o littera ſcribendum eſſet, non niſi poſt Iuſtiniani tempora eam litteram accepit. Prænomen Cordi varie ſcriptum video. Sunt, qui Caium Mucium, quo prænomine conſulares vſi non ſunt, alij Quinctum vel Publium, quibus frequentius gentiles vſos video, prodiderunt. Ab hoc Mucia prata dicta ſunt ea, quæ virtutis ergo ei donata cum ſtatua eſſe dicuntur. Fuit is annus poſt Reges exactos alter, poſt Vrbem vero conditam CCXLV. Hunc patricium fuiſſe non nemo ſcripſit, ſed cum neque is, nec poſteri magiſtratus obtinuerint ante, quam cum plebeiis

I. communicarentur, id mihi non ſit veriſimile. Primus Conſul P. Mucius Q. F. P. N. Scæuula triumphum egit de Liguribus anno DLXXIIX. eius collega fuit M. Aimilius Lepidus in ſecundo conſulatu. Huius pater vt

II. arbitror Prætor an. DXXXIIX. Sardiniam obtinuit. Publij frater germanus Q. Scæuola Conſul proximo anno poſt fratris Conſulatum fuit cum Sp. Poſtumio Albino Paullulo. Tres ſoles eo anno viſi. Prætores ambo fratres eodem anno fuerunt an. DLXXIV. Publius Pr. Vrbanus fuit, & quæſtionem

III. de veneficiis exercuit. Quinctus Siciliam obtinuit. Tertius P. Scæuola P. F. maximus vir & iuris peritiſſimus Tribunus plebis an. DCXII. aduerſus L. Tubulum, qui Prætor quæſtionem de ſicariis anno proximo exercuerat, & pecunias accepiſſe dicebatur, rogationem pertulit, qua Cn. Cæpioni Cos. ea quæſtio deferebatur. Sed Tubulus in exilium profectus eſt. Prætor fuit quinquennio poſt, & Conſul an. DCXX. cum L. Calpurnio Piſone Frugi. In conſulatu Ti. Gracchi Tr. pl. conatus non ſolum non repreſſit, verum etiam adiuuiſſe cum fratre germano P. Licinio Craſſo Muciano Iuriſconſulto, & anno proximo Pontifice Maximo creato dictus eſt. Quamobrem nobilitas exarſit, & duce P. Scipione Naſica Tiberius occiſus eſt. Pontifex Maximus

IV. fratre in Aſia mortuo, cooptatus eſt anno tertio poſt conſulatum. Quartus eſt Q. Mucius Q. F. quem Augurem Cicero appellat, conſulatum geſſit cum L. Metello Delmatico anno DCXXXVI. Hic ex Lælia Maiore C. Lælij ſapientis filia duas Mucias procreauit, quarum alteram L. Craſſus duxit, alteram C. Marius ſepties Conſul. Craſſus duarum Liciniarum pater fuit, quæ P. Scipioni Naſicæ, & C. Mario filio nupſerunt. C. Lælius minorem filiam C. Fannio M. F. collocauit: qui cum maior natu eſſet, quam Q. Scæuola,

moleſte

moleſte admodum tulit ſibi illum in auguratus collegio prælatum. Horum omnium nomina leguntur in dialogis Ciceronis, qui inſcribuntur Cato maior ſiue de ſenectute, & Lælius ſiue de amicitia, & de Oratore ad Q. fratrem. Hunc etiam Q. Mucium Iuriſconſultum fuiſſe accepimus, quamuis a Pomponio omiſſus ſit, cuius hiſtoria minus vera, & plena eſt. Sequitur Q. Mucius P. F. V.
quem Pontificem, aut Pontificem Maximum, vt ab Augure diſtinguant, appellant. Hic paternam diſciplinam exornauit, maioreſque progreſſus in ea fecit. cuius hodie extant aliquot capita in Digeſtis ex libro definitionum. Conſul fuit an. DCLIIX. cum L. Licinio Craſſo Auguris genero, cum quo alios magiſtratus geſſit excepto tribunatu plebis, in quo Scæuola Craſſo ſucceſſit. Et Scæuola Tribuno in roſtris ſedente legem Seruiliam Q. Cæpionis Conſulis Craſſus ſuaſit an. DCXLVII. quo anno Cicero natus eſt. Ambo Conſules legem Liciniam & Muciam pertulerunt, de ciuibus regendis, vt in ſuæ quiſque ciuitatis ius redigeretur, neque ius ciuitatis Romanæ vſurparet; quam Cicero in Corneliana pernicioſam Reipublicæ fuiſſe dixit. Ex ea enim alienati ſunt animi Italicorum, & belli ſocialis occaſio quinquennio poſt exorta fuit. Prouinciam Aſiam nouem menſes Prætor, vt arbitror, rexit ea iuſtitiæ, æquitatis, & integritatis, ac diligentiæ fama; vt exemplum prouinciarum rectoribus reliquerit, eiuſque edicta Aſiatica in alias prouincias transferrentur, & feſtos dies ſingulis annis deinceps ageret Aſia, quæ Mucia dicerentur, vt tanti viri memoriam quotannis renouarent. Pontifex Maximus fuit an. DCLXIV. triennio poſt in funere C. Marij ſepties Conſulis, C. Fimbriæ perditiſſimi ciuis iuſſu vulnus accepit, ab eodem paullo poſt accuſatus eſt. quadriennio poſt ante Veſtæ templum occiſus L. Licinij Damaſippi Prætoris, qui Marianarum partium erat, auctoritate. Hic non ſolum Iuriſconſultus, ſed etiam orator habitus eſt non contemnendus. Huius ſoror Mucia Manio Acilio Glabrioni nupſit, ex quo Manium Glabrionem peperit, qui Conſul fuit anno DCXXCVI. apud quem Prætorem C. Verres accuſatus eſt. Apud Pomponium mentio exſtat Q. Mucij Voluſi, qui Auli Caſcellij præceptor fuit, a quo P. Mucius Quincti nepos heres inſtitutus eſt. Eum Voluſum Plinius libro octauo Volcatium appellaſſe videtur, defenſumque eſſe a cane narrat, ne a graſſatore occideretur. Sed in vtroque libro mendoſus locus eſt. Apud Aſconium legi Q. Mucium Oreſtinum Tribunum plebis fuiſſe an. DCXXCIX. quem Cicero furti a L. Fuffio Caleno accuſatum priuato iudicio defenderat, ſed Catilinæ in petitione conſulatus fauebat, & in Senatu interceſſerat, ne lex ambitus aucta pœna ferretur. De tertia Mucia Cn. Pompej ter Conſulis tertia vxore, ex qua tres liberos procreauit, quam non ſine adulterij ſuſpicione dimiſſam M. Æmilius Scaurus duxit, Scauri principis Senatus filius, ex qua etiam filium ſuſcepit, alio loco diximus fuiſſe quidem Scæuolæ alicuius filiam, ſororemque vterinam Q. Metelli nepotis, & fortaſſe Q. Metelli Celeris, qui ambo conſulares fuerunt. Ob hanc eamdem Muciam Pompeio obiectum eſt a C. Curione patre, & filio, cur eius, quem Ægiſthum ſolitus erat appellare, filiam vxorem acceperit, hoc de C. Cæſare dixiſſe aliquando Pompeium in memoriam redigebant, regnandique cupiditatem vtrique exprobrantes, quæ ambos ſimul cum Republica tranſuerſos egit.

FFf

NAVTIA.

NAVTIAE gentis origo a Naute comite Æneæ Troiano fuit, cui Palladium a Diomede traditum fuiſſe, & poſteris Mineruæ ſacra ſemper commiſſa, Varro in libris de familiis Troianis prodidit. Itaque ex his patricia familia Rutilorum, maiorum, vt arbitror, gentium ſeptem habuit, qui Conſulatus quinque & Tribunatus Militares cum Conſulari poteſtate
I. quattuor conſecuti ſunt. Primus Sp. Nautius Conſul fuit cum Sex. Fuſio Fuſo Medullino anno CCLXV. Hunc Dionyſius, vt nobiliſſimum adoleſcentem & Mineruæ ſacerdotem, Palladiique cuſtodem, & mox
II. futurum Conſulem ſexto antea anno laudat. Patrem eius Spurium appellant, qui exiſtimant eius filium fuiſſe C. Rutilium bis Conſulem, quem Verrius Flaccus Sp. F. Sp. N. appellat. Eius in priore conſulatu, quem geſſit anno CCLXXIIX. collega fuit P. Valeſius P. F. Poplicola, in poſteriore L. Minucius Augurinus anno CCXCV. Anno viceſimo ab hoc conſulatu Sp. Nautius Legatus Populi Romani a Fidenatibus iuſſu Lartis Volumnij Veientum Regis cum aliis tribus C. Fulcinio, & L. Roſcio, & Tullo Cluuio, ſiue Cœlio, aut C. Iulio Iulo occiſus eſt. Pro Sp. Nautio, quem Liuius & Plinius produnt. Cicero in Philippicis, niſi mendoſus liber ſit,
III. Sp. Antium refert. Horum in roſtris ſtatuæ ex S. C. poſitæ ſunt. Primus
IV. poſt hos Tribunus Militum fuit Sp. Rutilus anno CCCXXIX. Alter Spurius ter eodem magiſtratu functus eſt annis XXXIV. XXXVII. & XLIX. ſupra
V. trecenteſimum. Hunc etiam Verrius Sp. F. Sp. N. appellat. Quinctus
VI. C. Rutilus Conſul fuit cum M. Papirio Mugillano anno CCCXLII. Sextus Sp. Nautius Sp. F. Sp. N. Rutilus, vt Verrius notat, Cos. fuit cum M. Popillio Lænate anno CCCCXXXVII. Poſtremus C. Nautius in conſulatu, quem geſſit an. CDLXVI. collegam habuit M. Claudium Marcellum.

OCTAVIA.

OCTAVIOS Velitris ortos Romam a Tarquinio Priſco tranſlatos in Senatumque adſcitos, a Ser. Tullio patricios factos eſſe Suetonius autor eſt. Velitris vicum Octauium celebrem fuiſſe, & aram Octauio conſecratam, qui belli cum finitimis dux Marti ſacrificans nuncio accepto hoſtes adeſſe, ſacrum imperfectum reliquit, hoſteſque vicit. ex quo decreto publico ſingulis annis exta Marti ſemicruda reddi, reliquias ad Octauios referri ſolitas fuiſſe dicebant. Romæ ad plebem tranſlati conſulatus quinque, triumphum vnum obtinuerunt. Iterum a C. Cæſare Dictatore patricij facti ſunt, vt ſororis ſuæ nepoti, quem poſtea teſtamento adoptauit gratificaretur. Is fuit C. Octauius C. F. C. N. C. PRON. C. ABN. qui poſtea C. Iulius C. F. Cæſar Octauianus Auguſtus appellatus eſt. Primus populi ſuffragio magiſtratum adeptus eſt C. Octauius Rufus, cui Quæſtorio: Cnæus, & Caius filij nati ſunt. Cnæus & qui ab eo orti ſunt, ſummos honores obtinuerunt. Caius eiuſque liberi in equeſtri ordine permanſerunt vſque

ad C. Octauium Auguſti patrem, qui primus Senator fuit, & poſt Præturam Proconſule Macedoniam prouinciam optime rexit. Primus Cn. Octauius I.
Cn. F. Cn. N. vt Verrius ait, cum Proprætore Kal. Decemb. anno DXXCVI. triumphum naualem egiſſet ex Macedonia, & Rege Perſe, biennio poſt cum T. Manlio Torquato Conſul fuit. Hic poſtea miſſus ad Regem Antiochum, cum Rex reſponſum dare differret, Regem, circulo facto circumſcripſit virga, quam gerebat, & ſtatim dare reſponſum coëgit, quod ipſum ab aliis Cn. Popillio tribuitur: ſed huic quidem certe in legatione mortuo ſtatua in roſtris ex Senatuſconſulto poſita eſt. Eidem in palatio domum præclare ædificatam ad conſulatum ſuffragium attuliſſe Cicero ſcribit. Hunc exiſtimo C. Rufi pronepotem fuiſſe. Hunc Feſtus ait porticum Octouiam feciſſe theatro Pompei proximam, quam combuſtam reficiendam curaſſe Cæſarem Auguſtum. eumque fuiſſe refert, Ædilem Curulem, Prætorem, Conſulem, Decemvirum ſacris faciundis, & Triumphalem. Alter Cn. Octauius ſuperioris, vt creditur, II.
filius Conſul fuit cum T. Annio Luſco anno DCXXV. Tertius eodem præno- III.
nomine infelicem conſulatum geſſit cum L. Cornelio Cinna anno DCXVI. nam licet ſeditione cum collega orta, eum ex Vrbe abrogato ei magiſtratu eiecerit & in eius locum ſuffectus fuerit L. Cornelius Merula Flamen Dialis: Cinna tamen cum C. Mario exule, magnoque exercitu aduocato Vrbem ingreſſus eſt: & Octauium collegam, M. Antonium, L. & C. Cæſares occidi iuſſit. Merula quoque Dialis Cos. & Q. Catulus & P. Craſſus Marci diuitis pater, ſibi manus intulerunt, vt crudeliorem mortem effugerent. Quartus Cn. IV.
Octauius M. F. Cn. N. proditur a Verrio, qui cum C. Scribonio Curione Conſul fuit anno DCLXXVII. Hunc magnos cruciatus fortiter pertuliſſe, cum omnes eius artus ardere viderentur, Cicero lib. ſecundo de finibus refert. Poſtremus L. Octauius Cn. F. Cn. N. anno proximo Conſul fuit cum C. V.
Aurelio Cotta. Apud Liuium primus Prætor Cn. Octauius, qui anno proximo Ædilis plebis fuerat, Sardiniam prouinciam obtinuit anno DXLVIII. naueſque onerarias LXXX. Pœnorum cœpit. Sed biennio poſt cum CC. onerariis, & XXX. longis nauibus ex Sicilia in Africam traiiciens aduerſa tempeſtate claſſem amiſit. Hunc exiſtimo patrem fuiſſe eius, qui primus ex hac familia Conſul factus eſt. Redeo nunc ad Auguſti maiores. Proauus Auguſti ſecundo bello Punico ſtipendia in Sicilia Tribunus militum fecit Æmilio Papo Imperatore. Auus Velitris locuples conſenuit, quidam argentarium fuiſſe dixerunt. Pater, vt ex titulo eius ſtatuæ didicimus, Tribunus militum fuit bis, Quæſtor Ædilis plebis cum C. Toranio, quem tutorem filio ſuo reliquit, a quo Triumviro proſcriptus eſt. Iudex etiam quæſtionum fuit, & Prætor, & Proconſule Imperator appellatus eſt ex prouincia Macedonia, Beſſis & Thracibus magno prœlio fuſis. fudit quoque in itinere fugitiuos, qui agrum Turinum occuparant. quamobrem fortaſſe filio cognomen Turini, dum puer eſſet, hæſit. quamuis M. Antonius proauum eius Reſtionem ex agro Turino libertinum exprobaret, eaque de cauſa identidem eum Turinum appellaret. Reſtionis cognomen Antiorum familiæ fuit. Apud Dionem & Xiphilinum Cæpias non ſine mendo ſcriptum cognomen Auguſti eſt. Pater,

dum ad petitionem conſulatus venit, Nolæ mortuus repentino eſt in eodem cubiculo, in quo poſtea Auguſtus filius, quem tum quadrimum reliquit anno DCXIV. Vxores duas habuit Anchariam, ex qua Octauia maior, & Attiam M. Attij Balbi & Iuliæ C. Cæſaris poſtea Dictatoris ſororis filiam, ex qua Octauia maior, & Attiam M. Attij Balbi, & Iuliæ C. Cæſaris poſtea Dictatoris ſororis filiam, ex qua Octauia minor & Auguſtus nati. Balbus paterna ſtirpe Aricinus ex ſenatoria familia, quam Vergilius ab Æneæ comitibus ortam ſignificat illis uerſibus.

Alter Atys, genus vnde Atij duxere Latini,
Paruus Atys, pueroque puer dilectus Iulo.

Maternum Balbi genus Cn. Pompeio magno propinquum fuit. De Octauia minore nihil accepimus. Octauiam maiorem C. Marcellus duxit, ex qua tres liberos procreauit, M. Marcellum generum Auguſti, & filias duas. Mortuo Marcello M. Antonio Triumviro intra decem menſes nupſit, & ex eo duas Antonias peperit; maior Neronis Auguſti auia fuit; minor Tiberij Claudij Auguſti mater, C. Cæſaris Caligulæ auia, Neronis Auguſti proauia. Octauia porticus theatro Marcelli proxima ab hac Octauia maiore ſorore Auguſti facta eſt. Laudauit auiam Iuliam mortuam Auguſtus annos natus duodecim, matrem Attiam amiſit in primo conſulatu viginti annos natus, Octauiam ſororem poſt XXXIV. an. Attia mater L. Marcio Philippo conſulari viro nupſit, ex quo liberos ſuſcepit, vt Dion ſignificat. Octauia quoque appellata eſt Tiberij Claudij Auguſti, & Meſſallinæ filia Neronis Auguſti vxor, a quo occiſa eſt. Præter hos laudantur a Cicerone in Bruto M. Octauius Ti. Gracchi in tribunatu plebis collega, qui num perſeueraret in intercesſione aduerſus leges Sempronias, quas Gracchus ferebat, ei abrogatus eſt tribunatus anno DCXX. Alter M. Octauius Cn. F. qui tantum auctoritate, dicendoque valuit, vt idem ſcribit, vt legem Semproniam frumentariam C. Gracchi populi frequentis ſuffragiis abrogauerit. Cædes C. Gracchi poſt XII. annos fuit, quam Tiberij fratris Tribunatus & cædes. Sed eodem an alio anno hic M. Octauius eam legem abrogauerit, nobis incertum eſt. Tertius M. Octauius M. F. laudatur a Cicerone, vt optimus Senator cum M. Catone patre, & Q. Catulo filio. Sed & L. Octauius Balbus Iuriſconſultus Senator tam in Verrinis, cuius quæſtionis in conſilio fuit, quam etiam in Cluentiana, in qua tamen P. dicitur, maximis laudibus extollitur. Et in eiſdem Verrinis M. Octauius Ligus Senator ornatiſſimus dicitur loco, ordine, nomine, virtute, ingenio, & copiis. Antiquiſſimus Octauius Mamilius Tuſculanus, qui genus ab Vlyſſis filio Tuſculi conditore ducere ſe iactabat, Superbi Regis genera quo Mamilia gens Romæ orta. Sed mihi is Octauus Mamilius dicendus videtur, vt ſimile prænomen ſit Quincto, & Sexto, & Decimo a numero liberorum: & vt ab illis Quinctia, & Decia, ac Decimia familiæ deducuntur, ſic ab Octauo prænomine Octauia gens eſt.

PAPIRIA.

Papiria gens, quam veteres Papisiam vocabant, & patriciorum & plebeiorum fuit. Patricij, quos Cicero minorum gentium fuiſſe teſtatur, his cognominibus diſtinguuntur: Mugillani, Craſſi, Curſores, Maſones. Plebeij Conſulares Carbones tantum fuerunt, non Conſulares alij, vt Turdi, Pæti, atque alij minus frequentes. Patricij multi inſignes viri, & qui ab ipſis initiis libertatis ad annum DXXIII. annis trecentis fere clariſſimi floruerint. Plebeij Carbones viri Seditioſi, & partium mimis bonarum habiti ſunt extremis temporibus Reipublicæ, quibus iam omnia bellis ciuilibus, & ambitione, ac dominandi cupiditate flagrabant. Antiquiſſima Papiſiorum memoria eſt apud Pomponium, qui refert Sextum Papiſium aut Publium, temporibus Superbi Tarquinij Regis leges Regias collegiſſe, eumque librum ius Papirianum a poſteris appellatum. Sed & ab aliis, quo anno Reges exacti ſunt, & C. Papiſius Pontifex Maximus, & Manius Papiſius Rex ſacrorum primus appellatur: & poſt annos LX. M. Papiſium item Pontificem maximum Aſconius, quem Liuius Q. Fuſium Fuſum appellat. Mugillani tres conſulatus, & Tribunatus militares cum conſulari poteſtate totidem, & cenſuram conſecuti
ſunt. Primus L. Papiſius anno poſt Romam conditam CCCIX. cum L. Sempro- I.
nio Atratino Conſul ſuffectus fuit Tribunis Militum, qui eo anno primum cum conſulari poteſtate creari cœpti quod vitio creati fore dicerentur, Cenſor anno proximo cum eodem factus eſt, quem veteres Magiſtrum morum dicebant, vt Conſulem Prætorem prius, & poſtea Iudicem, ac Dictatorem Magiſtrum populi. Hi primi Cenſores quinquennio fuerunt, luſtrumque fecerunt vndecimum. Id munus a Rege Ser. Tullio quater adminiſtratum, ſexies a Conſulibus fuit. Iterum Conſul fuit cum C. Seruilio Ahala anno CCCXXVI. Cicero vnius tantum conſulatus collega Atratino mentionem facit, eumque geſſiſſe refert anno CCCXII. anteaque eoſdem Cenſores ſimul fuiſſe, & ab hoc ad L. Papirium Craſſum Dictatorem tredecim ſellam curulem Papiſios obtinuiſſe. Hunc eumdem inuenio Interregem fuiſſe an. CCCXXXIII.
Alter L. Mugillanus Tribunus Militum fuit biennio ante eum annum, qui II.
fortaſſe idem Interrex fuit. Tertius M. Mugillanus bis Tribunus Militum III.
fuit annis XXXV. & XXXVII. ſupra trecenteſimum, & Conſul quinquennio poſt tribunatum poſteriorem cum C. Nautio Rutilo. Occiſus eſt Vrbe a Gallis capta anno CCCLXIII. cum in Sella curuli ſedenti Gallus barbam prius demulcere cœpiſſet, iſque ſcipione eburneo Gallum percuſſiſſet. Hunc Manium Papirium Plutarchus appellare videtur, licet mendoſe Marius
ſcriptum ſit. Craſſi nouem ſunt conſecuti quinque conſulatus, Tribunatus II.
Militares quattuor, Dictaturas duas, Cenſuras, & Magiſteria equitum totidem.
Primus Marcus ſiue Manius Papiſius Cos. fuit Cum C. Fuſio Pacilo anno I.
CCCXII. Sequitur L. Craſſus bis Conſul & Cenſor: priorem conſulatum geſſit cum M. Cornelio Maluginenſi quinquennio poſt ſuperiorem, & poſt quinquennium, alterum otioſum poſteriorem geſſit cum L. Iulio Iulo. Cenſor

fuit anno CCCXXXV. luſtrumque fecit XIV. eius collega incertus eſt. Hunc
III. ſuperioris filium fuiſſe ex fragmentis Verrij ſuſpicantur. Tertius C. Craſſus
Tribunus militum fuit cum conſulari poteſtate anno CCCLXIX. quo & M.
Manlius Capitolinus necatus eſt, & Ariſtoteles philoſophus natus, vt Gellius
IV. affirmat. Quartus biennio poſt Tribunus etiam militum fuit Sp. Craſſus cum
V. L. Papiſio Craſſo. Hos ſequitur alius L. Craſſus Sp. F. C. N. a Verrio Flacco
VI. dictus, vt Spurij Craſſi filium, Cai Craſſi nepotem, de quibus paullo ante
diximus, fuiſſe ſuſpicemur. Hic Tribunus militum fuit anno CCCXXCIV.
VII. Ventum eſt ad illum L. Papirium Craſſum, qui primus eſt Papiſius vocari
deſitus, vt Cicero teſtatur. Hunc L. F. M. N. Verrius appellat, illius fortaſſe
L. Craſſi filius fuit, quem quincto loco retulimus. Hic & Dictaror & Magiſter
equitum & Cenſor & bis Conſul fuit. Nam cum Prætor eſſet anno CDXIII.
Dictator rei gerundæ cauſſa factus Magiſtrum equitum dixit L. Papirium
Curſorem, de quo paullo poſt agemus. quadriennio poſt Conſul fuit cum
K. Duilio iterumque cum L. Plautio Vennone poſt ſex annos, & Cenſor an.
CDXXXV. cum C. Mainio, luſtrum fecerunt XXV. tunc Ouſentina, &
Falerna tribus auctæ, & Mæniana ædificia ab Mænio Cenſore nomen acce-
perunt. Is enim primus in foro vltra columnas tigna proiici iuſſit, vt ſuperiora
ſpectacula ampliora fierent. Magiſter equitum fuit ſuffectus Q. Fabio Rulliano,
cui imperium abrogauit L. Papirius Curſor Dictator, propterea quod pugnam
aduerſus Samnites commiſerit contra eius imperium eo abſente, quamuis
vicerit. Erat is annus CDXXIIX. & annum proximum idem Dictator, &
VIII. Magiſter equitum ſine Conſulibus egerunt. Eiſdem temporibus M. Craſſus
Dictator rei gerundæ cauſſa Magiſtrum equitum dixit P. Valerium Poblicolam
IX. anno CDXXI. Poſtremus L. Papirius, qui a Verrio T. Manlio Dictatori
Magiſter equitum fuit anno CDXXXIII. comitiorum, vt credimus, cauſſa.
.·. III .·. Hunc tamen Craſſum fuiſſe, & L. F. L. N. nobis incertum eſt. Mugillanos
& Craſſos Curſores ſequuntur. Hi quattuor fuerunt, Dictaturis & Magiſteriis
equitum duobus conſulatibus ſeptem, Tribunatibus militaribus tribus,
I. Cenſuris duabus, & triumphis quinque honorati. Primus L. Papiſius Cenſor
cum C. Iulio Iulo, & eo mortuo cum M. Cornelio Maluginenſe anno
CCCLXI luſtrum ita XVIII. menſes fecerunt ſeptimum decimum. Sed cum
biennio poſt Vrbs capta fuiſſet, religioni fuit Cenſori mortuo alterum
ſufficere, quod a ſuffecto luſtrum conditum ita infelix tunc fuiſſet, quaſi
vero id Galli expectaſſent, vt ante Allienſem pugnam id luſtrum conderetur.
Sic etiam dies atri fuerunt omnibus rebus agendis poſtridie Kalendas, Nonas,
& Idus, quod Allienſis pugna cum Gallis poſtridie Idus Quinctiles commiſſa
foret. In tantis tenebris gens illa verſabatur. Sed ad L. Craſſum redeo.
II. Tribunus militum bis idem fuit anno CCCLXVI. & LXIIX. Quinquennio
III. poſt Sp. Fuſius, quem patrem L. Curſoris quinquies Conſulis eſſe ſuſpi-
cantur. Quod non reiicio. Is enim Sp. F. L. N. teſte Verrio fuit. Idem
Dictator bis, ter triumphalis, & Magiſter equitum fuit, fortiſſimus vir, &
veteris diſciplinæ ſeuerus obſeruator. quem non dubitat Titus Liuius
Alexandro Magno, qui eodem tempore vixit, conferre, excepta ſingulari illa

felicitate & regni faſtigio. Sed magnis ſcriptoribus omnia licent, dum patriam præſertim exornant. Magiſtrum equitum fuiſſe L. Papirio Craſſo Dictatori anno CDXIII. antea diximus, Prætorem fuiſſe exiſtimo anno CDXXI. eiuſque lege Acerranis ciuitatem eſſe datam ſine ſuffragio. poſt annos deinde ſex Conſul fuit cum C. Pœtelio Libone Viſolo iterum anno deinde proximo Dictator rei gerundæ cauſſa duos Magiſtros equitum habuit insignes viros Q. Fabium Rullianum & L. Papirium Craſſum, cui antea Dictatori Magiſter equitum fuerat. In Fabium iratus, quod abſente eo, & interdicente prœlium commiſerat, more maiorum animaduertere voluit, exercitu primum, deinde Senatu veniam impetrante vix ceſſit. Annum ſine Conſulibus alterum in Dictatura exegit, & tertio Nonas Martias anno CDXXIX. de Samnitibus triumphum egit. Triennio mox interiecto biennium iterum & tertio Conſul fuit cum Q. Publilio Philone III. & cum Q. Aulio Cerretano II. collegis, iterumque de Samnitibus Conſul tertium X. Kalend. Sept. anno CDXXXIV. triumphat. Quadriennio poſt cum eodem Philone quartum conſulatum gerit, Collega item quartum Conſule quod tum primum viſum eſt, neque vnquam alias, vt opinor vigente Republica accidit. In quincto conſulatu collegam habuit C. Iunium Bubulcum Brutum II. inter quinctum & quartum conſulatum annus tantum interiacet. Mox quadriennio poſt iterum Dictator eumdem, C. Bubulcum iterum Magiſtrum equitum habuit. Is etiam annus Conſulibus caruit, & tertio triumphum egit de eiſdem Samnitibus Idibus Octobris anno CDXLIV. Huius filius L. Papirius L. F. Sp. N. Curſor IV. Magiſter equitum fuiſſe dicitur L. Cornelio Lentulo Dictatori rei gerundæ cauſſa an. CDXXXIII. & Conſul poſt XXVII. annos cum Sp. Caruilio Maximo de Samnitibus triumphum egit Idib. Febr. anno CDLX. Hic ædem Quirini, quam pater vouerat, dedicauit, & hoſtium ſpoliis exornauit, & in ea Solarium horologium tunc primum Romæ viſum ſtatuit. Prætor anno proximo poſt conſulatum fuit, vt Liuius teſtatur: qui Sp. Papirij fratris Conſulis filij mentionem facit, dum de ementitis auſpiciis in prœlio renuntiatis commemorat: Cenſor cum Manio Curio Dentato fuit, vt Frontinus refert, ſed quo anno incertum eſt. ſunt, qui putent anno CDLXV. luſtrumque feciſſe XXXI. iterum Conſul cum Sp. Caruilio II. poſt XVI. iterum triumphum egit de Tarentineis, Lucaneis, Samnitibus, Brutieiſque. Curſoris cognomen Liuius L. Papirium patrem velocitate curſus aſſecutum teſtatur, ſed nos maioribus hæſiſſe animaduertimus. Maſones multos fuiſſe poſt L. Maſonem Ædilicium IV. Cicero autor eſt. nos vnum Conſularem agnoſcimus C. Papirium C. F. L. N. collegam M. Pomponij Mathonis, qui de Corſeis Cos. III. Nonas Martias anno DXXII. in monte Albano primus ſuis ſumptibus myrtea corona cinctus triumphum egit. Hunc exiſtimo Pontificem minorem mortuum fuiſſe anno DXL. quo etiam anno C. Maſo L. F. Decemvir ſacrorum mortuus eſt. Hic poſt triumphum fonti delubrum dedicauit, vt Cicero lib. III. de natura deorum refert. Huius cognominis origo mihi incerta eſt. Sed arbitror Maſones quaſi Manſones dictos a mandendo vt edones, comedones, gulones, epulones. fieri etiam poteſt, vt amari dicantur, quod maſe fortaſſe dictum

prius, vt aſa pro ara, eſo pro ero, & Fuſij, Valeſij, Papiſij, pro Papiriis, Valeriis, Furiis. Inde etiam P. Vergilij cognomen Maro, quod alios obtinuiſſe non memini. Maximum ornamentum acceſſit huic familiæ, cum Papiria huius C. Maſonis filia L. Æmilio Paullo ter triumphali nupſit, quorum filij duo, filiæ tres fuerunt. filij Corneliæ & Fabiæ familiis per adoptionem inſerti ſunt. Namque P. Cornelius Scipio Æmilianus, poſtea Africanus minor alter eſt: alter Q. Fabius Maximus Æmilianus. Filias in Æmilia retulimus. Apud Liuium inuenio L. Maſonem Prætorem vrbanum fuiſſe anno DLXXVII.

.V. Carbones, quos ſolos plebeios Conſulares libertatis Reip. tempore inuenimus,
I. tres tantum fuerunt. Primus C. Carbo vir maximi ingenij & eloquentiæ Tribunus plebis fuit an. DCXXIII. legem promulgauit de Tribunis reficiendis, quam diſſuaſit minor Africanus, & C. Lælius, qui obtinuerunt, ne lex reciperetur. Sed Africanus anno proximo mortuus domi ſuæ inuentus eſt, non ſine ſuſpicione dolo malo Carbonis interemptum. Legem tabellariam pertulit de iubendis legibus ac vetandis. & Triumvir agris diuidendis cum C. Graccho, & Fuluio Flacco fuit: Conſul mox cum P. Manilio anno DCXXXIII. L. Opimium interfectorem C. Gracchi Conſul defendit. Ita varius & inconſtans fuit, vt modo popularis, modo in partibus optimatium eſſe diceretur. Sed a L. Licinio Craſſo maximo oratore tunc annos nato vnum & viginti accuſatus eſt proximo anno poſt conſulatum, & cantharidas ſumpſiſſe Cicero refert, ne damnaretur. Huius filius C. Carbo in Galliam profectus, vt ſpecularetur, quæ L. Craſſus perperam in prouincia ageret, magno tamen ille animo inimici filio locum in tribunali aſſignauit, & nihil
II. niſi eo in conſilium adhibito decreuit. Alter Conſularis Cn. Carbo fuit collega C. Metelli Caprarij anno DCXL. Is a Cimbreis cum exercitu fuſus fugatuſque
III. eſt. Tertius ter Conſul fuit collega L. Cornelij Cinnæ in tertio, & quarto conſulatu, & C. Marij Caij ſepties Conſulis filij. cum enim morte C. Marij patris L. Cinna Conſul iterum in Vrbe anno DCLXVII. tyrannidem exerceret, in proximum annum ſe, & Cn. Carbonem Conſules deſignauit, cumque anno vertente Conſules creari oporteret, eoſdem Conſules edidit. Sed cum is quartum Conſul ab exercitu fuiſſet occiſus, ſolus Cn. Carbo nullo ſuffecto collega conſulatum geſſit. Tertium poſtea conſulatum anno interiecto cum C. Mario, vt diximus, iniit. Sed aduentu Syllæ hoſtis Italiam deſerere coactus eſt, & perſequente Cn. Pompeio Lilybæi in Sicilia occiſus Conſul eſt in ſecreto turpique loco, dum ventrem exonerare ſe ſimulat, vt vitam prorogaret. eodem anno Conſulis fratrem C. Carbonem Prætorium L. Licinius Damaſippus iuſſu C. Marij Cos. interimi curauit. Hos fratres Cn. filios, C. Nepotes fuiſſe Verrius autor eſt. Patrem a M. Antonio maximo illo oratore accuſatum ſutorio atramento abſolutum Cicero in epiſtula ad L. Papirium Pætum ſcribit. In eadem tres fratres enumerantur Caius, Cnæus, & Marcus Carbones. ex his Marcum repetundarum redeuntem ex Sicilia a P. Flacco accuſatum, Caium a L. Craſſo vt antea ſcripſimus: Cnæum exiſtimo non eum eſſe, quem Cn. Pompeius interfecit, ſed quem M. Antonius accuſauit, & fortaſſe is eſt, quem fuſum a Cimbreis Conſularem diximus.

diximus. vt illi duo Conſulares C. & Cn. fuerint C. filij, & ex Cn. alter Cn. ter Conſul natus ſit. Alij quoque Carbones enumerantur a Cicerone nobis ignoti, Cn. Carbo, & frater eius ſcurra, & Rubriæ filius, qui tunc viuebat, atque amicus eius erat. Omnes contemnendos eſſe iudicat, neminemque laudari poſſe præter eum, quem Damaſippus occiderit. In Verrinis C. Verrem Quæſtorem Cn. Carbonis ter Conſulis fuiſſe, eumque Arimini deſeruiſſe, & ad Syllam tranſiſſe criminatur. Ante hos omnes C. Carbo Prætor Sardiniam prouinciam obtinuit anno DXXCV. cuius filius, aut nepos fortaſſe is eſt, qui primus ex hac familia Conſul a nobis commemoratur. Aliorum Papiriorum ex plebe antiqua memoria exſtat: vt L. Papirij fœneratoris, cuius cognomen vel nullum fuit, vel dedita opera ab hiſtoricis omiſſum eſt. Is in C. Publilium nexum a patre ob æs alienum verbera admouit: quamobrem lege cautum eſt, ne poſtea necterentur, anno poſt Romam conditam CDXXVII. & ante ſex & viginti annos, Quinquevirum Menſalem M. Papirium creatum inuenio, cumque tres collegæ plebei fuerint, vnus Æmilius, qui patricius eſſe potuit, incertum eſt, an is quoque plebeius fuerit. Papiriam tribum ruſticam fuiſſe certum eſt, cauſam nominis ignotam. Vapula Papiria vetus prouerbium cur diceretur, a Feſto diſcere poteris. Sub Cæſaribus tres tantum Conſules inuenio Papirios Ælianos. Primus cum M. Eggio Marullo N. Papirius Cos. fuit an. DCCCCXXXVI. Alter Ælianus triennio poſt cum Tullio Criſpino, quem Papirium fuiſſe incertum eſt. Hi duo temporibus Commodi Imp. Tertius ſub Alexandro cum Maximo Conſul fuit anno DCCCCLXXVI. Sed hic quoque incertus eſt.

PINARIA.

PINARIÆ gentis originis duplex eſt fama. alij eos ante Vrbem conditam
hoſpites Herculis fuiſſe, & ab eo cum Potitiis, qui in ſacrificiis ſunt prælati
Pinariis, ſacerdotes conſtitutos; cum ad aram, quæ poſtea maxima dicta eſt,
decimam boum, quos ex Hiſpania attulerat, ſacrificaſſet: alij a Pino Numæ
Regis filio ortos. Patricios fuiſſe conſtat cognomento Mamercinos, Rufos,
& Nattas. Ex quibus duo tantum Conſules fuerunt, vnus Tribunus
militum Conſulari poteſtate, vnus quoque Magiſter equitum fuit. Primus I.
P. Rufus cum C. Iulio Iulo Conſul fuit anno poſt Romam conditam CCLXIV. II.
Hunc etiam Mamercinum quidam appellant. Alter L. Rufus Mamercinus III.
Cos. fuit anno CCXXCI. cum P. Fuſio Fuſo Medullino. Hunc ſuperioris IV.
filium fuiſſe credibile eſt. Tertius eiſdem nominibus Tribunus militum fuit
anno CCCXXI. cum L. Fuſio Medullino & Sp. Poſtumio Albo Regillenſi.
Quartus L. Natta Magiſter equitum fuit L. Manlio Capitolino Imperioſſo
Dictatori claui figendi cauſſa anno CCCXC. Poſt XIV. annos L. Pinarium
Prætorem fuiſſe inuenio, cuius cognomen ignoramus: & anno DLXXII. M.
Pinarius Poſca Prætor Sardiniam obtinuit, & in ea hoſtes vicit & anno
DXXXIX. L. Pinarius in Sicilia præfectus a M. Marcello Cos. Ennæ Vrbi,
ne Carthaginienſibus proderetur, oppidanos a militibus trucidari curauit.
Denique apud Ciceronem L. Pinarius Natta Pontifex frater vxoris P. Clodij

Pulchri autor fuit adoptionis a P. Fonteio factæ eiuſdem Pulchri, vt Tribunus plebis creari poſſet. Eumdem priuignum fuiſſe ait L. Licinij Murenæ Conſularis.

PLAVTIA.

PLAVTIA gens plebeia quidem fuit, ſed Conſulatibus octo, triumphis duobus Cenſura, & Magiſterio equitum ante Auguſtum ornata. cognomina
I. hæc habuit: Proculus, Venno, Venox, Decianus, Hypſæus, Siluanus. Primus C. Proculus, quem P. F. P. N. appellat M. Verrius, anno Vrbis CCCXCV. Conſul fuit cum C. Fabio Ambuſto. & Idibus Maij triumphum egit de Herniceis. biennio poſt Magiſter equitum fuit C. Marcio Rutilo primo plebeio
II. Dictatori rei gerundæ cauſſa, qui de Tuſceis tunc egit triumphum. Alter C. Plautius cum T. Manlio Torquato Conſul fuit anno CDVI. quem Vennonem ſiue Venocem appellant nonnulli. Sed Flaccus Verrius, & Frontinus Venocis cognomen poſtea Cenſori impoſitum eſſe affirmant. Iterum Conſul fuit ſexto
III. poſtea anno cum L. Aimilio Mamercino. Tertius L. Venno L. Papirij Craſſi in ſecundo conſulatu collega fuit an. CDXXIII. tum domus diruta M. Vitruuij Vacci Fundani in Palatio, quod cum Fundanis & Priuernatibus coniuraſſet. id ſolum poſtea Vacci prata dixerunt. Quartus anno proximo Conſul C. Plautius P. F. P. N. Decianus Hypſæus cum L. Aimilio Mamercino II. de quo paulo ante diximus, quique in hoc honore Priuernas appellatus eſt. Ambo autem Conſules Kalend. Martiis de Priuernatibus triumpharunt. Hypſæi cognomen Verrius omiſit, ex denariis his litteris ſignatis nos addidimus. C. YPSAE. COS. PRIV. CEPIT. & in aliis C. HVPSAE. COS. PREIVE. CAPTVM, quibus ſignificatur, Caius Hypſæus Conſul Priuernum cepit: & Caio Hupſæo Conſule Priuernum captum. Deciani cognomen oſtendit hunc adoptione ex Deciis ad Plautios perueniſſe: ſed cum prænomine a patre diſtinguatur; hic enim Caius, ille Publius dicitur: ſuſpicor Deciani cognomen fuiſſe hereditarium, & patrem potius, qui eodem prænomine eſt cum auo adoptatum fuiſſe. Omnes enim adoptiuos filios eo tempore adoptantis prænomen, & nomen accepiſſe nouimus. Fuit eiſdem temporibus P. Decius Q. F. Mus Collega T. Manlij Torquati in tertio conſulatu anno quadringenteſimo tertio decimo. is qui primus ſe
V. deuouit pro Republ. Romana. Sequitur C. Plautius C. F. C. N. qui Cenſor cum App. Claudio Cæco fuit anno quadringenteſimo quadrageſimo primo: & propter venas aquarum ab eo repertas, aqua quidem Appia ſiue Claudia dicta eſt: Plautius autem Venox. Hic a collega deceptus eſt. nam cum finxiſſet ſe velle poſt decem & octo menſes abſtinere munere Cenſuræ, vt ceteros Cenſores; poſt abdicationem Plautij variis artibus vſus Appius viam Appiam, & aquæductum perfecit. Conſul Plautius hic Venox fuerat anno quadringenteſimo vigeſimo quincto cum P. Cornelio Scapula Scipione. Sunt qui Venocem antea cognomento Proculum dictum fuiſſe contendant, & prænomine Publium. nos Verrij Cenſuram

ſecuti ſumus. Ex his apparet tres Plautios tribus continuis annis conſulatum obtinuiſſe nemine alio plebeio interiecto L. Vennonem, C. Decianum, & C. Venocem. Sextus conſularis L. Venno fuit, quem Verrius L. F. L. N. appellat, VI.
eiuſque collegam M. Foſlium C. F. Flaccinatorem anno quadringenteſimo trigeſimo quincto. Poſtremus M. Hypſæus Conſul fuit cum M. Fuluio VII.
Flacco anno ſexcenteſimo vigeſimo octauo, longo quidem certe a ſuperioribus interuallo. Medio tempore inuenio Lucium Plautium Hypſæum Prætorem Hiſpaniam citeriorem obtinuiſſe anno quingenteſimo ſexageſimo quarto. Poſtea vero anno Vrbis ſeptingenteſimo P. Plautius Hypſæus cum T. Annio Milone & Q. Metello Scipione conſulatum tanta contentione petiiſſe traditur, vt in alterum annum comitia conſularia fuerint dilata. quoad P. Clodius Pulcher, qui tum etiam Præturam petebat, & Hypſæo fauebat, a Milone occiſus tertio decimo Kalend. Feb. cauſam dedit, vt Cn. Pompeius ſolus ex S. C. ab Interrege v. Kalend. crearetur eius Quæſtor idem Hypſæus fuerat, eique in petitione fauebat, ſed damnato Milone Scipionem ſocerum collegam Kalend. ſextil. accepit. Sub Cæſaribus quinque Siluanos Plautios conſulares fuiſſe video, quorum vnus bis Conſul duo triumphalia ornamenta aſſecuti ſunt. Primus M. Plautius M. F. A. N. Septemvir Epulonum in conſulatu collega fuit Imperatoris Auguſti in tertio decimo conſulatu anno Vrbis DCCLI. quo anno Salus generi humani nato Chriſto Domino exorta eſt. in titulo cuiuſdam monumenti huius M. Siluani in Tiburtino agro reperti, quem Lartia Cn. F. vxor, & A. Plautius M. F. Vrgulanius poſuerunt, adiectum eſt. Huic Senatus triumphalia ornamenta decreuit ob res in Illyrico bene geſtas: Id obtinuiſſe creditur anno DCCLXI. Eius filium eumdem illum A. Plautium fuiſſe arbitror, cui ouationem Tiberius Claudius Imperator decreuit ex Britannia redeunti anno plus minus DCCXCIIX. Apud Tacitum eiſdem temporibus inuenio Plautium Siluanum Prætorem anno DCCLXXVI. accuſatum apud Ti. Cæſarem a L. Apronio ſocero, quod vxorem Aproniam præcipitem egiſſet, atque ita interemiſſet, eique Vrgulaniam auiam pugionem miſiſſe, quæ ob amicitiam Liuiæ Auguſtæ plurimum eo tempore poterat; Plautium fruſtra ferro tentato venas excidendas præbuiſſe. Eius priorem vxorem Numantinam, quod veneficiis ei mentem abſtuliſſet, accuſatam abſolutam fuiſſe. Alter II.
conſularis Ti. Plautius M. F. M. N. Siluanus Ælianus bis Conſul fuit. Priori conſulatu ſuffectus ex Kalend. Martiis anno DCCXCIX. ſub Ti. Claudio Imperatore poſteriori ex Kalend. Iuliis ſuffectus cum Domitiano Cæſare ſub Veſpaſiano poſt annum XXIX. quamuis non ſatis certa ſint vtriuſque temporis conſulatus teſtimonia. Hunc ſuperioris M. Siluani filium fuiſſe credimus. exſtatque titulus etiam in agro Tiburtino alterius monumenti, ex quo apparet hunc in Præfectura Vrbis iterum Conſulem a Veſpaſiano Imperatore factum eſſe. Sed & Pontificem fuiſſe, & ſodalem Auguſtalem, & Triumvirum Monetalem, Quæſtoremque Ti. Cæſaris, Legatum egionis quinctæ in Germania, Legatum & Comitem Claudij Cæſaris in Britannia, Proconſulem Aſiæ, Legatum Proprætore Mœſiæ, & poſt alia ab eo geſta ita ſcriptum eſt. Hunc Legatum in Hiſpaniam ad præfecturam Vrbis remiſſum Senatus in

„ præfectura triumphalibus ornamentis honorauit autore Imp. Cæſare Auguſto
„ Veſpaſiano verbis ex oratione eius Q. I. S. S. hoc eſt, quæ infraſcripta ſunt.
„ Mœſiæ ita præfuit, vt non debuerit a me differri honor triumphalium eius
III. „ ornamentorum. Tertius M. Siluanus, qui cum M. Saluio Othone, qui poſtea imperium tenuit, ex Kalend. Iuliis ſuffectus eſt anno octingenteſimo
IV. vigeſimo ſub Ser. Galba Imp. Quartus M. Siluanus cum M. Annio Vero Pollione anno octingenteſimo triceſimo tertio ſub Tito Veſpaſiani F. Conſul
V. fuit. Quinctus, cuius prænomen ignoramus, Conſul fuit cum Sentio Augurino anno DCCCCIIX. ſub Pio Aug. Præter hos inuenio P. Plautium Pulchrum Plautiæ Herculanillæ vxoris Ti. Claudij Imp. fuiſſe triumphalis viri filium, & ab eodem Claudio Cenſore inter patricios lectum, eumdem Augurem, Triumvirum Monetalem, & Quæſtorem Ti. Cæſaris Auguſti quincto conſulatu. Plautia Druſum, & Claudiam ex Claudio peperit, mox ab eo repudiata multa aduerſus eam criminato: Filiam ante quinctum menſem diuortij natam, alique iam cœptam exponi ante matris ianuam nudam iuſſit, cum a Liberto ſuo Botere conceptam diceret. Druſus puer ludens a pyro ſtrangulatus eſt. Antiquior his Plautius Rufus, qui in iis, qui aduerſus Auguſtum coniurarunt, enumeratur. conſularem quoque ſub Tiberio Cæſare inuenio Q. Plautium Q. F. Lælianum, qui anno Vrbis DCCXXCIIX. poſt Chriſti mortem anno tertio Conſul fuit cum Sex. Papinio Q. F. Gallieno. Sub Nerone autem Plautius Lateranus Conſul ſuffectus occiſus eſt anno DCCCXVII. Ab eodem Nerone A. Plautius nobilis puer, quod a matre Agrippina diligeretur, & iniuria affectus, & occiſus eſt. Denique duos Plautios Quinctillos conſulares fuiſſe conſtat, alterum ſub Pio Auguſto cum Statio Priſco anno DCCCCXI. alterum ſub Marco & Commodo poſt annos XVIII. cum eodem Commodo Imp. quem etiam Augurem fuiſſe affirmant. Ad extremum addam Plautillam Auguſtam M. Aurelij Antonini Seueri filij Auguſti vxorem, Plautiani Præfecti Prætorio, & bis ter Conſulis, qui multum Seueri temporibus potuit filiam fuiſſe: ſed a genero ſocer, & a viro vxor, & frater vxoris Plautus occiſi ſunt. Afer is fuit ſordidis natalibus vt Seuerus Imperator eius vel propinquus, vel municeps, & a pueritia carus. Plautiorum nomen, vt aliarum quarumdam familiarum a cognomine Plauto ductum eſt, ſic Planciorum a Planco, Variarum a Varo, Iuliorum a Iulo. Plauti autem ſiue Ploti dicebantur, qui planis ſupramodum pedibus eſſent: quamobrem M. Attius Sarſinas Vmber, cuius exſtant comœdiæ initio Plotus, poſtea Plautus appellatus eſt. Hinc etiam Plotij dicti ſunt, qui a Plautiis non diſtinguuntur, vt nec a Claudiis Clodij: Sic Paula Polla, & aula olla & plauſtrum ploſtrum, vnde ploſtellum dicitur. Cn. Plotij Planci proſcripti a Triumviris Lepido, Antonio & Octauiano a Paterculo mentio fit, cuius frater L. Munatius Plancus Cos. triumphum egit de Galleis cum M. Æmilio Lepido II. anno DCCXI. cumque diceretur vterque Conſul fratrem proſcribendum curaſſe: celebratum eſt a militibus carmen non infacetum de Germaneis, non de Galleis, duo triumphant Conſules. Hunc proſcriptum odore vnguenti detectum fuiſſe ferunt, cumque eius ſerui torquerentur, vt indicarent

dominum & pernegarent, non paſſum ſeruorum fidelium cruciatus; & ſe iugulandum militibus obtuliſſe: Eſt etiam celebris duorum Plautiorum ergà coniuges amor, M. Plautij, qui cum a Senatu iuſſus eſſet claſſem ſociorum ſexaginta nauium in Aſiam ducere, & Tarentum cum vxore Oreſtilla veniſſet, vxore illic defuncta cum eam in rogum impoſitam oſculatur, ſtricto ferro ſeipſum interemit. Et ambo combuſti coniuges ſimul ſunt, ſepulchrumque amantium id a Tarentinis poſtea fuit appellatum. Necnon C. Plautij Numidæ, qui morte vxoris audita, pectus gladio transfixit: cumque a domeſticis curaretur, ruptis faſciis, & diſciſſo vulnere periit. Laudandus quidem vtriuſque amor, ſed præter modum vterque dolore vexatus eſt.

POMPEIA.

POMPEIA gens plebeia, ex qua nemo ante annum ſexcenteſimum duodecimum conſulatum fuerat adeptus, poſtea conſulatus ſex, triumphos quattuor, cenſuram vnam conſecuta clariſſima exſtitit. Eam Cn. Pompeius cognomento Magnus præſtantiſſimus vir totius ciuitatis Romanæ illuſtriorem reddidit, quem libertatis vnicum aſſertorem ac vindicem Reſpublica habuit aduerſus C. Cæſaris potentiam nimis excreſcentem, a qua ſuperatus cum ipſa libertate extinctus eſt. Primus Q. Pompeius, quem quidam Rufum, alij I.
Aufidum, alij A. F. appellant, obſcuris parentibus natus, tibicinem patrem ei exprobabant inimici, conſulatum aduerſus conatum Africani minoris, qui C. Lælio amico ſuffragabatur, adeptus eſt cum Cn. Seruilio Cæpione anno ſupraſcripto. In Hiſpania victis Thermeſtinis, ſiue Termantinis cum eiſdem, & Numantinis iniquum fœdus iniit. Cenſor fuit cum Q. Metello Macedonico anno DCXXII. Luſtrum fecerunt ambo tum primum Cenſores plebei LIX. Multum dicendo potuit, & inimicitias cum clariſſimis viris Cæpionibus & Metellis geſſit. eius orationes vt plenas prudentiæ Cicero laudat. eius ex filia nepos fuit C. Sicinius, qui Quæſtorius mortuus eſt, & aliquem locum in patronorum numero tenuit. Sunt, qui putent Q. Pompeium Q. F. Rufum, II.
qui Conſul cum L. Cornelio Sulla fuit anno DCLXV. illius conſularis, & Cenſorij filium fuiſſe. Id nobis incertum eſt: certum vero eius filium Q. Rufum duxiſſe Corneliam L. Sullæ alterius Conſulis filiam, ex qua Q. Rufum, & Pompeiam C. Cæſaris C. F. vxorem ſuſcepit. Sed gener Sullæ eodem anno a C. Mario, & ipſe Rufus Conſul ab exercitu Cn. Pompeij Strabonis, quem inuito Senatu obtinebat, in ſacrificio occiſus eſt. Pompeiam Cæſar dimiſit, cum comperiiſſet P. Clodium Pulchrum domi ſuæ muliebri veſte deprehenſum, dum ſacra Bonæ Deæ in eius domo fierent. Teſtis in Clodium productus dixit ſe nihil ſcire, & diuortium feciſſe, quod vxorem Cæſaris ſuſpicionibus non minus quam criminibus carere oporteret. De Cn. Strabone patre Cn. Magni nunc dicendum eſt. Hunc Verrius Flaccus Sex. F. Cn. N. appellat. Eius frater Sextus & vt iuris peritiſſimus, & vt optimus philoſophus III.
laudatur Stoicæ diſciplinæ & Geometriæ ſcientiæ deditus. Prænomen patris ſimile oſtendit maiorem fuiſſe Strabone fratre. honoribus videtur prætuliſſe

earum rerum, quas diximus, ſcientiam. Strabo bello Marſico Prætor a Picentibus victus, mox Conſul eoſdem alioſque vicit VI. Kalend. Ian. anno DCLXIV. de Aſculaneis Picentibus triumphum egit. eius collega fuit L. Porcius Cato, qui in prælio occiſus eſt. Multæ tranſpadanæ Coloniæ ab eodem deductæ ſunt, quibus ius Latij dedit, vt qui in eis magiſtratus gererent, ius ciuitatis Romanæ adipiſcerentur. Biennio poſt conſulatum bello ciuili Octauiano, dum vtramque partem fouet, vtriſque inuiſus fulmine ictus interijt. Ex Lucilia vxore Senatoria familia orta, fratre C. Lucilij poëtæ, cuius Satyræ
IV. veteribus placuerunt, nata Cn. Pompeium, & Pompeiam C. Memmij vxorem ſuſcepit. C. Memmius Quæſtorius vir C. Memmium Tribunum plebis procreauit, qui ex Fauſta Sullæ Dictatoris filia tertium, C. Memmium ſuſcepit, cuius in oratione pro Scauro ab Aſconio fit mentio. Cn. Pompeius annos natus tres & viginti Sullanas partes ſecutus, exercitu priuato conſilio ex agro Piceno propter paternas clientelas ei addicto coacto, ad Sullam redeuntem in Italiam venit, a quo magno honore ſuſceptus eſt. Ei enim ſoli ex equo deſcendere, caput aperire & aſſurgere ſolitus, cum omnes Marianos ex Italia profligaſſet, vt reliquias perſequeretur, in Siciliam aduerſus Cn. Carbonem Conſulem, in Africam aduerſus Cn. Domitium Ahenobarbum, in Galliam Togatam aduerſus M. Brutum Bruti Cæpionis patrem, & poſtea in Hiſpaniam contra Q. Sertorium & M. Perpernam miſit. Hos omnes vicit & interfici curauit. Triumphum bis Eques Romanus egit, nullo prius honore publico ſuſcepto a populo, ex Africa de Hiarba Mauretaniæ Rege anno DCLXXII. & decennio poſt ex Hiſpania pridie Kal. Ian. Conſul deſignatus in proximum annum cum M. Licinio Craſſo. eodem tempore Tribuniciam poteſtatem a L. Sulla Dictatore deminutam reſtituit, hoc eſt vt concilium habere, & plebem rogare Tribunus plebis poſſet: Sulla enim intercedendi tantum poteſtatem reliquerat. Poſt conſulatum in Aſiam profectus, Mithradatem & Tigranem Reges domuit, multaſque barbaras nationes ſubegit. de quibus omnibus & de piratis biduo triumphauit tertio & pridie Kalend. Octobres decennio poſt alterum triumphum, hoc eſt anno DCXCII. pridie & die natalis ſui. Sexto deinde anno iterum Conſul cum eodem M. Craſſo collega fuit. Tertium conſulatum ſine collega occiſo P. Clodio a T. Annio Milone, nouo more a Senatu accepit, V. Kalend. Sextilibus Q. Metellum Scipionem ſocerum collegam habuit. Huius filia vxor eius quincta fuit nomine Cornelia, quæ prius P. Craſſo M. Craſſi collegæ eius filio nupſerat. Duxit adoleſcens Antiſtiam P. Antiſtij viri prætorij filiam, & Calpurniæ L. Beſtiæ filiæ. Hanc duxit vt ſocero gratificaretur, qui de magna re pecuniaria eius iudex erat. peculatus enim, ſiue de reſiduis accuſatus fuiſſe dicitur propter patris rapinas eo mortuo, & defenſus a Q. Hortenſio. Abſoluto eo plerique adoleſcentes Thalaſſium acclamauerunt, vt in nuptiis tunc ſolebat. Antiſtiam dimittere coactus eſt, vt Sullæ priuignam ex altero viro grauidam duceret Æmiliam, M. Scauri Principis Senatus filiam, & Metellæ vxoris Sullæ Dictatoris. parentes Antiſtiæ tragediæ argumentum fuerunt. namque patrem L. Licinius Damaſippus occidi iuſſit, Calpurnia audita viri cæde, & diuortio filiæ ſeipſam interemit.

neque Æmilia diu læta his nuptiis fuit, ſed ex abortu periit. Mucia Tertia Scæuolæ, cuius prænomen ignoramus, filia ſucceſſit, ex qua Magnus liberos procreauit, ſed eam vt parum pudicam etiam dimiſit; quam duxit M. Scaurus vir prætorius Æmiliæ alterius vxoris frater. Quarta vxor Iulia fuit C. Cæſaris tunc Conſulis filia ex Cornelia Cinnæ quater Conſulis filia; quam Seruilio Cæpioni collocatam abſtulit pater. Hæc dum vixit, vinculum coniunctionis inter Cæſarem, & Pompeium fuit; quo ſublato morte Iuliæ ex ab ortu, & mox filiæ formidabilis Cæſar Pompeio effectus eſt. Is quoque dum timet damnationem, ſe non ſolum tutari, ſed etiam armis arreptis imperare ciuibus conatus eſt. Multa tunc Pompeium fefellerent, neque enim credidit auſurum Cæſarem cum exercitu in Italiam venire, & maiori exercitu putauit ſe oppreſſurum eius conatus. Cum ea mira Cæſaris celeritate fuiſſent occupata, ex Italia cum Magiſtratibus profugus magnam ex prouinciis manum coëgit. Victus tandem eſt anno DCCIV. in acie Pharſalica, & in Ægyptum fugiens, vt Ptolemæi auxiliis bellum repararet, a ſatellitibus Regis occiſus die proximo poſt eius natalem annos natus vndeſexaginta in oculis vxoris Corneliæ, & alterius filij. Caput, & annulus in quo ſculptus leo gladium tenens, vt Plutarchus ait, ſiue tria trophea, vt Dion prodit, Cæſari dati ſunt. is collacrymans percuſſores occidi iuſſit. Filios reliquit Cn. & Sex. & Pompeiam L. Cornelij Felicis filij Fauſti vxorem. Cnæus vt arbitror, Appij Pulchri Conſularis Cenſorij viri filiam duxit, Sextus Scriboniam L. Libonis filiam, cuius Libonis ſoror Auguſti vxor fuit, & ex ea Iulia nata eſt. Ambo fratres in Hiſpania aduerſus Cæſarem acriter pugnarunt, victique ſunt non ſine magno Cæſaris periculo, qui cum aliis de gloria, cum his de ſalute ad Mundam contendit. Cnæus captus occiſuſque eſt, Sextus, quem magnum, & Pium appellatum fuiſſe, & Neptuni filium conſtat, ſuperſtes Cæſaris fuit. cum Octauiano varie pugnauit, pacemque cum eodem, & M. Antonio Triumviris fecit. Præfectus claſſis, & oræ maritimæ ex S. C. & Imperator iterum dictus diu Siciliam tenuit. Tandem a M. Antonio in Ægypto occiſus eſt Conſul deſignatus in annum DCCXX. Dubitat Paterculus duæne, an tres fuerint Pompeiorum familiæ: neque enim Pompeius Magnus, & Rufus ex eadem familia fuerunt, & præter hos fuerunt alij Bithynici cognomento. Nam Cicero in Bruto ita ſcripſit. "Q. Pompeius A. F. qui Bithynicus dictus eſt, biennio quam nos fortaſſe maior, ſummo ſtudio dicendi, multaque doctrina, incredibili labore, atque induſtria." De eo vt mortuo loquitur, occiſus autem fuerat cum Cn. Pompeio Magno. Eius filius A. Bithynicus a Sex. Pompeio Cn. F. poſtea occiſus eſt. Quod vero Plinius ſcribit, mortuum fuiſſe repentino A. Pompeium in Capitolio Iouem ſalutantem; ſunt, qui ad patrem Q. Bithynici referant, quod incertum eſt. Conſulares ſub Auguſto tres inuenio ſine cognomine. Sextum Pompeium Sex. F. qui cum L. Cornificio L. F. Conſul fuit anno DCCXIIX. Cn. Pompeium ſuffectum ex Kal. Octob. poſt quadriennium, & Sex. Pompeium Sex. F. qui cum Sex. Appuleio Sex. F. Conſul fuit an. DCCLXVI. quo anno Auguſtus mortuus eſt. Poſt Auguſtum ante Hadrianum quinque, quorum vnus bis Conſul fuit. ex his duo Siluani

cognomine, vnus conlega bis Conſul, vnus Longinus Gallus, vnus Paullinus fuerunt. Siluanus prior Conſul ſuffectus cum M. Cluuio Rufo an. DCCXCVII. ſub Ti. Claudio Imp. Poſterior Vopiſcus Siluanus cum T. Verginio Rufo Cos. ſuffectus ex Kal. April. anno DCCCXXI. ſub Vitellio. Medio tempore C. Pompeius Longinus Gallus cum Q. Verannio Coſ. fuit anno DCCCI. ſub Claudio, quo anno Olympias CCVII. Solino teſte actis publicis notata. Octauo deinde anno Conſul ſuffectus Pompeius Paullinus cum Ducennio Gemino ex Kal. Iuliis ſub Nerone. conlega bis Conſul fuit, ordinarius ſub Domitiano anno DCCCXLV. cum Cornelio Priſco, ſuffectus quadriennio poſt ſub Nerua. Hunc etiam Siluanum appellatum inuenio. Incerti temporis Conſul fuit Cn. Pompeius Ferox Licinianus cum C. Pomponio Rufo vt ex titulo cuiuſdam monumenti Idibus Octobris dedicati conſtat. Antiquior memoria eſt Cn. Pompei Magni nobiliſſimi adoleſcentis, cui Ti. Claudius Imp. Antoniam filiam collocauit, & poſtea Fauſto Sullæ, priori genero interempto. Item Scribonij Libonis Druſi, cuius proauus Pompeius, amita Scribonia Auguſti vxor, conſobrini Cæſares, quem Tiberius Cæſar, vt ſe interimeret, coëgit Idibus Sept. anno DCCLXIIX. Hunc exiſtimo filia Sexti Pompej Magni natum fuiſſe. . . . .

. . . .

Deſiderantur alia.

PARISIIS,

Ex Typographia PETRI VARIQVET, viâ Iacobæâ, ſub ſigno Craticulæ, prope S. Benedictum.

M. DC. LXII.

SCRIPTORVM INDEX,

Quorum loca in hoc libro Citantur, Emendantur, vel Supplentur.

Acro Horatij interpres.
Agellius.
Angelus Politianus.
Antonius Auguſtinus.
Apollonius Rhodius.
Appianus Alexandrinus.
Emendatus in lib. II. bell. ciuil. 264. in lib. IV. 262. in lib. V. 78. 272. Mithradatico, 216.
Ariſtophanes.
Arnobius.
Aſconius Paedianus.
Athenaeus.
Auguſtinus.
Auſonius.
Bernardinus Rutilius.
Caelius.
Emendatus in ep. IV. li. VIII. ad Ciceronem 154.
Callimachus.
Carolus Sigonius.
Caßiodorus. Emendatus 35.
Cenſorinus.
Claudianus.
Columella.
Cornelius Nepos, de vita Attici.
Emendatus 268.
Cornelius Tacitus.
Emendat. in lib. I. 35. in lib. III. 271. in lib. XII. 83. in lib. XVIII. 269. 191. 241.
Cyprianus.
Dio. Emendatus 47. 191. 4. 11.
Dionyſius Halicarnaſſeus,
Emendatus in lib. I. 236. 5.
Dionyſius Lambinus.
Ennius.
Epigramma in Claudianum.
Eumenius.
Euripides.
Faſti.
Suppleti 61. 86.
Flauius Vopiſcus.
Florus. Emendatus 216.
Frontinus.
Gregorius Giraldus.
Hirtius.
Homerus.
Horatius.
Emendatus in lib. I. ode XXIX. 124. in lib. II. ode XI. 236. in lib. I. Sat. V. 294.
Ioannes Faber.
Emendatus 200.
Ioſephus.
Iulius Hyginus.
Iulius Obſequens.
C. Iulius Caeſar.
Emendatus in lib. I. de bel. Gal. 177. in lib. V. 123. in lib. III. de bel. ciuili. 82.
Iuſtinus.
Iuuenalis.
Lactantius Firmianus.
Licinius Caluus.
Lipſius. Emendatus. 241.

Liuius.
Emendatus in lib. xxxiv. 84. in lib. xxxv. 230. 4. 5.
Lucanus.
Macrobius.
Nonius Marcellus.
Emendatus. 7.
Ouidius.
Palladius.
Paulus Oroſius.
Perſius.
Plato.
Plautus.
Plinius.
Emẽdat. 35. 243. in lib. viii. cap. 36. 100.
Plinius Iunior.
Plutarchus.
Emendatus, 46. 255. 413.
Pollux.
Pompeius Feſtus.
Emendatus, 235.
Pomponius Iuriſconſultus.
Pomponius Mela.
Pomponius Porphyrio.
Emendatus 294.
Porphyrius.
Probus in Catholicis.
Propertius.
Ptolemaeus.
Quinctilianus.
Salluſtius.
Seneca. Emendatus, 46.
Seruius.
Emendatus in lib. viii. Aen. 293.
Sidonius Apollinaris.
Silius Italicus.
Solinus, Emendatus 35.
Sophocles.
Strabo.
Emendatus 198.
Suetonius.
Emendatus in Caeſare cap. lxxxii. 259. in Auguſto, 243. 288.
Suidas Grammaticus.
Theocritus.
Tibullus.
Triſtanus a Sancto Amante.
Emendatus 33.
Tullius Cicero.
Emendatus 288. in lib. xii. ad Atticum 265. in epiſt. i. lib. iii. ad Q. Fratrem 182. in ep. viii. eiuſdem lib. 154. in orat. pro P. Sext. 72. in orat. pro Fonteio 114. in lib. Philipp. ii. 258. in lib. iii. 124. in lib. ix. 78. 280. 410.
Q. Tullius Cicero de petitione conſulatus.
Tullius Laurea.
Valerius Catullus.
Emendatus 188.
Valerius Maximus.
Emendatus in lib. vi. cap. i. 117. cap. viii. 213.
M. Varro.
Velleius Paterculus.
Emendatus in lib. ii. 161. 237.
P. Victor.
Emendatus in regione viii. 230.
Virgilius.
Emendatus in lib. viii. 293.
Vitruuius.
Xiphilinus.
Emendatus 411.
Zonaras.

INDEX NVMISMATVM ANTIQVORVM

Stante Republica cuſorum,

Quæ primus detexit, & in lucem edidit,

CAROLVS PATIN.

Maiuſculis caractheribus notantur illa Numiſmata quæ Antiquarijs huc vſque incognita ignotas Familias Romanas detegunt.

ABuria,	2	Domitia,	4	Pedania,	1
Acilia,	3	Durmia,	2	Petronia,	3
AEBVTIA,	3	Egnatia,	1	Pinaria,	1
Aelia,	1	Eppia,	1	Plotia,	2
Aemilia,	7	Fabia,	2	Pompeia,	2
Afrania,	1	Fabrinia,	1	Pomponia,	2
Annia,	1	FADIA,	1	Porcia,	2
Anteſtia,	1	Fonteia,	1	Poſtumia,	1
Antiſtia,	1	Fufia,	1	PROCVLEIA,	2
Antonia,	21	Gallia,	2	Quinctia,	3
APVLEIA,	1	HELIA,	1	QVINCTILIA,	2
Apronia,	2	Iulia,	16	RABIRIA,	1
Aquillia,	1	Iunia,	6	RVBELLIA,	1
Arria,	3	Licinia,	10	Rubria,	3
Aſinia,	1	Liuineia,	3	Saluia,	1
ATIA,	1	Lollia,	4	Sanquinia,	1
Atilia,	4	Luria,	2	Saufeia.	1
Aurelia,	3	Mæcilia,	3	Scribonia,	1
Axſia,	2	Mamilia,	1	Sempronia,	5
Bœbia,	2	Manlia,	1	Sentia,	2
BELLIA,	1	Marcia,	4	Sepullia,	1
BETILIENA,	1	Maria,	1	Seruilia,	5
Cæcilia,	5	Mettia,	1	Silia,	3
Calpurnia,	4	Minatia,	1	Statilia,	3
Cariſia,	4	MINEIA,	1	Sulpicia,	3
Caſſia,	3	Minucia,	2	Tarquitia,	1
CELIA,	1	Mucia,	1	Terentia,	2
Ceſtia,	1	Munatia,	1	Titinia,	2
Cipia,	1	Muſſidia,	2	Tituria,	1
Claudia,	4	Næuia,	2	TREBANIA,	3
Coelia,	1	Naſidia,	2	Valeria,	3
Cornelia,	16	Norbana,	2	Vargunteia,	1
Cornuficia,	1	NVMIDIA,	1	Veturia,	1
Coſſutia,	1	Numitoria,	2	Vibia,	5
Cupiennia,	1	Opeimia,	2	Vipſania,	4
Curiatia,	2	Oppia,	1	Incerta,	21
Curtia,	1	Papiria,	3		

INDEX COGNOMINVM ROMANORVM

quæ reperiuntur in Numiſmatibus Antiquis, cum nominibus Familiarum ad quas referuntur; a LVD. SAVOTIO, Doct. Med. Par. primum ſcriptus.

Deinde a CAR. PATIN, Doct. Med. Par. auctus.

Quæ aucta ſunt, Italico, vt vocant, caracthere ſcripta ſunt.

ACiſculus,	Valeria.
Agrippa,	Luria, Vipſania.
Ahala,	Seruilia.
Ahenobarbus,	Domitia.
Albinus,	*Poſtumia.*
Aquinus,	*Bæbia.*
Atratinus,	Sempronia.
Augur,	Cornuficia.
Augurinus,	Minucia.
Bala,	Aelia.
Balbus,	Acilia, Antonia, *Atia*, Cornelia, Thoria, Næuia.
Barbatus,	Valeria.
Baſſus,	*Betiliena.*
Blandus,	*Rubellia.*
Bibulus,	Calpurnia.
Blaſio,	Cornelia.
Brocchus,	Furia.
Brutus,	Iunia.
Buca,	Æmilia.
Burſio,	Iulia.
Cæpio,	Iunia. Seruilia.
Cæſar,	Iulia,
Caldus,	Cœlia.
Calenus,	Fufia.
Capito,	Fonteia, Maria, *Oppia.*
Capitolinus,	Petilia.
Carbo,	Papiria.
Caſca,	Seruilia.
Cato,	Porcia.
Catullus,	Valeria.
Celer,	Caſſia.
Celſus,	Papia.
Cenſorinus,	Marcia.
Cerco,	Lutatia.
Ceſtianus,	Plætoria.
Cilo vel Chilo,	Flaminia.
Χιος,	*Rabiria.*
Cinna,	Cornelia.
Cocles,	Horatia.
Cordus,	Mucia,
Coſſus,	Cornelia.
Cotta,	Aurelia.
Κουαδράτος,	*Numidia.*
Craſſipes,	Furia.
Craſſus,	Licinia.
Criſpinus,	Quinctia.
Culleo,	*Terentia.*
Doſſenus,	Rubria.
Fabatus,	Roſcia.
Fauſtus,	*Cornelia.*
Felix,	*Cornelia.*
Flaccus,	Cornelia, Rutilia, Valeria.
Florus,	Aquillia.
Foſtulus,	Pompeia.
Frugi,	Calpurnia.
Galba,	Sulpicia.
Geminus,	Aburia.
Geta,	Hoſidia.
Graccus,	Anteſtia, Sempronia.
Gallus,	Aſinia, Caninia, Memia.
Heius,	*Cæcilia*, *Muſſidia.*
Hemis,	Flauia.
Hiſpanienſis,	Fabia.
Hypſæus,	Plautia.
Iudex,	Vettia.
Labeo,	Fabia.
Læca,	Porcia.
Labienus,	*Atia.*
Lamia,	Ælia.
Lariſcolus,	Accoleia.
Lentulus,	Cornelia.

Lepidus,	Æmilia.
Libo,	Marcia, Scribonia.
Limetanus,	Mamilia.
Longinus,	Caſſia.
Longus,	Caſſia, Muſſidia.
Lucanus,	Terentia.
Lupercus,	Gallia.
Macer,	Licinia, Sepullia.
Magnus,	Pompeia.
Malleolus,	Poblicia.
Marcellinus,	Claudia, Cornelia.
Marcellus,	Claudia, Cornelia.
Maridianus,	Coſſutia.
Maximus,	Egnatia, Fabia.
Mela,	*Bæbia.*
Menſor,	Farſuleia.
Merula,	*Cornelia.*
Meſſala,	Valeria.
Metellus,	Cæcilia.
Molo,	Pomponia.
Murcus,	*Statia.*
Murena,	Licinia.
Muſa,	Pomponia.
Naſo,	Axſia.
Natta,	Pinaria.
Nerua,	Cocceia, Licinia.
Niger,	*Cæcilia.*
Nonianus,	*Conſidia.*
Numa,	*Calpurnia, Pompeia.*
Oſca,	*Domitia.*
Otho,	Saluia.
Pætus,	Ælia, Conſidia.
Palikanus,	Lollia.
Panſa,	Vibia.
Parthicus,	*Atia.*
Paullus,	Æmilia.
Peregrinus,	*Arria.*
Philippus,	Marcia.
Philus,	Furia.
Pictor,	Fabia.
Piſo,	Calpurnia.
Plancus,	Munatia, Plautia.
Platorinus,	Sulpicia, *Vipſania.*
Pollio,	*Bæbia, Muſſidia, Quinctilia.*
Priſcus,	*Muſſidia.*
Pulcher,	Claudia; *Liuineia*, *Statilia.*
Purpureo,	Furia.
Quinctilianns,	Nonia.
Reginus,	Antiſtia.
Regulus,	Liuineia.
Reſtio,	Antia.
Rocus,	Crepereia.
Rufus,	Aurelia, Cordia, Lucilia, Meſcinia, Minutia, Plotia, Pomponia, Sulpicia.
Rullus,	Seruilia.
Sabinus,	Minatia, Titruria.
Sabula,	Coſſutia.
Sacerdos,	*Licinia, Statilia.*
Salinator,	Liuia.
Salutaris,	*Cariſia.*
Saranus,	Atilia.
Sardus,	*Atia.*
Saſerna,	Hoſtilia.
Saturninus,	Sentia.
Scarpns,	Pinaria.
Scaurus,	Æmilia, Aurelia.
Scipio,	Cornelia.
Secundus,	Arria.
Silanus,	Iunia.
Silus,	Sergia.
Siſenna,	*Apronia*, Cornelia.
Spinther,	Cornelia.
Stolo,	Licinia.
Suffenas,	Nonia.
Sulla,	Cornelia.
Sulpicianus,	Quinctia.
Sura,	*Cornelia.*
Surdinus,	Næuia.
Tampilus,	Bæbia.
Taurus,	Statilia.
Thermus,	Minucia.
Torquatus,	Manlia.
Trigeminus,	Curiatia.
Trio,	Lucretia.
Triumpus,	Papia.
Tubero,	*Helia.*
Tullus,	Mæcilia.
Turdus,	*Papiria.*
Turpilianus,	Petronia.
Vaala,	Numonia.
Varro,	Terentia.
Varus,	*Quinctilia*, Vibia.
Vetus,	Antiſtia.
Vitulus,	*Voconia.*
Voluſus,	*Valeria.*

FINIS.

Errata.

Multa ſunt Romano, vt vocant, caracthere ſignata, quæ non Vrſini, ſed mea ſunt. Hunc Typocraphi errorem, Lector Benevole, *vt & quæ infra ſcripta ſunt, condonabis.*

Pagina 1. verſu 4. Trib. pl. *lege* Trib. pl. qui. Pag. 7. v. 3. Marius, *l.* Martius. Pag. 8. v. 21. Arabiſque, *l.* Arabibuſque. Pag. 11. v. 3. a fine, ἐπ, *l.* ἐς π. pag. 20. v. 10. nimium, *l.* nimirum. pag. 21. v. 29. προσὸν, *l.* προσῶν. pag. 27. v. 8. ἐκεῖνος, *l.* ἐκεῖνοι. Pag. 28. v. 6. δέως, *l.* δέος. Pag. 29 v. 13. στρατηγίδη, *l.* στρατηγίδι. Pag. 33. tres primi verſus ſunt omittendi. Pag. 33. v. 32. ſit, *l.* eſt. P. 34. paſſim Appvleia, *l.* Apvleia. Pag. 44. v. 7. Lucij, *l.* Quinćti. Pag. 44. v. 7. vt, *l.* ne. Pag. 87. v. 5. numeri, *l.* muneri. Pag. 87. v. 13. curra, *l.* crura. Pag. 96. v. 8. ſecundi, *l.* tertij. Pag. 116. v. 7. ſuperaturam, *l.* ſuperaturum. Pag. 134. v. 23. πολεμίους, *l.* πολεμίως Pag. 138. v. 19. non, *l.* nos. Pag. 140. v. eſt, *l.* eſſe. pag. 141. v. 4. Anguſti, *l.* Auguſti. pag. 146. v. vltimo κληρονόμοι, *l.* κληρονόμον. pag. 157. v. 6. ἐσθῆτα, *l.* ἐσθῆτα. Pag. 159. v. 5. a fine, per, *l.* ſub. Pag. 160. v. 22. atius, *l.* atrus. Pag. 169. v. 3. ωσια, *l.* Ωσια. Pag. 181. v. 28. quam, *l.* quum. Pag. 185. v. 17. longus, *l.* Longus. Pag. 187. v. 19. Κυίντο, *l.* Κυίντον. Pag. 187. v. 24. αξιολόγων, *l.* ἀξολόγων. Pag. 196. v. 6. legunt, *l.* leguntur. Pag. 197. v. 14. *l.* κινήσει. Pag. 197. v. 20. τύχειν, *l.* τύχω. Pag. 197. v. 32. dicetur, *l.* dicitur. Pag. 208. v. 4. μηδὲν, *l.* μηδὲν πρᾶξαι. Pag. 225. v. 6. a fine Calliopi, *l.* Calliope. Pag. 235. v. 12. Proclivivs, *l.* Procilivs. Pag. 235. v. 4. a fine, liberatis, *l.* libertatis. Pag. 237. v. 12. Quinćtilio, *l.* Quinćtilium. Pag. 237. v. vltimo, n, *l.* in. Pag. 238. v. 5. timent, *l.* timere. Pag. 241. v. 4. a fine, libenti, *l.* labenti. Pag. 265. in notis, v. 5. lib. 2. *l.* lib. 12. Pag. 273. v. 21. Nicopa, *l.* Nicæam. Pag. 284. v. 15. cauſa, *l.* cauſas. Pag. 286. v. 21. Coſſ. *l.* Cos. Pag. 295. v. 15. χρεῖον, *l.* χρέιον.



SPECIAL 84-B
FOLIO

GETTY CENTER LIBRARY